SCRIPTORUM
VETERUM
NOVA COLLECTIO.


ΠΕΡΙ ΤΗϹ ϹΥΝΤΕΛΕΙΑϹ

SCRIPTORUM VETERUM
NOVA COLLECTIO
E VATICANIS CODICIBUS EDITA

AB ANGELO MAIO
BIBLIOTHECAE VATICANAE PRAEFECTO.

TOMUS I.

ROMAE
TYPIS VATICANIS
MDCCCXXV. ET XXXI.

EDITORIS PROLEGOMENA.

I. ROMANORUM PONTIFICUM perpetua cura fuit monumenta litterarum et artium conquirere, sedulo custodire, ab oblivione et interitu vindicare. Rei testis est vaticanum palatium, cuius bibliotheca codicum, signorum museum, tabularum pinacotheca, admiratione orbis terrarum commendantur. Dignum profecto studium vicariorum Dei qui quum pater scientiae omnis, humanitatis, et elegantiae sit, par est qui vicem eius gerunt, rerum harum patrocinium singulariter profiteri. Iam iidem si clavibus caelum reserant, id est aeternam hominibus felicitatem ducatu suo magisterioque conciliant; satis congruit, ut temporalis quoque vitae commoditatem valde adiuvent, quae multa est in his pacificis disciplinis, propter quas mites cultique homines a barbaris et feriuis longe differimus. Porro litterae an artes nobiliores sint, disceptare nil refert, praesertim apud homines qui de utrisque bene merentur. Sed tamen quia lectionum bonarum paulo latius fortasse, quam opificiorum, utilitas patet (nam litterae artes continent) ideo librorum supellex tum multo antiquior in sacris palatiis est, tum ad religionis incrementum atque tutelam certe aptior. Eruditi homines qui utilia et varia veterum scripta e codicibus pontificiis excusserunt, multi extitere; quorum nomina appellare non interest, quia prostant opera. Nos ut maiorum exempla sequamur, quamdiu vitae fruemur commeatu, nullam nobis quietis partem impertiri decrevimus, excolendis iugiter eruditionis, pro nostra virium infirmitate, copiis, edendisque praesertim auctorum clarorum lucubrationibus, siquae luce non solum indigae verum etiam dignae videntur. Age vero quum superioribus annis scripta aliquot classica in vaticanis reperta codicibus seorsim ediderimus; obortum nobis subinde consilium est instruendae continuae collectionis, cuius series mole sua specieque uniformis, scriptorum genere ac linguis temporibusque variaret. Quodnam autem initium musae facient? quum in arce religionis versemur, et romanae ecclesiae bibliothecam multifariis opibus refertam administremus, religiosae in primis doctrinae litandum videtur. Editis enim plurimis per doctos homines veterum patrum voluminibus, adhuc tamen ex codicum feraci arvo spicilegium christianae philosophiae ac prope messem colligere licet, quae cum in latinis nulla non est, tum in graecis et orientalibus multo potior. Quia tamen sic sacra diligimus, ut a saecularibus scriptis oculum non avertamus, horum quoque flore aliquo collectionis nostrae vestibulum conspergendum curabimus: pleniore deinceps ut speramus manu profanae litteraturae copias depromptturi. Nunc cur aliquot interpretum opera, quae in divinis occupantur explicandis scripturis, vulganda susceperimus, breviter docere iuvat. Vetus doctrina est, rem religiosam fide niti, id est reverenti et pio mentis obsequio, tum more institutisque maiorum: quas siquis regulas spernat, paulatim ab eo religionem exui necesse sit. Quare et divus Hieronymus tot iam scriptis clarus et senex, cuius famae rumor diversa popu-

De suscepto collectionis vaticanae consilio.

lorum ora compleverat, diserte aiebat (1): *semper habui studio audientibus loqui quod publice in ecclesia didiceram; nec philosophorum argumenta sectari, sed apostolorum simplicitati acquiescere.* Nunc quoniam novi semper scriptores exsurgunt, qui sacra biblia non tam ritu maiorum, quam ingeniis suis et eruditione disserunt; quia scilicet certius aliquid adlaturos se, et rudem vetustatem superaturos arte sua credunt; nihil fere opportunius fore putavi, quam si methodum illam explanandorum bibliorum a patribus frequentatam lectoribus meis ob oculos ponerem, a qua prudenti philologo longius certe recedere non conceditur. Aurea sane exoriantur ingenia, doctrinae latius propagentur, linguae exoticae studiis acerrimis excolantur; in religione quidem mutare nil licet: quod ne fiat, prisci hermeneuticae canones retinendi sunt: nam libertas procax interpretandi seminarium haereseon est: quare et grammatici saepe doctissimi scripturam caelestem terrenis cogitationibus obscurare videntur. Haec dicimus non quia absurde philosophiam vel artem criticam ab hermeneuticae finibus submoveamus, sed quia de sacrae atque apostolicae traditionis thesauro iure ac merito laboramus, dum totis adversus ecclesiam cuneis dimicatur. Illos vix adloquimur qui scripturam interprete egere negant, sed eam vulgi manibus teri indifferenter volunt: quasi poëtae quidem et oratores et historici explanatorem requirant, prophetarum oracula non item: et quasi opificia absque doctore disci non possint, solam scripturarum artem sibi omnes vindicare queant: cuius opinionis pertinaciam nos frustra convellere niteremur, nisi eam iam satis Hieronymus grandi epistula (LIII) refutavisset, in qua sermone verissimo disputat, neminem posse in scripturis sanctis sine praevio et monstrante callem incedere. Sed ne diu apud doctos, qui rem non verba desiderant, prohoemiemur, voluminis nostri materiam percenseamus.

DE EUSEBIO CAESARIENSI.

Testimonia operis eusebiani quaestionum evang.

II. Eusebii caesariensis scripta inedita haec adfero: quaestiones viginti evangelicas cum supplementis, ex eius tribus de hoc argumento conscriptis libris: item eiusdem fragmenta operis Θεοφανείας; nec non partem haud modicam commentarii in Lucam. De quaestionibus evangelicis ante quam dico, veterum de his testimonia recitare, atque in primis ipsius auctoris, utile videtur.

1. Eusebius demonstr. ev. lib. VII. 3: *τίνι δὲ λόγῳ τὸν Ἰωσὴφ γενεαλογοῦσιν οἱ ἱεροὶ εὐαγγελισταὶ, καίπερ μὴ ὄντος τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ἐξ ἁγίου πνεύματος καὶ τῆς ἁγίας παρθένου, ὅπως τε καὶ αὐτὴ ἡ τοῦ κυρίου μήτηρ ἀπὸ γένους καὶ σπέρματος ἀποδείκνυται εἶναι Δαβίδ, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν εἰς τὴν γενεαλογίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ζητημάτων καὶ λύσεων διειληφότες, ἐπ' ἐκεῖνα τοὺς φιλομαθεῖς ἀποπέμψομεν: cur ipsius Iosephi genus sacri evangelistae describant, quamvis Servator noster ex eo natus non sit, sed de Spiritu sancto et sancta Virgine; quove modo ipsa Domini mater de genere ac semine Davidis fuisse ostendatur; in primo quaestionum et solutio-*

(1) Epist. CXXXIII. 12.

num de Servatoris nostri prosapia explicavimus. Illuc igitur rei studiosos amandamus.

2. S. Hieronymus de script. eccl. cap. LXXXI: *Eusebius caesariensis* etc. *edidit de evangeliorum diaphonia.* (Nihil dico de testimonio Suidae in Εὐσεβ.; sunt enim ipsa Sophronii, qui Hieronymum interpretatus est, verba. Nihil item de Honorio augustudunensi ed. Fabr. p. 78, vel de Trithemio cap. LVII, qui duo Hieronymum aeque sublegunt). Iterum Hieronymus in comm. ad Matth. I. 16: *super hoc et Africanus temporum scriptor et Eusebius caesariensis in libris* διαφωνίας εὐαγγελίων *plenius disputarunt.* Idem alibi quoque in commentario ad Matthaeum, sub initio et fine, usus est Eusebii quaestionibus; tum illis certe ad Marinum multo magis ac luculentius in epistula CXX. totis capitibus 3. 4. 5. 6. 7. 9.

3. Ebediesu in librorum syrorum catalogo apud Assemanum bibl. or. tom. III. part. I. p. 18:

Eusebius caesariensis composuit librum solutionis contradictionum evangelii.

4. Reapse in vaticano syriaco codice CIII. p. 302. sqq. extant excerpta admodum brevia eius operis, ut iamdiu docuit Assemanus in catalogo; cuius ego codicis specimen inter alias scripturas excudendum curavi. Sic autem ibi legitur:

Eusebii caesariensis ex libro quaestionum in evangelium.

5. Nicephorus quoque Callixtus hist. I. 11 Eusebium inter alios satis innuit his verbis: περὶ τὴν δοκοῦσαν διαφωνίαν οὐκ ὀλίγοι βίβλους ὅλας ἐξέδωκαν: *circa apparentem dissonantiam non pauci libros integros composuerunt.*

6. Eusebii opus de evangelistarum discrepantia permulti miscelli codices memorant in bibliothecis; v. gr. anglicanus apud Fabric. Harl. bibl. gr. tom. VII. p. 402; venet. florent. paris. ibid. et apud Simonium hist. crit. N. T. cap. 6: idemque titulus in vaticanis quoque codicibus interdum conspicitur.

7. Est tamen peculiari mentione dignus codex mazarinianus catenam amplissimam habens patrum prope LX in priora duodecim Lucae capita (1). Ex hoc scilicet graeco codice Combefisius (2) latine tantummodo edidit latum fragmentum eusebiani operis διαφωνίας εὐαγγελίων, quod ferme totum nunc graece est apud me p. 11—13. et p. 146—153.

8. Scriptores alii veteres titulum tantummodo ad Marinum recitant, qui fuit operis tertius liber. In his Anastasius sinaita quaest. VIIII. (3) CXLVIII. CLIII; Macarius Chrysocephalus in florilegio; Georgius Hamartolus in chronico inedito, ex eoque Iohannes siculus item ineditus; et Cedrenus, quos ego omnes in supplementis laudavi; item auctor scholiorum ad I. reg. cap. 2. cant. Annae in sixtina graeca editione; tum Possini catena in Marcum p. 343. 364; Corderii catena in Iohannem p. 436; codices item romani, florentini, vidobonenses, moscuenses, et aliarum sine dubio bibliothecarum, excerpta continent eusebiani libri ad Marinum.

(1) Montfaucon. bibl. mss. p. 1309.
(2) Bibl. concion. tom. VIII. p. 15.
(3) Ad hunc tamen locum quod adtinet, videsis emendationem meam p. 29. n. 1.

9. Mitto neotericos de illustribus ecclesiae viris scriptores, qui opus eusebianum ex antiquorum traditione memorant. Hos inter Sixtus senensis est (1) itemque Cellierius (2); quorum prior falso censuit omnes locos evangeliorum, qui in speciem pugnare videntur, ad concordiam ab Eusebio perductos fuisse; alter item falso existimavit fragmenta omnia eusebiana, quae in evangeliorum explicatione versantur, ad illud quaestionum opus esse referenda. Nunc vero ex praefatiuncula ad Marinum videmur agnoscere, Eusebium initia tantum finemque evangeliorum quaestionibus suis attigisse: intermedia vero fragmenta, quae in codicibus occurrunt, ex eius in evangelium commentario fuisse excerpta, exploratum fit.

10. Sed tamen e neotericis quatuor omnino silere nefas est, propter accuratiorem quam tradunt operis eusebiani notitiam. Latinus quidem Latinius (3) in epistula ad Andream Masium ait: *Sirletus scire te vult, in Sicilia inventos esse libros tres Eusebii caesariensis de evangeliorum diaphonia, qui ut ipse sperat brevi in lucem edentur.* Gulielmus Cavaeus (4) inter Eusebii opera deperdita recenset *ad Stephanum de evangeliorum dissonantia.* Undenam vero Cavaeus τὴν προσφώνησιν *ad Stephanum* noverit, mihi perinde atque Assemano et Cellierio obscurissimum est. Nam Possevinus atque Silburgius, qui mihi nominandi supererant, in graecorum palatinae bibliothecae codicum catalogo, qui ante captam Heidelbergam translatosque Romam codices confectus fuit, verba haec tantummodo scribunt: *Eusebii evangelicarum quaestionum libri duo, in quibus etiam caput ex Africano de genealogia in sacris evangeliis.* Cavaeus igitur notitiam a Silburgio Possevinove non hausit: alioquin neque omisisset dicere operis fuisse *libros duos*, neque sponte addidisset *ad Stephanum*. Iam quod Silburgius, qui catalogi auctor creditur, ait *libros duos*, is falsus est primo et superficiario palatini codicis aspectu in quo tota pars ad Stephanum continua est, illa vero ad Marinum, titulo praefixo seiuncta. Ceterum si praefatiunculam ad Marinum Silburgius legisset, is *tres* operis non *duos* libros novisset. Superest igitur ut Cavaeus vel ex incognito nobis auctore, vel ex ore alicuius qui palatinum fortasse codicem accuratius inspexerit, opus hoc *Stephano* scriptum fuisse resciverit.

11. Extremum denique testimonium certitudine et auctoritate cum primo certabit. Is est ipse palatinus Possevino olim fama tantum notus, a Silburgio autem leviter inspectus codex, mox in bibliotecam vaticanam delatus, et nunc tandem a me descriptus typisque commendatus. Titulum eius in fronte operis vides, nec non in specimine cuso: Εὐσεβίου ζητημάτων καὶ λύσεων; prorsus ut ipse loquitur in primo testimonio auctor. Reliqui autem testes titulum libri variaverunt; id quod in chronicorum quoque eiusdem Eusebii titulo factitatum fuisse iam observavi in eius operis Mediolani ante hos annnos vulgati praefatione cap. XI.

(1) Lib. IIII. ed. Colon. p. 246.
(2) Auct. sacr. tom. IIII. p. 335.
(3) Op. tom. II. p. 116.
(4) Script. eccl. p. 115. ed. Colon. Allob. MDCCXX.

De parte operis in palatino cod. contenta.

III. Palatinus, nunc vaticanus codex, qui nobis Eusebii quaestiones evangelicas partim saltem suppeditat, saeculi ferme decimi est, litteris speciosis admodum quamquam cursim, in octava forma maiore, scriptus. Scholia tamen, quorum copioso comitatu utitur, quadratis prope litteris ac multo pulchrioribus exarantur. Utriusque scripturae specimen in tabula exhibendum curavi. Codicis continentia haec 1. Eusebii epistula ad Carpianum. 2. Eiusdem canones evangelici paginis octo ornatissime scripti. 3. Matthaei evangelium cum uberrimis scholiis seu perpetuis quaestiunculis ac responsionibus. Textus ipse evangelicus in minutas sectiones distinguitur; in summo autem margine scribuntur summaria capitum, v. gr. περὶ τῆς μεταμορφώσεως τῆ Ἰησοῦ, περὶ τοῦ ὀφείλοντος μυρία τάλαντα. Matthaei capita LXVIII, minores sectiones CCCLVIII sunt (1). Post Matthaeum scribuntur continenter Eusebii quaestiones, quae paginas occupant LXXIII. 4. Sequitur Marcus, praeviis capitum XLVIII summariis, constans CCXLI sectionibus. Marcum perpauca comitantur scholia. 5. Tertius est Lucas, capitibus LXXXIII, sectionibus CCCXLII constans, non sine perpetuo scholiorum seu quaestiuncularum ornatu. 6. Quartus denique Iohannes, capitibus XVIII, sectionibus CCXXXII digestus, perpetuis item et copiosis instructus quaestiunculis. Minores has atque anonymas codicis palatini quaestiones nunc certe edere supersedeo. Et sane in Matthaeum graeci auctoris quaestiones latine olim Venetiis edidit Serrarigius, qui liber ad manus meas numquam pervenit. Quaestiones in Lucam Titi, ut creditur, bostrensis in patrum bibliotheca occurrunt, quibuscum hae palatinae satis congruunt, quamquam illae editae videntur latiores. In Iohannem quoque quaestiunculae, Io. Chrysostomi nomine inscriptae, eduntur latine apud Canisium (2), quas item cum graecis palatinis conspirare videbam. Nihil aio de Marco, quandoquidem pauciora huic substernuntur scholia, quae formam quaestionum non imitantur. Ergo his omnibus praetermissis, Eusebii tantum quaestiones e palatino codice edendas suscepi. Atque utinam omnes in eo essent superstites, et non potius delectae quaedam! opus quidem (si fama vera fuit) integrum, in tres libros distinctum, in siculo codice extitisse iam diximus: quod utinam, ut sperabat Sirletus, tunc fuisset vulgatum! Ecce enim vel possessoris socordia vel alia qualibet fortunae iniuria diutius suppressum, iam nusquam in orbe apparet. Nam et Proserpinam siculam ab Orco raptam ne Ceres quidem ad auras superas revocavit-quamquam flammifera pinum succendit ab Aetna—. Nunc a prologi ad Marinum fragmento tres fuisse libros (non secus atque in siculo exemplari) confirmari videmus: quorum duo priores in evangeliorum primordiis toti versati fuerant; tertius, praetermisso evangelii intermedio corpore, in explicandis extremitatibus consumptus fuerat. Iam palatinus codex priores duos indistinctos posuit; tertium peculiari titulo separavit. In duobus prioribus primo quidem exordium operis totum amisimus; quod merito dolendum est, quia ibi sine dubio Eusebius rationem operis

(1) De sacrorum librorum stichometria vetero legesis, si vacat, utilem librum Romae anno MDCLXXXVIII editum a studioso antiquario Iosepho Caro, qui ex urbanis pervetustis codicibus ordinem illum sedulo revocavit.

(2) Ed. Basnag. tom. I. p. 218.

exposuerat, et causas eius atque institutum. Tum eclogarius ex quaestionibus eas delegit tantummodo quae sibi magis arriserunt, fecitque earum ut ait titulus ἐκλογὴν ἐν συντόμῳ, reiectis quibusdam partibus, veluti illas de Cyrenaeo crucem Domini baiulante, de hora qua Iesus in crucem sublatus fuit, de Christi apparitionibus variis, de sancto Spiritu per flatum in apostolos immisso; quas nos aliunde corrasas in supplementis posuimus. Nec quemquam fallat quod Eusebius in prologo ad Marinum dicat ἐρωτᾷς πρῶτον, tum subiungatur quaestio de sero et mane sabbatorum: namque eclogarius post prologum dicti eius prope immemor, praetermissis aliquot quaestionibus, ad eam quam diximus actutum transiliit. Nonne enim prior erat illa quaestio de hora crucifixionis quam nobis Corderii catena servavit?

De s. Ambrosio Eusebii et aliorum imitatore.

IIII. Ceteroqui quas quaestiones palatinus eclogarius vel totas vel certe partim suppresserit, nemo nos melius docet quam s. Ambrosius (1); cuius quoniam nunc fontem deteximus, iam licet in rivulo partes Eusebii desideratas discernere. Atque hoc primum cognoscimus, potissimam partem operis ab eclogario in codice palatino fuisse retentam; id quod siquis Ambrosium attente consideret, facile sibi persuaderi patietur. Neque vero est cur quisquam miretur Ambrosium, tacito auctoris nomine, tantam operis alieni partem in suum usum convertisse. Quis enim eruditus nescit, in compilandis graecis auctoribus neminem Ambrosio sollertiorem fuisse? Quod ut omnibus palam fiat, satis est eius opera brevi studio evolvisse. 1. Ecce enim hexaemeron Ambrosii siquis conferet cum homonyma Basilii lucubratione, is prope interpretem non auctorem audire sibi videbitur. Immo et Originem atque Hippolytum (adde et Philonem) ab Ambrosio in hoc opere fuisse defloratos testatur Hieronymus ep. LXXXIII. 7: *nuper sanctus Ambrosius sic hexaemeron Origenis compilavit, ut magis Hippolyti sententias Basiliique sequeretur.* (Nam et Hippolyti commentarios in genesim extitisse, tum ex catenis, tum ex Leontio inedito, tum ex Hieronymo ep. XXXVI. 16, Eusebioque hist. eccl. VI. 22, comperimus.) Immo Ambrosii volumina Origene plena fuisse creduntur. 2. Rursus dicitur abs Hieronymo (ep. CXII. 20.) Ambrosius in psalmis interpretandis Origenem partim secutus; et quidem simul ad Basilii par opus respexit. 4. Idem Ambrosius a Philone quoque iudaeo complures libros propemodum abstulit, ut de paradiso, de Caino et Abele, de arca et Noë. Rursus in allegoriis Philonem libenter sectatur; item in libris de fuga saeculi, de Abrahamo, de Iacobo et vita beata. Quare et Mangeyus Philonis editor saepe direptum ab Ambrosio auctorem suum queritur; et Rufinus apol. II, nec non Ambrosii editores maurini monachi causam pro eo dicunt: quibus tamen maurinus alter Garnerius, Basilii editor, non acquiescit, et repetundarum litem persequitur. Rursus librum de Elia et ieiunio, librum de Tobia, librum de Nabuthe, ex aliquot Basilii homiliis sumit Ambrosius. Tres libros de Spiritu sancto a Didymo, Basilio, aliisque graecis mutuatur. In libro de incarnationis sacramento utitur Athanasii epistula ad Epictetum. In commentario ad Lucam non solum latissime Euse-

(1) Comm. in Luc. lib. II. III. X.

bium sed etiam Origenem sequitur. In officiorum libris Ciceronem exprimit atque aemulatur. Ego vero denique demonstravi (1) libros quoque de rep. Ciceronis non semel Ambrosium fuisse imitatum. Denique suspicor priorem librum Ambrosii de excessu fratris Satyri ad imitationem tullianae consolationis fuisse conscriptum.

De scriptoribus pluribus quaestionum biblicarum.

V. Nunc si reliquos eusebiani huius operis imitatores recensere vellem, Hieronymus certe non esset omittendus, quod retro iam dixi p. VII. Utrum vero Augustinus quum libros de consensu evangelistarum scriberet, Eusebium prae oculis habuerit, difficile est definire; nam et in nonnullis cum eo conspirat, et tamen saepius ab eo discedit, vel certe aliter loquitur: veluti quaestionem versans de hora tertia vel sexta qua Iesus crucifixus fuit, Eusebio non utitur, quamquam aestuet Augustinus, cupiatque alias emergere solutiones credibiliores. Sane quaestionem de Christi genealogia cum Eusebius ab Africano sumpsit, tum ab ipso Eusebio vicissim posteri omnes accersiverunt. Tum in iis quae apud Domini sepulchrum acciderunt, Eusebii vestigia premunt Hesychius hierosol., et Iohannes thessalon. a Combefisio in auctario editi, nec non Severus antioch. quem Montfauconius e codicibus coislinianis protulit. Biblicarum sane quaestionum scriptores et ante Eusebium feruntur et postea plures. Princeps qui aevo christiano quaestiones biblicas scripserit, Philo iudaeus est, cuius quaestionum in genesim libri sex ab inedito Leontio citantur. Idem laudat illius in exodum libros quaestionum duos, quamquam ex aliis historicis comperimus quinque. Utrumque id opus quod graece, praeter fragmenta quaedam, deperditum est, edidit nuper latine Venetiis ex haicana lingua translatum vir cl. Ioh. B. Aucherius monachus mechitarista, in cuius tamen editione quatuor tantummodo libri quaestionum in genesin leguntur, reliquis adhuc desideratis. Ego vero graecas ipsas reliquias aliquot cum Leontio typis paro: nuper autem quaestiones Philonis septem in exodum graece ex vaticano codice extuli (2). Quaestiones in leviticum atque in legem a vaticano Leontio commemorantur. Praeterea scriptorem sui temporis, qui biblicas repugnantias collegerat, ut Christianis negotium facesseret, memorat Lactantius inst. lib. V. 2. Insuper inclaruerunt, ut nonnullos obiter nominem, Rhodon asiaticus, Origenes, Africanus, Marcion, Tertullianus, Maximus confessor, Theodorus mopsuestenus, Theodoretus, Iosephus hypomnestici auctor, Titus bostrensis, Hesychius hierosol., Victor, Isidorus pelus., Isidorus hispal., Eucherius, Gregorius M. papa, Anastasius sinaita, pseudo-Athanasius, pseudo-Chrysostomus, auctor quaestionum V. et N. T., Antiochus monachus, Photius patriarcha, Alcuinus, Beda, Bertharius, anonymi aliquot in codicibus vaticanis, syri etiam et arabes scriptores apud Assemanum sive in catalogo sive in orientali bibliotheca. Sed de his hactenus, ne praeter meum propositum longius aberrem.

Eusebiani operis scopus.

VI. Eusebium, ut has evangelicas lucubrationes conscriberet, controversia impulit multos ante annos inter pios impiosque versata de apparente evangeliorum dissensu, quae nullo tempore in ecclesia non extitit: ita ut a primis paedicati evange-

(1) Praef. ad Cic. de rep. editionis secundae p. LXXXVI.

(2) Classic. Auct. T. IV. p. 430.

lii temporibus, vel certe a syri Tatiani aetate, usque ad hanc in qua scribimus, harmoniae evangelicae numquam construi desiverint. Itaque noster Eusebius sub initiis quoque historiae ecclesiasticae (1) evangeliorum consensionem demonstrandam sibi putavit satis accurata disputatione, citato pro se Africani testimonio in litteris ad Aristidem de consensu evangelistarum in genealogia Christi narranda. Quo sane loco satis mirari nequeo Henricum Valesium doctissimum Eusebii interpretem, cui hoc auctoris consilium displicet, quasi ab eo plus mali quam boni fructus sub iis religionis incunabilis sperandum fuisset: *nollem*, inquit, *Eusebium nostrum in vestibulo historiae suae mentionem huius rei fecisse. Satius profecto fuisset atque consultius hanc evangeliorum dissonantium silentio involvere, ne lectoribus a fide nostra alienis, cuiusmodi tunc temporis erant quam plurimi, occasio subministraretur de evangeliorum veritate dubitandi.* Quot verba, totidem ut puto errores; nam quandoque bonus dormitat Homerus. Qui a fide nostra alieni erant, nonne etiam sine Eusebii disputatione de evangeliorum veritate dubitabant, vel potius eam pernegabant? Cur vero Eusebius silentio involvisset quaestionem iam famigeratam et illustrissimam, quae in ipso evangelii vestibulo piorum aeque et impiorum incurrebat in oculos? Quid vero? nonne extabant doctorum ethnicorum volumina contra evangelicam veritatem? *Haec replico*, inquit Hieronymus ep. LVII. 9., *non ut evangelistas arguam falsitatis; hoc quippe impiorum est Celsi, Porphyrii, et Iuliani.* Sane venenata trium horum iacula noscere adhuc est in eorum fragmentis apud Origenem, Hieronymum, Cyrillum, aliosque aliquot patres, tum et alios plures (praeter illum a Lactantio memoratum) Christi rabidos hostes in hanc aleam descendisse scimus. Utique ipse Iulianus nonnisi post Eusebium pugnavit (sed armis tamen superiorum instructus. Et quidem Eusebii nomen Iuliano invisum fuisse, satis ipse prodit in fragmento apud Cyrillum (2) ubi ab eo appellatur ὁ μοχθηρὸς Εὐσέβιος, *nequam ille Eusebius.* Tantum itaque abest ut Eusebius in ventilandis evangelicis his quaestionibus imprudenter importuneve se gesserit, ut omnino videatur historiam suam non potuisse, nisi hoc praeiacto fundamento, construere. Quod autem separato quoque opere argumentum hoc copiosius tractaverit, id eius erga religionem merita zelumque uberius commendat.

Eusebii τῆς Θεοφανείας fragmenta.

VII. Quaestionibus editis evangelicis, coepi ego in vaticana bibliotheca conquirere, numquid praeterea eusebianum lateret. Et quia videbam abs Hieronymo eiusque interprete Sophronio atque a syro Ebediesu (ut suo loco p. 113. dixi) laudatos Eusebii nostri *theophaniae* libros (quorum etiam fragmentum quoddam ex codice coisliniano an. 1740. Gottingae editum narrat Harlesius bibl. gr. Fabr. T. VII. p. 408) huic operi vestigando curam impendi, cuius reapse fragmenta XVIII. in perampla ad Lucae evangelium graecorum patrum catena laetus offendi: quae quum protinus graece exscripsissem, et cum illa deinde catena in Lucam, quam Balthasar Corderius latine tantummodo edidit comparassem, deprehendi equidem nonnulla ex his fragmenta ab eo latine fuisse divulgata; sed ab eodem in titulis ridicule esse pecca-

(1) Lib. I. 7.

(2) Lib. VII. ed. Lips. p. 222.

tum: ubi enim legendum fuerat Εὐσεβίου β θεοφανίας, vel interdum τῆς θεοφανίας, ibi Corderius non intellectis numerorum graecorum notis, aut vocabulorum compendiis scripsit *Eusebius et Theophanes*: tum vero de hoc conficto Theophane in suo patrum indice aestuavit, atque haec Theophanis fragmenta alibi nusquam se vidisse fassus est. Et quidem, ut unicum exemplum diserte referam, Corderius p. 512. fragmento, quod nobis est XV., praeposuit simpliciter titulum *Theophanes*: at idem in codice vaticano p. 267. manifestissime inscribitur Εὐσεβίου εὐαγγελικῆς θεοφανίας δ. *Eusebii ex quarto theophaniae evangelicae libro.* Sane et in codice vaticano aliquoties vocabulum θεοφανίας non contracte solum ab amanuense sed corrupte scribitur, ita ut venia aliqua Corderius dignus sit, qui codice partim corrupto aut abscuro usus videtur: rei tamen veritas, quod nostri interest, ex vaticano codice nunc mire elucet, tum quia pro nota β interdum δευτέρ. scribitur, tum quia non semel ad θεοφανίας adiungitur εὐαγγελικῆς: quibus veluti totidem veritatis radiis ac testimoniis fictum nomen *Theophanis* ab horum fragmentorum possessu aeternaliter submovetur. Iamvero et quaenam fuerit eusebiani operis ratio quod in quinque distributum volumina vidit Hieronymus, fragmenta nunc satis ut reor demonstrant: fuit videlicet historia quaedam Christi domini ex vaticiniis atque ex evangeliis consarcinata, cum uberrima doctrinae evangelicae explicatione. Cur autem vaticanae catenae auctor secundo praecipuae theophaniae libro usus sit, eam causam licet opinari, quia fortasse Eusebius in hac praecipue parte operis evangelium Lucae ventilavit.

VIII. Postea quam ego *theophaniae* fragmenta ex vaticana in Lucam catena erui, male credo de Eusebio meritus essem, si cetera eius fragmenta multa atque praeclara, quae in explicando evangelio Lucae versantur, praetermisissem. Catenae amplissimae auctor Nicetas saeculo Christi XI, Serarum in Macedonia episcopus. Titulus autem vaticani codicis hic: τῶν εἰς τὸ κατὰ Λουκᾶν ἐξηγήσεων ἐκ διαφόρων ἑρμηνευτῶν. Mirus sane exegeticae doctrinae thesaurus, cuius editio ut aliquando fiat opto quidem, sed vix spero: certe latina Corderii catena ab hac graeca vaticana valde differt. Ego interim quicquid eusebianum, nempe ineditum, in ipsa reperi, impigre exscripsi, et cum aliis duorum codicum vaticanorum fragmentis ordinatim contexui; adeo ut mediocris ad Lucam commentarius auctore Eusebio caesariensi mihi constiterit. Codicum, quos dixi, duorum minores Eusebii partes habentium alter est palatinus vetus bombycinus, alter chartaceus vaticanus. Accipis igitur a me, lector, trium Eusebii operum ineditorum partes, videlicet *quaestionum evangelicarum*, *theophaniae*, et *commentarii in Lucam*. Quaestiones latino etiam sermone donavi; scripta tamen reliqua, festinationi consulens, non sum interim interpretatus. Accipis insuper prolixum eusebiani amissi *de paschate* operis tractum a Niceta nobis in catena sua conservatum: quod Eusebius paschale scriptum ad Constantinum imp. olim miserat, hic autem latine etiam conversum per orbem terrarum spargi curaverat, deque eodem peronorificas litteras ad Eusebium auctorem scripserat, quae in magni Caesaris vita adhuc supersunt lib. IV. 35.

Eusebii commentarius in Lucam.

DE PHOTIO PATRIARCHA.

Codex vat. amphilochiorum Photii.

I. Quaestiones amphilochianae tantam propemodum in sacris Photii scriptis, quantam eius bibliotheca in profanis, famam obtinent. Primus sacri operis (sive id amphilochia, sive amphilochianas quaestiones dicere mavis) notitiam vulgavit Leo Allatius (1) dixitque opus varium et multiplici eruditione plenum, theologis ac scripturae interpretibus maxime necessarium: quod ego doctissimi Allatii de photiano scripto iudicium, neoterici critici malivolentiae valde antefero. Idem Allatius nos docuit de praeclaro amphilochiorum codice vaticano, qui Urbano VIII pontifice maximo e Lollini feltrini episcopi bibliotheca in vaticanam migravit. Existimabat autem Allatius unicum esse amphilochiorum hunc codicem, dempto neapolitano, de quo mox dicemus, fragmento. Postea tamen aliquot alii innotuerunt, veluti taurinensis regius XXXI (2); coislinianus CCLXX (3); colbertinus CCCCXLIIII priscus, ut aiunt, saeculi XI, qui nunc est regius parisiacus MDXXVII (4); sevinianus recens parisiacus, deinde et ipse regius (5). Mitto apographum e vaticano ab Arcudio olim expressum, de quo Allatius loco praedicto: mitto item apographum a Camusato curatum e coisliniano quo Wolfius usus est (6): mitto denique miscellos diversarum bibliothecarum codices, in quibus operis particulae aliquot insunt, veluti tilianus Combefisii (7); bavaricus a Wolfio Andresioque commemoratus (8); vindobonensis XXVIIII (9), in quo est Photii synopsis categoriarum Aristotelis, quam nonnulli (quos inter Cavaeus) ab amphilochiis immerito distinguunt: denique et vaticani nonnulli codices fragmenta aliquot amphilochiorum fortuito continent in miscellis: de quibus omnibus sive longinquis sive etiam romanis parum mihi laborandum est, qui nulla horum ope egeo, quandoquidem vaticanum quem supra dixi plenissimum habeo. Est autem hic bombycinus in fol. saeculi ferme XIII, graeca manu eleganter scriptus. Olim tamen huic codici damna duo contigerant; primum quod eius folia ab inscito bibliopego perturbata sus deque fuerant; iterum quod eius indicem primumque operis folium blattae aut mador partim corruperant: mox tamen doctus aliquis materiae ordinem instauravit, in marginibus scribens qua quodque folium sede esset collocandum: tum illi initio pessumdato, ope alterius exemplaris, supplementum fecit recenti manu, in vulgari charta scriptum; sic tamen ut veterum quoque foliorum lacinias seorsim in volumine conservandas curaverit, nec quicquam veteris scripturae perire passus sit. Instaurati codicis meritum Andresius (10) Allatio tribuit. Illud tamen falsissime a nescio quo relatore dictum Andresio fuit, recentia scilicet haec supplementa Allatium manu sua conscripsisse: est enim mihi vulgoque notissima Allatii manus, a cuius indole longe abest supplementorum

(1) De perp. cons. II. 6. p. 576.
(2) Catalog. p. 108.
(3) Montfauc. bibl. coisl. p. 325.
(4) Coteler. monum. tom. III. p. 556, et catalog. mss. reg. paris. gr. tom. II. p. 259.
(5) Montfauc. bibl. mss. p. 1031.
(6) Praef. ad cur. philolog. tom. III. p. 7.
(7) Bibl. conc. tom. I. praef. p. 38.
(8) Wolf. praef. p. 5; Andr. prodom. ad mss. neap. p. 81.
(9) Lambec. T. VII. p. 146.
(10) Prodrom. p. 83.

scriptura, quae non librarium tantummodo diversum exhibet, verum etiam supinum graecique sermonis prope ignarum. Igitur exscribenti mihi quaestionem primam amphilochianam, ad vetera illa fragmenta respiciendum non semel fuit (quae in volumine conservata iam dixi) ut librarii novi mendis gravissimis medicinam facerem, meaque editione hanc labem excluderem. Codex ergo vaticanus plenissimus quaestiones amphilochianas CCCXIII continet. Exin in codice sequuntur alia Photii opera; nimirum 1. Ineditus et acatholicus de Spiritus sancti a solo Patre processione liber, de quo nos infra loquemur. 2. Alius de eodem argumento Photii libellus, nempe ipsa secunda epistula, quae in Montacutii editione occurrit, heic autem novo titulo instruitur: *ἑτέρα ἔκδοσις περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· ἐξεδόθη ἐν τῷ πατριαρχίῳ μετὰ τὴν ἐπάνοδον τῆς ἐξορίας*; scriptus nimirum a Photio libellus post reditum ab exilio. 3. Extremi in codice sunt libri Photii quatuor adversus Manichaeos, quorum primum Montfauconius e codice coisiliano (1), tres reliquos Wolfius edidit (2) ex holsteniano codice, quem a vaticano nostro fuisse haustum suspicatur rectissime editor, ego vero nullus dubito, quandoquidem etiam clausula, quae Wolfio imperfecta videtur, non alia in codice vaticano, quam in Wolfii editione est.

Pars amphilochiorum antehac edita.

II. Quum plures igitur extarent in Europae bibliothecis amphilochiorum codices, primus Franciscus Turrianus S. I. e bavarico codice amphilochianas sex quaestiones interpretatus est; easque Canisio anno MDCLXIII in antiquarum lectionum sylloge latine tantum edendas concessit (3). Eae sunt in vaticano codice 180. 181. 182. 185. 186; nam Turriani primam in codice non invenio; quare et Basnagius quum anno MDCCXXV Canisium repeteret, et graecum ceterarum textum ederet (4), primam latine tantummodo posuit, quia graece non habuit. Porro Turrianus alibi quoque amphilochia memoraverat, nempe ad epist. pont. p. 124. 165., ad const. ap. VIII. 6, de iur. ord. p. 155; quod eruditi iamdiu dixerunt. Post Canisium anno MDCXVI Petrus Stewartius S. I. prolixam Photii amphilochianam de Christi voluntatibus gnomicis (quae in cod. vat. est octogesima) eodem Turriano interprete edidit (5); cuius graecum deinde textum Basnagius suppeditavit (6). Iam quia Canisius atque Stewartius quaestiones has sub Photii quidem, non tamen amphilochiorum, nomine ediderunt, hinc accidit ut qui eruditi deinceps de amphilochiis verba fecerunt, ii praedictarum septem editionem nescire videantur; quorum in numero sunt Combefisius, Allatius, Montfauconius, Wolfius, Gallandius, Andresius, Scottus. Unus fortasse Fabricius in gr. bibliotheca lucubrationes illas ad amphilochiorum syllogen pertinere suspicatus est. Petavium denique ipsum miror, qui quum in opere suo theologico (7) de monothelitis tamdiu disserat, Photii tamen opusculum de voluntatibus Christi gnomicis, quod eius argumento commodissimum erat, penitus ignoraverit, tot licet ante annos ab eius sodalibus et latinum factum et edi-

(1) Bibl. coisl. p. 349. sq.
(2) Anecd. tom. I. et II.
(3) Ed. vet. tom. V. p. 188. sq.
(4) Tom. II. part. II. p. 420.
(5) Auctar. p. 437.
(6) Tom. II. part. II. p. 439.
(7) De incarn. lib VIIII.

tum. Tertius amphilochiorum editor Combefisius est, qui anno MDCXLIIII e gallicano Tilii codice amphilochianam quaestionem protulit contra ubiquistas, quae in vaticano codice trigesima octava est. Graviter tamen erravit non intellecto codicis titulo Combefisius, ita ut scriptam ad Amphilochium a Photio quaestionem, pro Amphilochii scripto vulgaverit. Sed dein admonitus ab Allatio Combefisius retractavit errorem, atque alteram ab eodem Allatio acceptam de Asteriis (quae in cod. vat. est 312.) edidit amphilochianam in auctario patrum p. 279; rem ceteroqui tam parum adhuc edoctus, ut scribere non erubuerit ambigere se quisnam hic Photius fuerit, qui ad Amphilochium quaestiones miserit. Ignorabat scilicet Combefisius, quae Allatius in libro de consensu super amphilochiis scripserat; quia nimirum eodem anno MDCXLVIII tum Combefisius auctarium, tum Allatius volumen suum de consensu imprimebant. Quartus amphilochiorum editor Montfauconius est (1), qui anno MDCCXV vulgavit quatuor, nempe de Hercule Amaltheae cornu gestante, de Sibyllis, de caesariensis Eusebii haeresi, de Asteriis (in vat. cod. 107. 150. 221. 312.) Profecto Montfauconius de universo photiano opere bene meritus est, cuius integrum descripsit indicem, quaestionum scilicet octo et trecentarum: sed idem magnopere erravit, primum quia se dixit edere ex amphilochiis quaestiones illas, quae maioris momenti esse videbantur; quo iudicio nihil inconsideratius nihil falsius fieri potuit. Nam siquis amphilochia a me nunc edita, itemque illa a Scotto Wolfioque vulgata, cum his breviculis ac valde levibus Montfauconii conferet, praeposteram hercle laudem praedicatam comperiet. Num ergo Montfauconius quem vulgavit indicem ab amanuensi aliquo accepit, ipse vero codicem vix aspexit? Alioquin vix fieri poterat ut vir summus tot longissimas atque optimas lustrans quaestiones, neglectis his, breviores illas ac levidenses eligeret, suoque praeconio atque honore typorum mactaret. Sed en rursus Montfauconius peccavit dum has quaestiunculas ceu ineditas omnes vulgavit. Atqui de Asteriis quaestionem iam publici iuris Combefisius fecerat: quaestiones de haeresi Eusebii et de Hercule in Photii epistulis multo ante a Montacutio editis occurrebant; id quod Wolfium certe non latuit (2): superest igitur ut Montfauconius scriptiunculam de Sibyllis primus protulerit. Utrum quintum amphilochiorum editorem Spierium dicam, haud satis scio; et merito id dubito. Nam Theophilus quidem Harlesius semel et iterum ait (3) " Iustum Spierium anno MDCCXXXVIII quodam in libro germanica lingua ,, scripto dedisse adnotationes ad Photii amphilochia, et in fine quaedam ex his ,, amphilochiis nondum edita ,,. Iam vero quid Spierius in eo germanico libro, quo careo posuerit, nescio: sed quoniam video germanum hominem eruditissimum Wolfium triennio post Spierii librum vix elapso amphilochianas quaestiones depromere, nihilque de Spierii curis, in praefatione ceteroquin curiosa, dicere, nescio inquam quid ego demum temporibus locoque distans de Spierii opere iudicem, quod aetate par et in limine versans Wolfius non agnovit. Sequitur iam sextus mul-

(1) Bibl. coisl. p. 346-348.

(2) Praef. ad cur. T. III. p. 7.

(3) Supplem. ad introd. hist. ling. gr. tom. II. p. 47; et addit. ad Fabr. bibl. gr. tom. XI. p. 26.

to praedictis copiosior amphilochiorum editor Wolfius, a quo in philologicis curis amphilochianae quaestiones quadraginta sex (a LXXIIII ad CXVIIII) anno MDCCXLI. publicatae fuerunt; quae deinde anno MDCCLXXVIIII in gallandiana bibliotheca T. XIII repetitae sunt. Et quidem adversus Gallandium expostulare liceret, cur contra institutum suum minora patrum opera coacervandi, quaestiones a Wolfio editas receperit, antiquius editas praetermiserit; nisi iam dixissem ignotas Gallandio fuisse ceteras, id quod eius quoque praefatio satis demonstrat. - Inter eos qui de amphilochiis vulgandis solliciti fuerunt, proximus nobis aetate fuit πολύιστωρ Andresius, vir magnus meique dum vixit amantissimus, qui de anecdotis neapolitanae bibliothecae prodromum scribens, amphilochiorum quoddam fragmentum diu commendavit, atque ut luce donaretur, magnopere auctor fuit. Quod autem fieri optavit Andresius, id mox magna cum laude praestitit vir illustrissimus Angelus Scottus, bibliothecae post Andresium praeses, et regiorum principum in litteris institutor. Nimirum is, qui septimi editoris locum obtinet, amphilochia duodeviginti, praeter praefationem, cum sua interpretatione scholiisque Neapoli typis excudit; usus etiam vaticani codicis suppetiis aliquot, quas cl. noster Amatius ad eum submisit. Amphilochia igitur ante me sex edidit Canisius, Stewartius I, Combefisius II, Montfauconius I, Wolfius quadraginta sex breviora, Scottus duodeviginti. Summa itaque ante me editorum amphilochiorum, LXXIIII. Octavus demum editor ego sum, qui viginti amphilochia hoc volumine exhibeo: quare centenarius iam numerus propemodum expletur. Atqui codex vaticanus tredecim continet supra trecenta. Sed tamen scimus reliqua ex his complura inter epistulas a Montacutio editas iamdiu extare. Insuper ego dedi operam ut amphilochia plerumque longissima, dilatis brevioribus, ad edendum deligerem. Quibus rite perpensis, dimidiam fere operis partem post me adhuc ineditam superesse iudico.

III. Iam editionis meae ratio etsi simplex est, labore tamen ac difficultate non caruit. Nam in primis tantam operis partem ex antiquo codice exscribere, apte digerere, orthographia pausisque interpungere, mendis etiam aliquot perpurgare, non levissimum negotium fuit. Eo accessit latinae interpretationis elucubratio, qua Photium necessario declarandum putavi, propter eos qui graece nesciunt vel qui graece se scire simulant. Sed tamen ut citior editor fierem, paulo incultior interpres videri malui: igitur quicquid menti primum occurrit, id fere calamo pinxi, expoliri autem sermo non potest, nisi quem decens mora limaverit. Curavi tamen ubique, ut graecam veritatem latina servaret translatio. Adnotationes raras subtexui; his enim lectores carere facilius poterant: biblicarum autem auctoritatum, quae tot a Photio laudantur, sedes proprias in libri marginibus demonstravi. Quaestiones ipsas, quae in codice continenter scribuntur, in articulos minores distinxi, quo scilicet perspicuitati sermonis consulerem, et iis qui locos citabunt rem commodam facerem. Ceteroqui ordinalem numerum, quo unaquaeque quaestio notatur in codice, idcirco servavi, ut ne tum quidem citandi ratio varietur, cum universum opus extabit. Illud verissime testari queo, me de codice vaticano amphilochia omnium ferme potissima decerpsisse; quae nimirum vel ipsa prolixitate De mea editione.

sua, vel argumento gravi et theologico, vel doctrinae altitudine, vel novitate aliqua commendabantur, et quae neque cum amphilochiis editis, neque rursus cum epistulis congruebant. Profecto in his tanta rei bonae copia est, ut quas de hoc opere laudes Allatius, Wolfius, Andresius, Scottus aliique pleno ore praedicaverunt, eas nemo, ut spero, nimias iudicaturus sit. Mihi vero cogitanti permirum videri solet, qui fieri potuerit ut Photius in saecularibus curis muneribusque versatus usque ad episcopatum, ad quem laicus subito evectus fuit, tantam divinarum scripturarum atque abstrusioris theologiae notitiam facultatemque adeptus fuerit. Tres tamen in latinis occurrunt patribus, quos aequo iure Photii ingenio opponamus; hique sunt Cyprianus, Ambrosius, atque Augustinus; quorum primus a foro et honoribus ad sanctuarium subito transiit, et tamen in acutissimis ecclesiae theologis reputatur. Secundus a saeculari Liguriae praefectura ad infulas repente raptus, niholominus tantam mox edidicit sacrae doctrinae copiam, quantam edita eius opera demonstrant; praeter illa quae celeberrima olim, nunc amissa querimur. Augustinus item profanis studiis usque ad adultam aetatem innutritus, brevi mox maximum omnis theologiae lumen inclaruit. Iam qui sacrae hermeneuticae canones cognoscere avet, is Photii primam quaestionem, tum vigesimam, tum alias aliquot, tum denique CCLXmam adeat. Bibliorum locos qui repugnantium speciem habent, recte conciliant complures ex his quaestiones, ut VI. XXIIII. etc. Nonne ipsa theologiae penetralia cernimus in quaestionibus de baptismo et de vitae termino? Utique et illae de personarum divinarum proprietatibus persubtiles perque accuratae sunt. Nonne demum componendis moribus prosunt illae de eucharistia, et de providentia, et de sempiternis scelerum poenis?

Controversiae aliquot de amphilochiis.

IIII. Age vero quia hoc opus ad Amphilochium scribi videmus, nemo existimet, omne id quaesitis ab hoc homine forte propositis respondere. Est enim hic sollemnis προσφωνούντων mos, ut ob captandam scribendi ansam, rem eiusmodi fingant. Sic Eusebium simulavisse puto, dum ad Stephanum Marinumque scriberet. Sic Theodorus mopsuestenus, teste Ebediesu in catalogo, singula prope opera ad amicos misit, quasi ab iis rogatus fuisset: et sic ab aliis ecclesiae patribus, nec non a scriptoribus ethnicis factitatum scimus. Profecto Photii has quaestiones non ad unum missas fuisse vel inde patet, quod ex his complures in epistulis ad varios mittuntur homines: tum etiam quod loci multi in commentariis biblicis a Photio tractati, deinde in amphilochia translati fuerunt. Ergo ex his recte concluditur, Photium quum multa in epistulis, in commentationibus, in homiliis, de sacra doctrina disseruisset, ad extremum praeclare et utiliter cogitavisse de universis scriptis his in unum corpus coacervandis; quod quum mitteret honoris ergo ad amicum Amphilochium, nomen inde subortum est, vel Photii ipsius vel posterorum voluntate, *amphilochia*. Iamdiu quidem dubitavit Fabricius (1) num auctores catenarum evangelicarum locos Photii, quos identidem proferunt, ex amphilochiis mutuati sint, an potius ab eiusdem qui aliquando extiterint commentariis evange-

(1) Bibl. gr. ed. nov. T. XI. p. 27.

licis. Ego utrumque factum indico; neque solum abs catenarum auctoribus, verum ab ipso Photio materiam eandem non uno in loco neque semel usurpatam existimo. Nam et in catenis reapse plures loci photiani occurrunt, qui in amphilochiis, quae nunc omnia novimus, non comparent. Et quidem scholiorum Photii ad Lucam ineditorum ego ipse in prima huius voluminis editione specimen exhibui post Apolinarium: plura daturus, nisi pleraque agnovissem in amphilochiis vel in epistulis prope ad verbum repeti. Quam rem ut lectoribus probem, idoneis argumentis parcendum non est.

1. Matthaei locum XI. 17. quo aiunt pueri *cecinimus vobis* etc. interpretatur iisdem verbis Photius tum in catena vaticana cod. 758. p. 28, tum in amphilochiana quaestione 34. a Scotto edita.

2. Lucae locus II. 35. *et tuam ipsius animam pertransibit* etc. illustratur a Photio tum in catena vaticana cod. 1933. p. 63, tum etiam in amphilochiana quaestione 176.

3. Luc. XIII. 14. *respondens archisynagogus.* Verbi ἀποκρίνομαι notiones variae enucleantur a Photio breviter in catena vat. 1933. p. 368, tum prolixius et doctius in amphilochiana a me edita 21.

4. Luc. XVI. 26. de epulone et Lazaro Photii locus est in catena vat. 759. p. 66, qui scribitur in epistula edita 52. Porro et locus adversus Origenis errorem de poenis peccatorum minime aeternis, qui ibidem paucis verbis in catena ponitur, is inquam praetermittitur in epistula 52, sed de eo copiose in prima disseritur.

5. Luc. XXII. 36. *nunc qui habet sacculum* etc. Locum hunc tractat Photius in catena vat. 1933. p. 557, itemque amplissime in amphilochiana prima quaestione iisdem fere verbis utens.

6. Luc. XXII. 44. Locum de sudore Christi sanguineo, in eandem sententiam iisdemque verbis explicat Photius tum in catenis vat. 759. p. 211, et 1933. p. 562, tum in epistula 138.

7. Luc. XXIII. 25. Disserit Photius in catena vat. 758. p. 78. de Christi sanguine redemptionis pretio, quod ipsum iisdem fere verbis fit in amphilochiana 24.

8 Luc. XXIIII. 31. verba *aperti sunt oculi eorum* eodem modo explicantur a Photio in catena vat. 759. p. 253, atque in amphilochiana quaestione nondum edita 14.

9. Luc. XXIII. 50. De Iosepho ab Arimathaea narratio est apud Photium initio epistulae 91. Verum eadem scribitur uberius in catena vat. 759. p. 244. Atque ego vix dubito quin ex illa Photii oratione in Domini sepulturam, quam Combefisius (1) in mazariniano codice vidit, sed quia carebat exordio edere noluit, vix inquam dubito quin hoc Photii elegans ἀποσπασμάτιον de Iosepho ab Arimathaea vaticanus eclogarius decerpserit, quod speciminis loco non me piget exscribere. Pergit enim ad Pilatum Iosephus, eumque ut sibi Christi corpus concedat composita oratione

(1) Auctar. nov. PP. p. 1605.

sic deprecatur: δός μοι φησὶν ὁ Ἰωσὴφ, εἰ βούλει, θάψαι τὸν νεκρὸν τοῦ Ἰησοῦ, ὃν οἱ γνωστοὶ πάντες ᾤχοντο καταλιπόντες, οὗ πολλοὶ μὲν συνέῤῥεον ἐπὶ τῷ πάθει θεαταὶ, νῦν δ' οὐδεὶς ὑπέμεινεν, οὐδὲ τῶν φίλων, ἐνταφιαστής· ἄπεστι σοι φόβος βασιλείας· τέθνηκεν ὁ τὸ κράτος μὲν τῆς ἐξουσίας ἁρπάσαι κατηγορούμενος, μέχρι δὲ καὶ αὐτῆς προφάσεως ἀθῶος ὀφθεὶς παντὸς ἀδικήματος· ὃν προφητόκτονος γλῶσσα καὶ φωνὴ καὶ χεῖρες, σοῦ δοκοῦντος φέρειν φιλανθρωποτέραν ψῆφον, ὑπὸ κρίσιν ἤγαγον θανάτου· δός μοι χάριν ὁμολογεῖν, δι' ἧς ἑτέρους οὐδὲν ζημιοῖς· οὐδὲ γὰρ οὐδ' ὁ τῶν Ἰουδαίων ὄχλος ἀνιάσεται γῇ μαθόντες τὸν ἐχθρὸν καλυπτόμενον· μᾶλλον μὲν οὖν δυσχεραίνουσι καὶ νεκρὸν τὸν ὑπ' αὐτῶν μισούμενον βλέποντες· τοῦτο μὲν τὴν αὐτῶν μιαιφονίαν τῷ σταυρῷ θριαμβεύοντα, τοῦτο δὲ τῶν ὁρώντων τὸν ἥλιον ἕλκοντα, καὶ τῶν σταυρωσάντων ἐκκαλούμενον μυσάττεσθαι τὴν ὠμότητα· οὐδὲ τὴν Καίσαρος ἐπισείουσι φιλίαν, οὐκ εἶ φίλος λέγοντες τοῦ Καίσαρος, εἰ νεκρὸν δίδως τῇ γῇ κατορύττεσθαι· ἀπροφάσιστος, εἰ βούλει μόνον, ἡ πλήρωσις τῆς αἰτήσεως. Τούτοις τὴν τοῦ Πιλάτου καταπᾴδων ψυχὴν, τυγχάνει τοῦ σκοποῦ, καὶ λαμβάνει καθαιρεθὲν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, καὶ τῆς συνήθους ἀξιοῖ φροντίδος.

Fontes amphilochiorum, seu Photii plagia.

V. Iamvero ut a se ipso multa sumpsisse (1) Photium vidimus (nam plura nobis persequi non vacabat) ita eum non pauca quoque ab aliis, pro re nata vel prout institutae suae scriptionis ratio poscebat, tacito licet auctorum nomine sumpsisse comperimus. In exordio quaestionis de voluntatibus gnomicis, ait Photius se idcirco hanc lucubrationem instruere, quia nemo e sanctis dignisque obsequio patribus eam ad liquidum perduxisset, vel quicquam frugi de hoc argumento dixisset, magno Maximo excepto. Porro statim Photius plane ad verbum expilare incipit s. Iohannis damasceni opus de fide orthodoxa, suppresso auctoris operisque titulo: quam rem deprehendere licet comparato Photii textu cum Damasceno Lequinii T. I. p. 187. sqq. Nequid de Anastasii sinaitae hodego dicam, cuius aeque definitiones clam Photius sectari videtur. Utique Photius in amphilochiana quaestione XL. anonymo auctore se uti dicit, quem Damascenum intelligendum esse tempestive monuit nos Photii interpres cl. Scottus. Quaestionem amphilochianam amplissimam CXLVIIII de vitae termino universam nullo verbo commutato Photius e Germani patriarchae penu ad se clam transtulit. Item quaestiunculam CLII de obscuritate s. scripturae tacite ad verbum sumpsit Photius e Polychronii prologo ad Iobum: quae brevis lucubratio, quia non extat cum ceteris Polychronii ad Iobum excerptis, a me libenter edita fuit. Denique quaestionem CLIV de variis bibliorum sacrorum editionibus tacite ad verbum exscripsit Photius ex edita pseudo-Athanasii quaestione, sive etiam ex Epiphanii panario: id quod ego sentiens, scriptum praetermisi. Ceteroqui ne gravius accusare Photium videar, hoc quoque observandum est, Photium ipsum in suo amphilochiorum prohoemio, tum etiam quaestione I. cap. 10. (quo postremo loco de superioribus bibliorum interpretibus mira cum reverentia loquitur) manifeste dicere, se acceptis ex illa vetustate seminibus, longe accuratiores contradictionum solutiones in medium proferre. Idque Photii dictum neque falsum, ut puto, neque arrogans est; quandoquidem hae Photii quaestiones seu biblicae seu theologicae, etsi non omnes pari pondere ac dignitate sunt, tamen veterum multorum de simili re scriptionibus

(1) Id fatetur ipse Photius prohoem. amphiloch. apud cl. Scottum.

praestare videntur: et quidem, exempli gratia, caesariensis Eusebii quaestionibus evangelicis, quominus has photianas anteferam, nullus ambigo.

Photii responsa canonica.

VI. Vestiganti mihi in vaticanis pluteis Photii scripta, ignotum quoddam praeter spem se obtulit in codice vetere palimpsesto, breve equidem sed tamen non contemnendum. Prior palimpsesti scriptura quadrata est, continetque partes sacrarum rerum Leontii, de quo opere in alio volumine locuturus sum. Scriptura posterior, saeculi ferme XIII, habet opus Eusebii de situ et nominibus hebraicorum locorum: et quidem ad normam huius rarissimi codicis, qui fuit olim cardinalis Sirleti, textum operis eusebiani fuisse refictum docet Vallarsius in Hieronymi editione T. III. Sequuntur in codice glossaria quaedam, tum de mensuris ponderibusque opuscula, nec non theologicae aliquot definitiones. Exin Photii canonica responsa quinque, cum eo titulo quem in nostra editione graece scripsimus. Photium denique subsequuntur Gregorii theologi quaedam, et pauca anonyma. Profecto et ipse palimpsestus in extremis codicis foliis a priore et maxima sui parte differt; habet enim actuum apostolicorum fragmenta, vetustioribus, quam Leontii opus, litteris exarata. Sed enim his interim omissis, de Photii scripto breviter mihi dicendum est, quod ad Leonem Calabriae archiepiscopum mittitur. Calabriae sedem episcopalem inter eas numeratam video, quae patriarchae byzantino parebant, in novella Leonis sapientis (1), qui Photii alumnus fuit: eique sedi honoris gradus inter Mocissum Larissamque tribuitur. Porro utrum Calabria intelligenda sit Argivorum insula, in qua olim Demosthenes venenum hausit, an potius Italiae provincia, haud scio an merito dubitare liceat. Nam et Italiae Calabriam in ea novella p. 100 appellari video, quo loco Severinae calabrae sedi subiiciuntur episcopi callipolitanus, acerantinus, et Castri veteris. Tum apud Porphyrogenitum them. lib. II. 10. oppidulum S. Severinae prope Crotonem ponitur. Atque his in locis graecae ritum ecclesiae partim adhuc vigere docet Ughellius tom. VIIII. p. 475. Profecto aetate photiana extremam illam Italiae partem in byzantini patriarchatus finibus fuisse comprehensam, multis documentis comprobatum est; et certe a dicta iam imperatoris novella. Immo vero Leonem hunc Calabriae italicae archiepiscopum fuisse vix dubito, dum considero photiani cuiusdam inediti operis adversus Latinos (de quo opere mox) locum, ubi enumeratis Italiae et occidentis variis populis qui Pontifici romano parebant, ab is Photius excipit Calabros, quos ait cum Graecis consentire. Sed tamen Leo certe Rhegii episcopus octavae synodo contra Photium celebratae subscripsit (2): idemque in pseudo-synodo photiana apparuit (3): quam rem Coletus in Ughellii (4) emendationibus sapienter notavit, atque ita Leonem non dubio ordine in rheginorum episcoporum serie constituit. Sed ecce in praedicta novella p. 100. rheginus episcopus a calabro satis distinguitur. Porro ego auctor sum ut de finibus byzantini patriarchatus legatur etiam perdoctus Bressius in Melitae antiquitatibus (5), qui leoninae novellae auctoritatem post alios criticos ventilat. Ad rem nostram

(1) Apud Leunclavium de iur. gr. rom. p. 88.
(2) Hard. concil. T. V. p. 929.
(3) Colet. conc. T. XVII. p. 374.
(4) Tom. VIIII. p. 324.
(5) Lib. VI. 15.

quod adtinet, constat Leonem Calabriae archiepiscopum postulavisse a Photio patriarcha suo, atque a synodo quae apud ipsum celebrabatur, dubitationum quarumdam solutiones: cui honestae petitioni occurrens Photius, capita quinque rescripsit: quae ego ut de re canonica bene, ut spero, mererer, latina feci, scholiis aliquot declaravi, et si cum amphilochiis in hoc volumine ederem, pretium operae fore iudicavi.

Photii scripta inedita.

VII. Superest iam ut ineditorum adhuc Photii operum, non omnium quidem sed quorum nobis edendorum non remota copia est, notitiam scribam. Neque est quamobrem magnopere abhorreamus a Photii vulgandis scriptis, dummodo haec idoneis refutationibus, ubi res postulat, instruantur. Profecto videmus Leonem Allatium catholicum in primis hominem, et graecanici schismatis perpetuum oppugnatorem, promisisse non semel in suis scriptis se Photii omnes epistulas editurum, quarum tamen secunda contra Spiritus sancti processionem a Filio tota disputat. Quin immo idem Allatius omnium Photii operum colligendorum atque edendorum hortator fuit (1). Tum etiam Combefisius dominicani ordinis decus epistulam Photii graece edidit (2) ad patriarcham aquileiensem, a Baronio antea latine publicatam, quae pariter sancti Spiritus a Filio processionem negat. Baronius quoque ecclesiasticae historiae parens complures Photii litteras quamquam hostili animo scriptas vulgare non dubitavit (3). Illud vero insigne est, quod Clemens papa XI. photianam pseudo-synodum, fraudibus ut scimus plenissimam, e vaticano graeco codice describi vulgarique iussit (4). Et quidem ipse nefarii Corani liber nonne ab Innocentii papae XI. confessario Maraccio editus fuit? His autem postremis annis duos video pientissimos ecclesiae catholicae sacerdotes, quorum nomina in litteris perillustria sunt, Iohannem inquam Andresium (5) et Iacobum Morellium (6) de vulgandis omnibus Photii scriptis alterum cupide, serio alterum cogitavisse, quorum postremus conspectum quoque editionis iam concinnaverat. Utinam vero vir alius italus, qui Photii lucubratiunculas aliquot calente schismate scriptas florentinis typis edidit (7), utinam inquam romanis in quibus natus erat sacerdotiumque gerebat partibus, impensius favisset, nec ea incaute in scholiis dixisset, quae interdum piis auribus parum placent! Sed age ineditorum Photii operum syllabum expediamus.

1. Amphilochiorum pars ferme adhuc dimidia in vaticano codice, de quo supra locutus sum, alibique superstes, editorem me vel alium quemvis expectat.

2. Photii odae tres suavi carmine scriptae, mediocris prolixitatis, extant in vetere codice Barberiniorum CCXLVI (itemque in eius recenti apographo) inter aliorum auctorum bene multos multaeque elegantiae graecos hymnos, quorum ii saltem qui morum honestati non obsunt, haud diutius in tenebris continendi videntur, neque sinendum ut Photii quoque musa cum his invita sileat. (Immo vero odas Photii novem in mss. collegii apud Gallos claromontani extitisse ait Labbeus nov. bibl. mss.

(1) In epistula apud Andresium prodrom. mss. neap. p. XCII.
(2) Auctar. noviss. PP. p. 527.
(3) Hist. eccl ed. Lucae T. XV.
(4) Colct. concil. T. XVII. p. 574.
(5) Prodrom. loc. cit.
(6) Catalog. mss. venet. p. 95.
(7) Nov. delic. erud. T. I.

p. 139.) Photii tres illae odae sub codicis barberiniani fine leguntur; quarum prima est ἐκ προσώπου Βασιλείου δεσπότου ad Deum; in ea scilicet loquitur ipse Basilius. Altera ἐκ προσώπου τῆς ἐκκλησίας εἰς Βασίλειον φιλόχριστον βασιλέα; ecclesia nimirum alloquitur imperatorem. Tertia ode ἐγκωμιαστικὴ εἰς Βασίλειον τὸν φιλόχριστον δεσπότην. Notissimum est, Photium gratia apud Basilium imperatorem floruisse, cui etiam regiam coronam sumenti sacras preces praeivit; mox ab eodem in exilium actum fuisse. Utramque rem narrat etiam Hamartolus in vaticano codice ineditus pag. 202. b: ὁ Βασίλειος ἐκ τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς τὸ στέμμα ἀράμενος δίδωσι Φωτίῳ τῷ πατριάρχῃ· καὶ εἰσαγαγὼν αὐτὸν ἐν τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ, ἐποίησεν εὐχὴν ἐπ' αὐτῷ· ὁ δὲ πατριάρχης τὸ στέμμα ἐξενεγκὼν τῷ βασιλεῖ ἐπιδέδωκε· καὶ τῶν σκήπτρων ἀνοιγόντων ὡς ἔθος, ἔστεψεν ὁ Μιχαὴλ τὸν Βασίλειον. Patrata deinde Michaëlis imperatoris caede, pergit dicere Hamartolus p. 204. b: τοῦ Βασιλείου ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐλθόντος, καὶ τῆς ἀχράντου θυσίας μεταλαβεῖν βουληθέντος, ὁ πατριάρχης Φώτιος τῆς θείας αὐτὸν ἀπεῖργε μεταλήψεως, ἀνδροφόνον ἀποκαλῶν καὶ λῃστὴν καὶ τῶν ἀχράντων μυστηρίων ἀνάξιον· ἐφ' οἷς θυμωθεὶς ὁ Βασίλειος, ἐκ Ῥώμης ἐπισκόπους ἐλθεῖν παρεσκεύασε, τόμον ἐπιφερομένους τοῦ πάπα, καὶ τοῦ πατριαρχικοῦ θρόνου τοῦτον ἐξώθησεν, Ἰγνάτιον δὲ τὸν ἐν ἁγίοις πατριάρχην προεχειρίσατο τὸ δεύτερον. Utroque Hamartoli loco utitur Zonaras XVI. 7. 8: et secundo quidem prope ad litteram. Hac vero super re legenda est Photii epistula XCVII, quae est gravis adversus Basilium expostulatio ab exilio missa. Denique moneo, alium esse Photium monachum melodum, cuius exigua στιχηρὰ sunt in codice vaticano CCXVI. p. 6, et in palatino CXXXVIII. p. 6—8. Porro ille πάνυ numquam fuit monachus: etsi iuvenem se a monastica vita non fuisse alienum, sed curis saecularibus praepeditum, narrat Photius in epistula ad syncellum antiochenum, quam et graece editam scio, et ego in vetere codice lego (1).

3. *Liber de Spiritu sancto.* Quamquam alia quaedam Photii scripta de Spiritu sancto extant, hic tamen liber luculentus et varius atque prolixus nondum lucem aspexit, etsi non uno in codice vaticano inest, atque in aliis etiam bibliothecis occurrit. Et in uno quidem ex vaticanis, scilicet CCXVI, Metrophani id opus tribui observavit Allatius (2); in quo codice libros quoque adversus Manichaeos eidem Metrophani smyrnensi episcopo (3) tribui, ego ipse vidi. Sed tamen hanc inscriptionem quis non falsam agnoscit, quam tot alii codices refellunt? Si vero locus operis consideretur, ubi de Iohanne papa sermo fit, nemo Photium auctorem esse dubitabit. Nunc ut operis conspectum exhibeam utar codice columnensi vaticano, quem sua vetustas emendatioque commendat. Titulus operis: περὶ τοῦ ἁγίου καὶ ζωοποιοῦ πνεύματος. Φώτιος ἐλέῳ θεοῦ ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης τῷ ὁσιωτάτῳ εὐλαβεστάτῳ ἐπισκόπῳ Βέδᾳ (4) ἐν κυρίῳ χαίρειν. — Ἐν πολλοῖς μὲν εἰσιν οἱ ἔλεγχοι κ.

(1) Conf. ad amphiloch. cxc. n. 1.

(2) De consensu p. 575.

(3) Metrophanem hunc Photii aequalem memorat s. Nicolaus papa epist. VIII. p. 53. Et quidem huius episcopi celebre satis nomen in illorum temporum historia est.

(4) Supra Βέδᾳ scribitur πόλεω. Tum p. 300. sqq. constat hunc Bodam fuisse orthodoxum et photianis partibus adversantem; immo et tractatum de Spiritus sancti a Filio processione scripsisse.

τ. λ. Illico Photius sophismata septem supra triginta pro suo errore de sancti Spiritus a solo Patre processione proponit; quae iamdiu sophismata in Graecia Allatii orthodoxa nec non apud alios theologos refutata scimus. Exin trigesimo octavo capitulo obiicit sibi Photius Pauli effatum *misit Deus Spiritum Filii sui*, de quo dicto raticionatur Photius usque ad quadragesimum tertium capitulum. Exin latinorum patrum Ambrosii, Augustini, atque Hieronymi verba sententiae suae repugnantia graece profert; quorum auctoritati ne acquiescat, ridiculo et pernicioso argumento utitur, nempe quod alii quoque ecclesiastici patres parum accurate de aliis rebus interdum locuti fuerint; quos inter ponit Clementem rom., Dionysium alex., Methodium, Pantaenum, Clementem alex., Pierium, Pamphilum, Theognostum, Irenaeum, Hippolytum, Basilium: quasi vero hac sermonis ratione patrum prope universae auctoritati impune resistere non possimus. Porro non tres illos solum latinos patres, sed permultos graecos orthodoxae sententiae favere, cum aliunde exploratum est, tum magnus eorum numerus coacervatur in vaticanis codd. DCVI. p. 250. sqq., et MCXV. p. 46. sqq. Exin Photius a columnensis codicis pagina 304. incipit recensere romanos Pontifices, qui processionem Sp. sancti a Patre sine additamento *Filioque* dixerunt, (quod argumentum Allatius de cons. p. 583. vel hoc uno responso satis infirmat, quod hi non dixerint *a solo Patre* sed *a Patre*; et quidem ante natam hanc controversiam sic ipsi tute loquebantur.) Sunt autem hi apud Photium Pontifices, Damasus, Caelestinus, Leo magnus, Vigilius, Agatho, Gregorius magnus, Zacharias, Leo III, Benedictus III, Iohannes VIII, Hadrianus III. (Nicolaum I, Hadrianum II, et Marinum I, utpote sibi infensos reticet pravo nec prorsus tolerando artificio Photius, quum ea res tamen esset notissima. Reapse priores duos reticeri a photianis solitos queritur Allatius de cons. p. 590.) Illam etiam clypeorum romanorum famigeratam historiam, quibus symbolum inscriptum erat, attingit Photius p. 312, super qua legendas saltem Allatius de cons. p. 580. 581, et contra Hotting. p. 418. Post haec, paucis additis epichirematibus, finem libello Photius imponit. Quoniam vero Photius perhonorifice de his romanis Pontificibus, loquitur, placet eius verba carptim heic recitare. P. 304. ὁ τρισόλβιος Δάμασος, ὁ τὴν δευτέραν σύνοδον, ἧς τὰ σέβατα τῆς οἰκουμένης τὰ δόγματα στέργουσιν, ἐπικυρῶν: *beatissimus Damasus, qui secundam synodum, cuius decretis orbis universus obsequitur, confirmavit.* — Λέων ὁ μέγας ὁ τὰς ἱερὰς τῆς Ῥώμης φροντίδας ἱερωτέρας ἀποδείξας, ὁ τῆς τετάρτης στύλος συνόδου: *Leo magnus qui sanctam Romae pastoralem curam, sanctiorem adhuc demonstravit, quique fuit quartae synodi columen.* P. 307. Ἐννοήσατε τὸν ὁμόθρονον τούτοις, καὶ τὴν δόξαν ἰσοστάσιον, τὸν κλεινὸν Βιγίλιον· τῇ πέμπτῃ μὲν καὶ αὐτὸς ἐφιστάμενος συνόδῳ· οἰκουμενικαῖς δὲ καὶ αὕτη καὶ ἁγίοις ψηφίσμασιν ἐκλαμπρύνεται· οὗτος οὖν οἷα δὲ κανὼν ἀπαρέγκλιτος, τοῖς ὀρθοῖς αὐτῆς ἐναρμοζόμενος δόγμασι κ. τ. λ.: *considerate etiam sedis successorem, non minore gloria fulgentem, Vigilium inclytum, qui et ipse synodo quintae praefuit, quae oecumenicis aeque sanctisque decretis claruit. Hic ceu regula inculpabilis, rectis eius synodi sententiis consonans* etc. Ibidem. Ἴδοις δ' ἂν καὶ τὸν καλὸν καὶ ἀγαθὸν Ἀγάθωνα τοῖς αὐτοῖς ἀνδραγαθήμασι σεμνυνόμενον· καὶ γὰρ καὶ αὐτὸς τὴν ἕκτην σύνοδον (οἰκου-

μενικῷ δὲ καὶ αὕτη διαλάμπει ἀξιώματι) παρὼν εἰ καὶ μὴ σώματι, γνώμῃ δὲ καὶ πάσῃ σπουδῇ, διὰ τῶν αὐτοῦ τοποτηρητῶν συνεκρότει τε ταύτην καὶ κατηγλάϊζεν: *videsis etiam praeclarum Agathonem, paribus recte gestis celebrem: nam et hic sextam synodum, quae oecumenico aeque honore fulget, etsi non corpore praesens, mente tamen omnique studio per suos legatos congregavit ac decoravit.* Ibidem. Πῶς δ' ἂν παρέλθοιμι σιγῇ τοὺς ἀρχιερέας Ῥώμης Γρηγόριον τε καὶ Ζαχαρίαν, ἄνδρας ἀρετῇ διαπρέψαντας καὶ διδασκαλίαις θεοσόφοις τὸ ποίμνιον συναυξήσαντας, καὶ δὴ καὶ θαυμάτων χαρίσμασι διαλάμψαντας; — Ὁ μὲν μετὰ τὴν ἕκτην οὐ πολλοῦ ῥυέντος ἐνακμάσας χρόνου ὁ θεῖος Γρηγόριος, Ζαχαρίας δὲ ὁ θεσπέσιος πέντε καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν ὕστερον ἔτεσιν· — Οὗτος ὁ σοφὸς Ζαχαρίας, ἄλλά τε τῶν ἱερῶν γραμμάτων τοῦ ἱεροῦ Γρηγορίου, καὶ τὰς ὡς ἐν διαλόγῳ τυπουμένας ὠφελείας, διὰ τῆς ἑλλάδος εἰς τὴν οἰκουμένην ἀπήχησε σάλπιγγος (1): *cur autem silentio premam Romae pontifices Gregorium et Zachariam, homines virtute fulgentes, qui doctrinis divina sapientia plenis gregem informaverunt, et miraculorum quoque gratia inclaruerunt? — Divus quidem Gregorius paulo post sextam synodum floruit; admirabilis vero Zacharias centum sexaginta quinque post annos extitit. — Hic sapiens Zacharias, cum alia sancti Gregorii scripta, tum etiam utile illud opus dialogi forma praeditum, graeca tuba universo orbi proclamavit.* P. 310. Χθὲς καὶ οὔπω δευτέρᾳ γενεᾷ (2) παρῆλθεν Λέων ἐκεῖνος ὁ περιώνυμος, καὶ θαύμασιν (3) ἔχων ὅστιν εἰς ἐνυμνεῖσθαι: *nuper, nondum altera elapsa aetate, vita excessit Leo ille celeberrimus, qui prodigiis etiam inclaruit.* P. 311. Ὁ πρᾷος καὶ ἐπιεικὴς καὶ ἀσκητικοῖς ἀγῶσιν ἐναγλαϊζόμενος, ὁ κλεινὸς Βενέδικτος, ὁ μετ' ἐκεῖνον τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου διάδοχος: *mitis ille et pius et asceticis certaminibus famigeratus, inclytus Benedictus, qui in supremam Leonis cathedram successit.* P. 312. Ὅτι δὲ ὁ ἐμὸς Ἰωάννης (ἐμὸς γὰρ τά τε ἄλλα, καὶ ὅτι πλέον τῶν ἄλλων ἐξῳκείωτο τὰ ἡμέτερα) οὗτος τοίνυν ὁ Ἰωάννης ἡμέτερος, ὁ τὸν νοῦν μὲν ἀνδρεῖος, ἀνδρεῖος δὲ τὴν εὐσέβειαν, ἀνδρεῖος δὲ μισεῖν καὶ καταβάλλειν ἀδικίαν πᾶσαν καὶ δυσσέβειαν, καὶ οὐχ ἱεροῖς θεσμοῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ πολιτικοῖς ἐπαρκεῖν δυνάμενος, καὶ τὸ ἄτακτον εἰς τάξιν μεταβάλλειν· οὗτος ὁ κεχαριτωμένος τῆς Ῥώμης ἀρχιερεὺς διὰ τῶν αὐτοῦ θεοσεβεστάτων καὶ περιδόξων τοποτηρητῶν Παύλου καὶ Εὐγενίου καὶ Πέτρου τῶν ἀρχιερέων καὶ ἱερέων θεοῦ, ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς συνόδῳ παραγεγονότων, ὡς ἡ καθολικὴ τοῦ θεοῦ ἐκκλησία, καὶ οἱ πρὸ αὐτοῦ τῆς Ῥώμης ἀρχιερεῖς, τὸ τῆς πίστεως ἀποδεχόμενος σύμβολον, γνώμῃ καὶ χερσὶν ἱεραῖς τῶν εἰρημένων περιφανεστάτων καὶ θαυμασίων ἀνδρῶν, ὑπέγραψέν τε καὶ ἐπεσφραγίσατο. Ναὶ δὲ καὶ ὁ μετ' ἐκεῖνον ἱερὸς Ἀδριανὸς συνοδικὴν ἡμῖν ἐπιστολὴν (4), ὥσπερ ἔθος παλαιὸν, ἀναπέμψας, τὴν αὐτὴν εὐσέβειαν

(1) Eandem narrationem habes apud Photium etiam in bibliotheca cod. CCLII; quo loco de utroque pontifice perhonorifice loquitur; et gregorianum illud opus de vitis sanctorum perutile iudicat, nedum fidem ullam ei derogat.

(2) Videtur heic Photius sequi illorum sententiam qui *γενεὰν aetatem* definiebant triginta annorum periodum. Nam s. Leo IV. obiit anno 855. Photius scribebat haec sub Hadriano III, qui pontificatum adiit anno 884. Confer Euseb. quaest. p. 40. n. 1. Aliter, ut puto, Photius in amph. CXLVIII.

(3) Narrantur haec in s. Leonis IV. vita prodigia, quibus nunc commodo accedit Photii suffragium ac testimonium.

(4) In editione card. Caraffae ingens lacuna est epistularum pontificiarum a Iohanne VIII. usque ad Leonem IX. annis fere CLXX. Quare et haec Hadriani III. ad Photium, si vera est, epistola desideratur. Photius autem eius dicto abutitur, non secus ac vetustiorum pontificum formulis, ut

δι᾽ αὐτῆς ἀνεκήρυττεν, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ἐθεολόγει ἐκπορεύεσθαι: Iohannes meus (hic enim meus est, tum ob alias causas, tum quia res meas praecipue cordi habuit) hic, inquam, Iohannes noster virili mente virilique pietate praeditus, qui quodvis iniquitatis impietatisve genus viriliter odit atque expulit; neque sacris tantummodo condendis legibus, verum etiam politica prudentia valuit, atque ad ordinem res turbatas revocavit; hic inquam gratiosus Romae pontifex per suos religiosissimos atque illustres legatos Paulum Eugenium ac Petrum pontificali sacerdotalive dignitate fulgentes, qui ad synodum nostram convenerunt, non secus ac ecclesia catholica eiusque decessores pontifices, fidei symbolo recepto, mente lingua manibusque subscripsit, idemque confirmavit. Sane et eius successor sacer Hadrianus, synodicam ad nos more vetere mittens epistulam, eandem fidei rationem in ipsa ostendit, et Spiritum a Patre procedere censuit.

Photii de Iohanne octavo verba duplicem mihi suppeditant gratissimum fructum. Nam 1. non de nihilo est, quod Iohannem Photius *virilem* ter dicit: sine dubio enim respicit atque oblique refutat crimen animi imbellis, quod huic Papae vulgo iam impingebatur, quia Photium teterrimum hostem et tot antea anathematibus percussum, in byzantinam sedem reponi passus fuerat. Hinc orta Iohannae papissae fabula, de cuius origine quum multi rumores diditi fuerint, rem acu tetigisse nunc Baronium videmus ad an. 879. cap. 5, qui idcirco hunc Papam dictitatum fuisse feminam existimavit, quia visus esset ob nimiam animi facilitatem et mollitudinem, abiecta penitus omni virilitate, sacerdotalem constantiam amisisse: adeoque non Papam, ut Nicolaum I. et Hadrianum II, sed papissam contumeliae loco dictum, utpote qui ne eunucho quidem restitisset; qualem revera fuisse Photium fama tulit. Et miror Allatium, qui in peculiari de Iohannae papissae fabula dissertatione quum nonnulla ex his Photii testimoniis circa romanos pontifices recitaverit, hoc circa Iohannem praetermiserit, neque ex eodem facilem fabulae quam poterat, Baronio etiam duce, interpretationem fecerit. Hinc videmus Pagium quoque in Baronii critica frustra sibi plausisse de huius fabulae origine a temporibus photianis exclusa, et ad saeculum XIII. pertracta.

Alter maior fructus est, quod quum Photius hoc loco glorietur de legatorum Papae in byzantino concilio facilitate nimia et adsensu, quem tamen Papae mittenti frustra tribuit (Iohannes enim ut Photius tantummodo restitueretur in mandatis dedit; quicquid reliquum legati sui fecissent improbavit, ut ex eius epistulis demonstrat Binius concil. ed. Coleti T. XVII. p. 366. sqq.; Photius autem omnia in synodo impotenter, fraudulenter superbeque gessit; qua de re legantur Baronius, nec non Natalis Alexander saec. IX. diss. V. 27.) nihilominus spuriam eam Iohannis papae epistulam, quam in pandectis Beveregius edidit, et deinde in Coleti quoque conciliorum editionem p. 523. receptam video, nullo modo Photius commemorat. Atqui si illa epistula reapse ad Pho-

iam diximus p. xxiv. Et quidem, ut recte observat Lequinius diss. I. damasc. cap. 39, romana ecclesia numquam Graecis diserte imperavit ut symbolum ea particula augerent, quamquam hi rei ipsi fidem adiungere teneantur. Atque ita adhuc intactum Graeci quoque catholici symbolum recitant. Quid ergo mirum si Hadrianus III. ita fortasse locutus est?

tium missa fuisset, in qua disserte additio *Filioque* vetatur, eiusque auctores cum Iuda reputantur; fieri non poterat quin hoc loco Photius eam vel recitaret vel saltem disertis verbis appellaret: quod quum non faciat, sequitur hinc argumentum certissimum contra eius epistulae veritatem; quam primus sapienter acuteque negavit Baronius ad an. 879. cap. 54-59, et confictam a graeculo papae Iohannis nomine pronunciavit. Argumentum hoc cumulat idem Photius epistula ad patriarcham aquileiensem supra memorata (quae in multis cum praesenti opusculo congruit, parique pede pergit) in qua cap. XXV, de Iohannis octavi legatis qui suae synodo interfuerunt loquens, quos etiam symbolo secum subscripsisse ait, nullam tamen Iohannis papae epistulam pro se citat; quae si ulla fuisset, sine dubio Photius eam ibi protulisset aut memorasset; id quod Baronius nec non Lequinius in dissertatione I. damascenica cap. XXII iamdiu observaverunt: idemque denuo Lequinius sapienter notavit, confictam a Graecis videri epistulam, non abs Iohanne papa scriptam; siquidem diaconus ille, qui s. Gregorii vitam eidem Iohanni papae inscripsit, queritur de Graecis in praefatione, qui vocem *Filioque* delere solerent. Atqui hanc querelam diaconus apud Iohannem papam non cecinisset, si hic illud incrementum apostolicis diserte litteris improbavisset.

Satis iam dixisse videmur contra mendacem eius epistulae auctoritatem: sed tamen, ut in re seria et gravi, reliqua etiam quae suppetunt argumenta non reticebimus. 1. In apostolicae sedis archio secreto nulla antiquiora regesta sunt, quam Iohannis papae octavi, scripta litteris vulgo dictis beneventanis circa saeculum decimum; isque codex a casinatibus monachis apostolico Domino olim donatus fuit. Eius ego codicis cunctas epistulas quum semel et iterum perlustraverim, calumniosae huius, de qua loquor, epistulae vestigium nullum neque latine neque graece inveni. 2. Ne in editione quidem epistularum Iohannis Papae, quam cardinalis Caraffa Romae curavit, mendax illa occurrit; quamquam Caraffae editio ex illo codice archii non fuit expressa, ut multae diversitates comprobant. 3. In duabus, quae extant Iohannis ad Photium epistulis CCI. et CCL. nulla quaestionis eius dogmaticae mentio fit: quin immo in ep. CCL. de Graecorum, praesertimque Photii, fallaciis falsisve scriptis diserte conqueritur Iohannes: *mirandum valde est cur multa, quae nos statueramus, aut aliter habita, aut mutata esse noscantur: et nescimus cuius studio vel neglectu variata monstrentur. - Quae pro causa tuae restitutionis synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus. Et si fortasse nostri legati in eadem synodo contra apostolicam praeceptionem egerunt, nos nec recipimus, nec iudicamus alicuius existere firmitatis.* De dogmatica rursus quaestione altum silentium est in epistulis quoque CIC. et seqq. ad imperatores, et episcopos, atque legatos: quamquam sentio me quaestionem huiusmodi frustra persequi, quam iam Binius in praef. ad pseudosyn. satis tractavit. 4. Pseudosynodum photianam e vaticano codice editam supra dixi: eadem tamen non uno sed quinque vaticanis codicibus continetur, 1115. 1147. 1152. 1183. 1918, quos omnes a me diligenter inspectos, carere illa calumniosa epistula comperi. Undenam igitur illa in lucem prodiit, vel quibusnam

codicibus inest? Utique eam Beveregius protulit (1); exin in conciliorum quoque editiones migravit (2). Ego vero hanc vidi in palatino codice CCCCIII. recentissimo, qui totus schismaticorum opusculis constat, itemque in aliquot aliis sed oppido recentibus vaticanis; qui cum omnes e Graecia venerint, et schismaticorum manu sint conscripti, nil mirum est faventem illam schismati epistulam ibi contineri. Eadem inest in vallicelliano codice C. 29. p. 81, uti egomet legens comperi; atque eius olim interpretationem a Metio suo accepit Baronius, qui et spuriam verissime et acutissime statim iudicavit (3); cui sententiae suffragatur etiam Lequinius in panoplia p. 171. Eadem denique epistula occurrit in mosquensi codice 324, teste Mathaeio in catalogo: quae denique utrum alibi etiam sit, haud alacriter vestigabo, quandoquidem suppositam esse et sycophantiae plenam, mihi et omnibus bona mente praeditis exploratissimum est.

4. Quartum Photii scriptum ineditum non uno in codice occurrit, contra Francos atque Latinos; breve oppido opusculum, constans accusationibus ad disciplinam plerumque pertinentibus, quas furiosus ille ut haereses vel certe errores passim traducit. Incipit: *ὁ πάπας Ῥώμης*. Nam quod Fabricius ed. nov. T. XI. p. 29. dicit incipere opusculum *ὅτι τὰ ἄζυμα*, ea scilicet secunda accusatio est. In praefatione Photius schismaticum se et inimicum apostolicae sedi aperte prodit, quam iamdiu cum variis occidentis populis extra ecclesiae catholicae fines positam impudenter dicit. Iamvero qui Photii verba perhonorifice de sede apostolica et de romanis pontificibus dicta, sive in pseudo-synodo dum eius restitutio fiebat, sive in supradicto opere de Spiritu sancto, quod post reconciliatam quoquo modo gratiam scripsit, cum his maledictis conferet, is Photium haud ulla veritatis specie commotum, sed ira et schismatico animo sic loqui cognoscet.

5. Photii praeterea, in vaticanis codicibus scripta occurrunt 1. in cod. 1430, et in aliis, *cur evangelium Iohannis in capite ordinandi episcopi imponatur*. 2. in cod. 1119. *liturgia quaedam*; in aliis tamen exemplaribus Nicolao patriarchae tributa. 3. In codice palatino 361. p. 208. extant excerpta ex Nicephoro et Photio patriarchis et Theodoro studita *de iconomachis*; quae utrum sint ex amphilochiis an ex peculiari opere, difficile est iudicare, praesertim quia tres auctores permixti sunt (4).

6. Photii epistulas duas, nempe ad principem armenium Asutium et ad Zachariam patriarcham item armenium, memoratas video in catalogo interpretum armeniorum a doctis PP. Mechitaristis ante hos annos edito p. 33. Et quidem secunda epistula iamdiu usus erat Galanus (5); eamque ego et satis prolixam, et apud praedictos Mechitaristas superstitem scio (6).

7 Photii syntagma canonum, ineditum adhuc, mihi in manibus est; opus sane magnum et utile, atque a me sine dubio vulgandum. Interim moneo magnam esse in codicibus circa hoc opus confusionem, nam pro syntagmate inedito, haud raro no-

(1) T. II. part. II. p. 306.
(2) Colet. T. XVII. p. 523.
(3) Ad ann. 879. cap. 54-59.
(4) De Photiano quidem opere videsis adnot. ad amphiloch. I. p. 47. n. 1.
(5) Conciliat. part. II. p. 28. 116.
(6) Samuel arm. chron. ed. Mediol. p. 65. n. 4.

bis nomocanon editus obiicitur, quae res mihi quoque olim fucum fecit, ita ut syntagma in recensendis vaticanae bibliothecae codicibus aliquamdiu non agnoscerem. Sed de re tota plenius alibi disputabo.

8. De lexico Photii quid dicam? ab Hermanno nuper in Germania editum et cum Porsonii novis curis in Anglia repetitum scimus (1). Atqui ego Hermanni exemplar, quod diu expectatum denique ad me pervenit, cum romano angelicae bibliothecae mss. exemplari (3. A. 24.) conferens, nihil simile esse cernebam. Exile est exemplar angelicum, vocabulis et auctorum nominibus differens; nullumque aliud parentis sui Photii indicium prae se fert, nisi quod voc. κρόνες, peracta definitione, dicitur οὕτως ἐγὼ Φώτιος ὁ πατριάρχης. Iamvero in vaticano quoque perantiquo et nobili anonymi auctoris lexico voc. κεραμεικὸς scribitur locus Φωτίου πατριάρχου, qui ab hermanniana editione abest. Litem igitur hanc et ambiguitatem in medio relinquo. Illud philologis utile scitu est quod in amphilochiana quaestione XXI. a nobis edita dicit Photius se lexicon suum iuvenilibus annis, adeoque multo ante patriarchatum, elaboravisse.

9. Photii patriarchae commentarios in evangelia, et in S. Pauli epistulas laudat non semel Turrianus; ego vero in vaticanis codicibus, qui catenas ad T. N. continent, Photii plurima scholia lego.

Ad extremum coarguendi sunt nonnullorum auctorum circa Photii scripta errores, ne diutius studiosis historiae litterariae fraudi sint. 1. Photii lucubrationem *in prophetas* extare in bibliotheca vaticana dixerunt Colomesius atque Cavaeus (et post hos Harlesius) Possevini auctoritate freti. Ego vero qui scirem nihil eiusmodi in vaticanis occurrere codicibus, Possevini locum appar. T. III. mss. bibl. p. 18. adii, statimque vidi turpiter lapsum in Possevino legendo sive Colomesium sive Cavaeum. Nam Possevinus scriptis trium operum Photii titulis, pergit dicere *prophetarum liber cum expositione.* Iam quia typotheta vocabulum *prophetarum* maioribus typis non expressit ut alias solet, cum ad alium vel auctorem vel librum transitio fit; idcirco contigit, ut is titulus, qui nihil aliud quam catenam quandam variorum auctorum in prophetas designat, ad significandum Photii opus pertractus fuerit. 2. Fallitur Harlesius dum bibl. gr. Fabr. T. XI. p. 30. inter Photii inedita scripta ponit *symbolum fidei*, quod quidem nihil aliud est quam pars epistulae ad Nicolaum papam, quae incipit ὅτι τῆς ἱεραρχίας, atque ab Anthimo rhemnicensi graece edita fuit. Id symbolum quum in codicibus quoque vindobonensibus extet, a Kollario similiter iudicatum est ineditum. 3. Errat Montfauconius bibl. mss. p. 123. dum ait extare in vaticano codice 3789. Photii scriptum de expulsione Ignatii ac restitutione. Immo vero nihil aliud id est, nisi narratio illa latina, quam in septima Nicolai papae epistula legimus (2). 4. E Photii anthologia fragmentum de decem oratoribus recitatur in codice regio vaticano 131. p. 21. b. Nihil vero id aliud est, quam iudicium de Choricio e Photii bibliotheca (sub anthologiae nomine) cod. 160. petitum. Quare ita existimandum est de codice etiam parisiaco apud Fabric. Harl. T. XI. p. 33, delendumque id demum ex ineditorum Photii scriptorum indiculo. De Photio hactenus.

(1) Classical journal 1823. N. LIV. p. 355. LV. p. 38.

(2) Ed. Caraf. T. III. p. 22.

DE POLYCHRONIO APAMENSI.

Notitia Polychronii.

I. Theodori mopsuesteni, celeberrimi in ecclesiasticis fastis viri, frater Polychronius fuit, teste Theodoreto in ecclesiasticae historiae extremo articulo. Est igitur aeque patria antiochenus, genere nobili, iisdem fere cum Theodoro studiis exercitus, iisdemque magistris usus. Magni quoque nomen apud Theodoretum habet (1), qui et eiusdem virtutes multas atque admirabiles narrat. Polychronius scilicet in monasterio apud Cyrum (cuius urbis episcopatum Theodoretus rexit) mortalibus omissis rebus, sublimi meditationi deditus, caelestem in terris vitam diu exegit. His animi dotibus adiungebat laborem corporis plurimum, spontaneas carnis adflictationes, vigilias prope perpetuas, paupertatis evangelicae summum studium. Prae ceteris tamen Polychronii virtutibus commendat Theodoretus insignem animi demissionem, qua omnem a se virtutis famam studiose amovebat, et a laicis quoque hominibus, ut pro se Deum orarent, postulabat. Prodigium quoque a Polychronio patratum Theodoretus refert; eum denique ob eximiam sanctimoniae opinionem omnium laudibus celebratum tradit. Quonam anno ex ascetica solitudine ad apamenses in Syria secunda infulas Polychronius transierit, mihi non constat. Theodoreti tamen historia ecclesiastica explicit anno CCCCXXVII, quo ipso anno ait historicus, Πολυχρόνιος τὴν Ἀπαμέων ἐκκλησίαν ἐποίμαινε ἄριστα: ergo is episcopus eo anno erat. Atqui anno CCCCXXXI habemus apamensem episcopum Alexandrum, qui hoc anno ephesinae synodo subscribebat: igitur hinc cognoscimus Polychronium intra hos temporis terminos vita excessisse. Certe verbum ἐποίμαινε de vivente episcopo usurpat alibi Theodoretus (2): quare Cavaeo (3) potius adsentior, qui adhuc vivum anno CCCCXXVII Polychronium existimat, quam Oudino (4), qui verbum ἐποίμαινε de vita functo intelligit, adeoque praemortuum indicat. Saxius autem in onomastico (5) Polychronium dicit apamensem episcopum ab anno CCCCX; sed plane fallitur; male, ut puto, interpungens Oudini narrationem, qui dicit Polychronium eo anno clarum, tum addit factum Apameae episcopum. Porro quum Theodoretus diserte tradat, ut diximus, Polychronium Apameae episcopum, nescio cur Lequinius (6) in eius urbis episcopis Polychronium non scribat, sed Alexandrum ponat Agapeti successorem.

Polychronii codices vat.

II. Commentarios in universum propemodum testamentum vetus scripsisse videtur Polychronius ὁ πάνυ apamensis: eius enim auctoritates passim laudantur in catenis sive editis sive adhuc luce carentibus. (Sed tamen Polychronii quoque diaconi fragmenta commentariorum ad ecclesiasten, ad cantica cantic., atque ad proverbia in mss. catenis occurrunt.) Illae certe Polychronii nostri satis copiosae reliquiae sunt, quae in catena ad Iobum a Iunio editae leguntur: quamquam illarum prologum partim desideravit Iunius, quem postea Gottingae cumulatum audio (7). Et quidem in an-

(1) Hist. relig. cap. XXIV.
(2) Hist. eccles. V. 35.
(3) Art. de Polych.
(4) Tom. I. p. 931.
(5) Tom. I. p. 476.
(6) Or. christ. tom. II. p. 911.
(7) Harl. ad Fabric. tom. VIII. p. 661. not.

tiquissimo vaticano codice litteris uncialibus scripto, in quo graecorum patrum ad Iobum scholia continentur, a catena iuniana plerumque saltem non abhorrentia, sub initiis extat is Polychronii locus de causis obscurorum bibliorum, quem non habuit Iunius, neque tamen ignoravisse videtur Crusius (1), olim vero sibi vindicavit Photius in amphilochianis qui ex eo confecit quaestionem CLII, quam in nostra editione habes. Ceterum Polychronii copias plurimas exhibent vaticani duo codices, qui catenam amplissimam in maiores minoresque prophetas suppeditant. Primus codex pervetus membraneus in fol. speciose scriptus, arabicam prae se fert narrationem, qua docemur fuisse olim κτῆμα Andronici palaeologi Michaële geniti (docti caesaris qui anno MCCLXXXIII. imperium auspicabatur). Inscriptionis arabicae auctor Athanasius III. patriarcha alexandrinus, qui reapse diu Byzantii versans consuetudine et gratia usus est supradicti caesaris, uti auctor Lequinius est (2). Idem suum nomen graece sub arabica narratione scribit, Ἀθανάσιος ἀλεξανδρεύς. Rursus alia in eodem codice recentior inscriptio graecis verbis exarata, auctore Ioachimo patriarcha item alexandrino circa annum MDLXI, docet nos hunc codicem fuisse adfixum sedi alexandrinae divi Marci a praedicto Athanasio (Alexandriam demum Constantinopoli reverso, ut tradit idem Lequinius) cum poena indissolubilis excommunicationis, siquis eum inde amoveret; quam ipsemet Ioacimus poenam disertis verbis confirmat. Memorat etiam in codice suam Ioacimus peregrinationem ad Sinaim montem, cuius rei mentio quoque est apud dictum Lequinium (3). Codex hic ab Innocentio XIII. bibliothecae vaticanae addictus fuit, eumque novit Assemanus, quamquam paucis eum verbis dignatus est (4). Alter codex vaticanus, in partes duas divisus, immani mole praeditus, membraneus, nec recens, mihi valde commodus fuit tum ad collationem atque ad emendandos superioris errores, tum multo magis ad quasdam partes supplendas quas in altero codice mador corruperat. In tam ampla praedictorum codicum segete, omissis prophetis reliquis, Danielem selegi, cuius erudita explanatio propter historicam saepe notitiam mihi prae ceteris perplacebat. Quia tamen mole rei deterrebar, Polychronium primo seorsim edendum selegi, qui prope sexaginta mihi laterculа implebat. Deinde vero ampliato consilio catenam quoque in Danielem reliquam labore impigro exscripsi, typisque simul commendandam curavi. Sed de catena mox.

III. Polychronii in Danielem non integros commentarios edimus, sed copiosa tantum excerpta, quae catenae eclogario conservare libuit. Itaque deest universus prologus; tum media complura intercepta fuerunt: quamquam tanta pars superest, ut reliquos simul Danielis interpretes Polychronius unus exaequet. Genus interpretandi doctum et grave, solidamque pietatem spirans. Syro exemplari syrus homo

Polychronii scholia ad Danielem.

(1) Epist. p. 27.

(2) Or. christ. tom. II. p. 493. sqq.

(3) Loc. cit. Quin adeo Ioacimi huius extat in cod. vat. 1147. p. 211-212 encyclica graeca ad omnes christianos, qua commendat duos monachos sinaitas, qui a suo hegumeno missi fuerant ad colligendas pro monasterio eleemosynas. Ipse Ioacimus appellat se πατριάρχην Ἀλεξανδρείας καὶ κριτὴν τῆς οἰκουμένης.

(4) Bibl. or. tom. II. p. 513, et tom. III. part. I. p. 15. n. 5.

saepenumero utitur, interdum etiam hebraico: (cuius sermonis peritum fuisse Polychronium cognoscere videmur ex amphilochiana CLII.) praeter quam quod varietate graecarum interpretationum pro re nata utitur. Verumtamen nihil magis me impulit, ut Polychronium publici iuris facerem, quam illa toto praesertim capitulo prophetae undecimo rerum syriaticarum ac regum sollers historia; ita ut dehinc qui Seleucidarum fastibus studebunt, Polychronium cum ceteris historicis consulturi sint. Nam syrus homo in Syriae et Seleucidarum metropoli natus, iisque temporibus scribens quibus adhuc patria monumenta incolumia erant, dignus profecto est cui fides plurima adhibeatur. Et quidem ex p. 11. sectatum esse Polychronium Porphyrii historias constat, quas ut optimas chronographus quoque Eusebius in syrorum regum rebus gestis prae oculis habuit. Sed tamen ex ipso Eusebio coniectare licet, Polychronium a Porphyrio interdum dissidere. Polychronii ad Danielem mss. scholiis usus interdum cum fructu est Flaminius Nobilius in criticis ad sixtina graeca biblia adnotationibus seu potius variis lectionibus; a Nobilio autem critici alii quos inter Drusius, prout res tulit, accersiverunt. Tum et anglus Broughtonus anno MDLXXXXVII cum sua danielici vaticinii explanatione tenuem numerum scholiorum Polychronii ex augustana catena delectum coniunxit, testatus se optare admodum ut reliqua ederentur ante quam codex casu aliquo, ut fit, interiret. Verumtamen Polychronii particulae a Broughtono prolatae, prae his plurimis vaticanis, oppido minimae habendae sunt.

DE CATENA PATRUM IN DANIELEM PROPHETAM.

Catena vat. in Danielem.

I. De veterum patrum ad illustranda biblia collatis symbolis, quas vulgo catenas dicimus, deque earum numero partim iam editarum partim adhuc in bibliothecis mss. latentium, deque usu earumdem et de variis commoditatibus, non repetam ea quae super hac re docti homines iamdiu satisque disputaverunt. Nota quippe est scholiorum horum utilitas primum ad sacri textus criticen, deinde ad theologica interdum dogmata confirmanda, tum ad suadendam virtutem populo, denique ad varios sacrae simul et profanae philologiae fructus progignendos. Sed laudes hactenus; praeclarius enim facimus, si ineditorum scriptorum bonam copiam lectoribus mature suppeditemus, quam si his commendandis proliziorem operam insumamus. Patrum catenam in Danielem non in vaticanis tantummodo codicibus, verum etiam in aliis extare exploratum est: eamque Broughtono atque aliis aliquot philologis visam potius quam praelibatam scio: ego vero ut integram ederem praestantia eius et antiquitate perpulsus sum. Catenae eclogarius quisnam fuerit, coniectura divinare non possum: constat autem ab eo non Danielem tantummodo sed prophetas universos commentariorum pari sylloge fuisse illustratos (1); neque orthodoxos tantummodo patres, verum etiam haereticos fuisse compilatos; ita tamen ut doctrinis pravis omissis, eas quae frugi essent et utiles in suum usum eclogarius se-

(1) Vide eclogarii praefationem ad caten.

vocarit. Catena haec e sexdecim graecis patribus coacervatur, quorum duo Polychronius et Io. Chrysostomus a me seiuncti sunt; quia priorem videlicet seorsum edidi; posteriorem inter cetera auctoris opera iamdiu legimus (1). Equidem in vaticana catena non solum Chrysostomi varietates aliquot verum etiam incrementa quaedam erant; sed ea vix tanti visa sunt, ut his librum meum satis iam fartum et plenum onerarem. Illud utiliter heic admonebo, nempe tum e vaticanis codicibus tum ex aliis quos vidi alibi, confirmari Chrysostomo auctori commentarium illum, de quo primus editor Cotelerius, magisque adeo Montfauconius subdubitaverant. Nam compendiosum et hiulcum et strigosum dicendi genus in eo commentario non inde enatum est, quia Chrysostomus, ut incredibiliter ait Montfauconius, hasce notulas primum scripserit, ut ampliores deinde explanationes adgrederetur; sed contrarium prorsus accidit; nempe ut copiosa et diffluens Chrysostomi lucubratio ab eclogario nostro pro sui instituti ratione hic illic resecta aut contracta fuerit; ita ut multo rectius Cotelerius senserit, scholia haec epitomes et eclogarum speciem habere. En igitur causa unica, ob quam criticis hic Chrysostomi commentarius suspectus fuit, iam satis depulsa est; qui sane in vaticanis catenis, et in aliis ut scio pluribus cum Chrysostomi nomine occurrit. Quare et auctor illius codicis escorialensis, quo ad edendum Cotelerius usus fuit, sine dubio hunc commentarium e catenis propter vel copiam vel praestantiam decerpserat, id quod a me nuper in Polychronio factum fuit. Nemini itaque fraudi sit Montfauconii dubitatio de Chrysostomi hoc commentario: nam et alioqui satis inconsiderate circa id scriptum edendum Montfauconius se gessit. Nonne enim ignoravit ac praetermisit prologum huius commentarii, ab Hoeschelio anno MDCII Augustae Vindel. editum? Nonne idem Montfauconius e danielicis catenis, quas noverat, augere aliquantum atque emendare scriptum id debuisset? vel certe ex multitudine exemplarium, quae Chrysostomi nomen gerunt, auctoritatem operis confirmare? Equidem aliquando probaturus sum, aliud quoque praestans opus, quod Chrysostomo testes antiqui tribuunt, Montfauconius negat neque sua editione complectitur, revera habere auctorem Chrysostomum, neque id in mss. codicibus desiderari. Sed de his hactenus, ac paene praeter propositum, quandoquidem Chrysostomi symbola a meo catenae danielicae volumine exulat.

II. Detractis Chrysostomi et Polychronii nominibus, reliqui in catena sunt patres XIIII. Quatuor ex his, Origenes nempe, Athanasius, Basilius, atque Cyrillus, vix semel aut iterum laudantur; cuius rei causa, tum etiam quia nomina eorum sunt illustrissima, nihil de his praefabor. Reliquorum notitiam brevissime scribam. *Singuli catenae auctores.*

Ammonius presbyter alexandrinae ecclesiae et oeconomus fuit, uti se dicit in subscriptione epistulae quae a clero aegyptio missa est ad Leonem caesarem Marciani successorem pro concilio chalcedonensi (2): ex quo testimonio aetas quoque Ammonii cognoscitur, nempe quod inclaruerit circa medium saeculum quintum. Ammonium vocat probatissimum ἐξηγητὴν ecclesiae alexandrinae Anastasius sinaita in anagogicis libris ad hexaemeron partim adhuc ineditis.

(1) Chrysost. ed. Montfauc. T. VI.

(2) Concil. ed. Labb. tom. IV. p. 1843.

*****

Anonymus, non ipse est eclogarius; nam p. 45. ipsius anonymi ab eclogario fiunt excerpta, omissis in medio particulis; quod in suo commentario praesente nemo faceret. Est homo antiquus et doctus, ut ceterorum huius catenae participum societate dignus.

Apolinarius ille est celeberrimus laodicenus episcopus, quo magistro gloriatur Hieronymus ep. LXXXIIII. 4. *Apolinarium laodicenum audivi Antiochiae frequenter et colui; et quum me in sanctis scripturis erudiret* etc. Ab Apolinario commentarios ad universa prope biblia fuisse exornata demonstrant passim catenae. Sed tamen nos docet Hieronymus (1), Apolinarium ex iis triginta voluminibus quae adversus Porphyrium scripsit, vigesimo sexto satis prolixo respondisse huic philosopho, qui duodecimo impii operis libro prophetam Danielem oppugnaverat. Ergo quae edimus Apolinarii ad Danielem scholia, utrum ex opere adversus Porphyrium, an ex biblico commentario dimanent, dubitare parumper liceret, nisi ea sparsim inessent, quae a polemico scripto longe recedunt, commentarii autem rationem apprime retinent. Huius tanti viri fragmenta omnia colligere valde expediret.

Eudoxius philosophus occurrit in aliquot sacrorum bibliorum catenis tum vaticanis tum etiam aliis, v. gr. in Zephyri catena ad pentateuchum, et in illa Corderii ad psalmos. Valde autem arbitrari licet hunc esse illum Eudoxium arianum, Germaniciae primo episcopum, tum Antiochiae, tum denique Constantinopoleos, medio saeculo quarto clarum. Fragmentum eius *de incarnatione* profert Lambecius (2): ego vero aliud prolixius ex antiqua sylloge inedita vulgaturus aliquando sum.

Eusebius caesariensis (cuius pauca ad hanc catenam scholia inseruntur) utrum dedita opera Danielem interpretatus fuerit, nescio. Is sane tribus voluminibus, teste Hieronymo (3), Porphyrii calumnias adversus Danielem retudit. Ergo ex his, vel etiam ex aliis operibus (certe partim ex demonstratione evangelica) pauci hi flosculi ab eclogario carpi pro libito potuerunt.

Hesychius presbyter, ille sine dubio est hierosolymitanus olim presbyter deinde patriarcha, de quo diligenter post alios historicos scripsit Cavaeus, quique saeculo septimo ineunte cognoscebatur. Saepe in aliis quoque catenis hic recurrit auctor.

Hippolytus commentarios ad Danielis vaticinium, ut multi testes adfirmant, scripsit; sed nemo adhuc integros reperit. Qui partes eius variis temporibus docti homines vulgaverunt, eos ego in loco recensui (4). In vaticanis codicibus pars adhuc mediocris erat inedita, quam libenter admodum (omissis cognitis) propter tanti doctoris et martyris reverentiam luce impertivi. In codicibus plerisque omnibus dicitur Hippolytus urbis Romae episcopus, quia nimirum Graeci portum urbis Romae cum ipsa urbe permutaverunt. Quis enim umquam vidit in pontificum maximorum albo Hippolytum? Statua eius cum paschali cyclo operumque catalogo

(1) Praef. ad. Dan.
(2) Ed. Kollar. T. III. p. 418.
(3) Praef. ad. Dan.
(4) Caten. in Dan. p. 29. n. 1.

inscripto, prope Urbem in agro verano Marcelli card. Cervini auspiciis effossa, deinde a Pio IIII. in bibliotheca vaticana, ubi adhuc adservatur, posita fuit.

SEVERUS patriarcha antiochenus saeculo sexto ineunte scriptis innumeris famam nactus est. Ceteroqui chronicum, quod ei codex quidam vaticanus obiter tribuit, a nemine illorum memorari video, qui Severi scripta diligenter recensuerunt (1). Quae tamen scribuntur in danielica catena partes, eae non ex eius commentariis, sed ex epistulis sermonibusque plerumque manant. Locum Severi amplum de latronis crucifixi paradiso in vaticana ad Lucam catena legisse me memini. Alia dein Severi fragmenta cum inedita sylloge edentur.

TITUS ille bostrensis episcopus est, saeculo quarto illustris; cuius opus adversus Manichaeos, nec non commentarius in Lucam, quamquam interpolatus, extant.

VICTOR antiochenus, Iohannis Chrysostomi aequalis, etsi multas interpretationes ad sacros libros scripsit, tamen ex his nihil fere continuum legimus praeter eius editum in Marcum commentarium. Nunc hae particulae, quae Danielem explanant, haud limis oculis aspiciendae sunt.

In hac primi voluminis repetita editione praetermittuntur Theodorus mopsuestenus, Leontius, et Anastasius sinaita, quia horum non iam partes sed integra scripta a me alibi vulganda sunt. Aristidis orationem cum classicis auctoribus T. IV. copulavi. Minora autem cetera diversorum opuscula vel fragmenta, meamque ipsam sive spatiosae catenae sive aliarum minorum partium latinam interpretationem semel prima editione in lucem tulisse placet. Verumtamen his nunc omissis, alia ego substitui, quae sortem cum fenore reddunt, Eusebii nempe theophaniae fragmenta XVIII, eiusdemque ex tractatu de paschate nobilem partem, et copiosissima commentariorum in Lucam incrementa: denique illa universa veterum scripta quae partem huius voluminis quartam constituunt.

---

(1) Montfauc. bibl. coislin saepe, et Harl. ad Fabric. bibl. gr. tom. x. p. 616. seq.

γον διαφωνοῦντα· τὴν αὐτὴν δὲ Μαρίαν τὴν Μαγδαληνὴν εἰσάγοντα καὶ μὴ ἁπτομένην πρότερον τοῦ σωτῆρος, ὅτε ἔκλαιεν καὶ ἠπίστει· καὶ ἁπτομένην αὐτοῦ, ὅτε χαίρειν ἐκελεύετο· πρῶτα δὲ ἡγεῖσθαι τὰ παρὰ τῷ Ἰωάννῃ δηλούμενα τῶν παρὰ τῷ Ματθαίῳ φερομένων, καὶ διὰ τῶν ἔμπροσθεν γεγυμνασμένων ἡμῖν κατὰ μίαν τῶν ἐκδοχῶν παρεστήσαμεν, διασαφήσαντες ὅπως εἴρηται παρὰ τῷ Ματθαίῳ τὸ ὀψὲ σαββάτων, οὐ τὴν ἑσπερινὴν ὥραν δηλοῦντος τοῦ εὐαγγελιστοῦ, ἀλλὰ τὸν ἐπιφαύσκοντα εἰς μίαν σαββάτων. ἦν δ' οὗτος δεύτερος τοῦ παρὰ τῷ Ἰωάννῃ δεδηλωμένου. Καὶ ταῦτα μὲν εἰρήσθω, εἴπερ τις ἐξ ἅπαντος τὴν αὐτὴν εἶναι Μαρίαν παρ' ἀμφοτέροις τοῖς εὐαγγελισταῖς Ἰωάννῃ τὲ καὶ Ματθαίῳ διισχυρίζοιτο.

δ. Εἰ δὲ συγχωρηθείη τὸ μὴ τὴν αὐτὴν εἶναι, ἑτέραν δὲ τὴν ὀψὲ σαββάτων κατὰ τὸν Ματθαῖον μετὰ τῆς ἄλλης Μαρίας ἀπαντήσασαν, καὶ ἄλλην τὴν παρὰ τῷ Ἰωάννῃ πρωῒ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων ἔτι οὔσης σκοτίας μόνην ἐλθοῦσαν ἐπὶ τὸ μνημεῖον, πᾶσα λυθείη ἂν ἀμφιβολία· τὸ τὰς μὲν πρώτας ὀψὲ σαββάτων ἀφικομένας, ἅτε σπουδαιοτέρας καὶ πιστοτέρας ὑπαρχούσας, καὶ τὸ χαίρειν παρὰ τοῦ σωτῆρος ἀκοῦσαι, καὶ προσκυνῆσαι, καὶ τοὺς πόδας αὐτοῦ κρατῆσαι καταξιωθῆναι· τὴν δὲ παρὰ τῷ Ἰωάννῃ Μαρίαν ἑτέραν οὖσαν παρ' ἐκείνας βράδιον μὲν ἀπαντηκέναι καὶ πρωΐ· ταύτην δ' αὐτὴν εἶναι κατὰ τὸν Μάρκον ἀφ' ἧς ἐκβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια· σφόδρα δὲ τὴν ψυχὴν τεθορυβῆσθαι καὶ ἀπιστοτέραν εἶναι ὡς ἑστῶσαν κλαίειν, καὶ ὑπολαμβάνειν ὑφαιρεῖσθαι τοῦ μνημείου τὸ σῶμα τοῦ σωτῆρος, καὶ ἐν ἑτέρᾳ μετενηνέχθαι γῇ· οὕτω δὲ συγκέχυτο ἡ ψυχὴ αὐτῇ, ὡς μὴ δὲ τοὺς δύο ἀγγέλους τοὺς εἴσω

τοῦ μνήματος ὀφθέντας αὐτῇ καταπλαγῆναι, μὴ δὲ αὐτὸν γνωρίσαι ὀφθέντα αὐτῇ τὸν σωτῆρα, νομίσαι δὲ αὐτὸν εἶναι τὸν κηπουρόν· (1)

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

IIII. Περὶ τοῦ τάφου καὶ τῆς δοκούσης διαφωνίας.

Πῶς παρὰ τῷ Ματθαίῳ ἡ Μαγδαληνὴ Μαρία μετὰ τῆς ἄλλης Μαρίας ἔξω τοῦ μνήματος ἑώρακεν τὸν ἕνα ἄγγελον ἐπικαθήμενον τῷ λίθῳ τοῦ μνήματος· καὶ πῶς κατὰ τὸν Ἰωάννην εἴσω τοῦ μνήματος ἀγγέλους δύο θεωρεῖ καθημένους ἡ Μαγδαληνὴ Μαρία· κατὰ δὲ τὸν Λουκᾶν δύο ἄνδρες ἐπέστησαν ταῖς γυναιξίν· κατὰ δὲ τὸν Μάρκον νεανίσκος ἦν αὐταῖς ὁ ὁρώμενος καθήμενος ἐν τοῖς δεξιοῖς τοῦ μνημείου τῇ Μαγδαληνῇ Μαρίᾳ καὶ Μαρίᾳ Ἰακώβου καὶ Σαλώμῃ.

α. Τὰ μὲν παρὰ τῷ Ματθαίῳ προηγοῦνται· ὅθεν καὶ αἱ δύο Μαρίαι ἄρτι τὸν ἄγγελον ἐπιστάντα καὶ τὸν λίθον ἀποκυλίσαντα ἐθεάσαντο· τὰ δὲ παρὰ τῷ Ἰωάννῃ ὕστερον γίνεται, δύο ἀγγέλων εἴσω τοῦ μνήματος ὀφθέντων, ἑτέρων δὲ ὄντων παρὰ τὸν ἔξω φανέντα καὶ ἐπὶ τὸν λίθον καθεζόμενον, ὡς Ματθαῖος λέγει· τὸ δὲ παρὰ τῷ Λουκᾷ λεγόμενον, ὅτι δύο ἄνδρες ἐν ἐσθῆτι ἀστραπτούσῃ ὀφθέντες· ἔτι δὲ καὶ ὁ παρὰ Μάρκῳ νεανίσκος λευκὴν περιβεβλημένος στολὴν, δεξιός τε ἀλλ᾽ οὐκ ἀριστερὸς ὁρώμενος, ὁ τὰ φαιδρὰ καὶ δεξιὰ ταῖς γυναιξὶν εὐαγ-

(1) Quaestionem de Maria ad Domini pedes procidente exscribit vel imitatur Hieronymus epist. LIX. 4, nec non Photius epist. CXXXVII.

γελιζόμενος, ἕτεροι ἀλλήλων ἂν εἶεν καὶ αὐτοὶ, καὶ τῶν ἄλλων τῶν παρὰ τοῖς πρώτοις εὐαγγελισταῖς λεγομένων· διὸ οὐδὲ ἀγγέλους αὐτοὺς οὗτοι ὠνόμασαν· ὁ δὲ Μάρκος καὶ ὁ Λουκᾶς οὐδὲ τὰ παρὰ τῷ Ἰωάννῃ καὶ Ματθαίῳ ἐμνημόνευσαν, λέγω δὴ τῶν τοῦ σωτῆρος ὀπτασιῶν (1)· ἀλ-

(1) In duobus eusebianis capitibus a Combefisio ut iam dixi editis, sicuti permulta ex his ad Marinum scriptis desiderantur, ita quaedam diversa sunt, quaedam vero explicatiora videntur; veluti hoc loco sic habet editio: τοῖς κρείττοσιν, ἢ καθ' ἑαυτοὺς Ματθαίῳ καὶ Ἰωάννῃ, ἅτε δὲ ἀποστόλοις, τὰ κρείττονα γράφειν καὶ ἱστορεῖν παρακεχωρηκότες, αὐτοὶ δὲ τὰ δεύτερα διηγούμενοι, ἀνταναπλήρουν τὰ παρ' ἐκείνοις σεσιγημένα, ἃ δὲ δεύτερα ἂν καὶ μακρῷ λειπόμενα τῆς τῶν προτέρων ἱστορίας· οὕτω τοῦ ἁγίου πνεύματος διανείμαντος τὰς πρεπούσας ἑκάστῳ καὶ καταλλήλους διηγήσεις. Αἱ γοῦν παρὰ τῷ Λουκᾷ ὄρθρου βαθέος ἐπὶ τὸ μνημεῖον ἐλθοῦσαι γυναῖκες φέρουσαι ἃ ἑτοίμασαν ἀρώματα, ἕτεραι δὲ εἶεν τῶν παρὰ τῷ Ματθαίῳ καὶ Ἰωάννῃ· οὐ γὰρ ἂν ἔχοι λόγον τὰς τοσαῦτα προθεασαμένας Μαρίας ἄρτι πρῶτον ἀρώματα φέρειν, ὡς μήπω τὴν ἀνάστασιν μεμαθηκυίας· διὸ εἴποιμεν ἂν ἑτέρας εἶναι τὰς παρὰ τῷ Λουκᾷ δηλουμένας τῶν πρώτων· τοῦτο δὲ καὶ αὐτὸς ὁ εὐαγγελιστὴς ἱστορεῖ λέγων· καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευὴ καὶ σάββατον ἐπέφωσκε· κατακολουθήσασαι δὲ γυναῖκες, αἵτινες ἦσαν συνεληλυθυῖαι αὐτῷ ἐκ τῆς Γαλιλαίας· καὶ τὰ ἑξῆς· ἰδοὺ δείκνυσιν ὅτι ἕτεραι ἦσαν αὗται· διὸ καὶ οἱ ὀφθέντες ἕτεροι ὑπῆρχον παρὰ τοὺς ἔμπροσθεν δεδηλωμένους· οὔτε γὰρ εἴσω τοῦ μνημείου ἦσαν κατὰ τὸν Ἰωάννην· οὔτε ἐπὶ τὸν λίθον καθεζόμενοι, ὡς ὁ παρὰ Ματθαίῳ ἄγγελος· ἄλλως τε δὲ οὐδὲ ἀγγέλους αὐτοὺς ὀνόμασεν ὁ Λουκᾶς, δύο δὲ ἄνδρας, πλὴν ἐν ἐσθῆτι ἀστραπτούσῃ, διὰ τῆς ἑορτῆς σύμβολα· καὶ οἱ λόγοι δὲ αὐτῶν οἱ πρὸς τὰς γυναῖκας ἰδιάζουσι· καὶ γυναῖκες δὲ πλείους ἦσαν, ἀλλ' οὐχ ἡ παρὰ τῷ Ἰωάννῃ μόνη· οὐδὲ αἱ παρὰ τῷ Ματθαίῳ δύο Μαρίαι. Περὶ δὲ τῆς μιᾶς Μαρίας τῆς παρὰ τῷ Ἰωάννῃ περὶ τὸν ὄρθρον, ἔτι σκοτίας οὔσης, ἐπιστάσης τῷ μνήματι, καὶ ἰδούσης τὸν λίθον ἠρμένον ἐκ τοῦ μνημείου, ἥν τινα καὶ Μαγδαληνὴν ὁ εὐαγγελιστὴς ὀνομάζει, ὑπόνοιά τις ὑπεισέρχεται ἄλλην τινὰ Μαγδαληνὴν εἶναι, μηδὲν τῶν ταῖς δυσὶ Μαρίαις ἑωραμένων γινώσκουσαν· εἰ δὲ μία καὶ ἡ αὐτή ἐστιν ἡ παρ' ἀμφοτέροις τοῖς εὐαγγελισταῖς μνημονευομένη, προσάγεσθαι ἀνάγκη τὴν παρὰ τῷ Ἰωάννῃ ἱστορίαν, τῆς παρὰ τῷ Ματθαίῳ· καὶ τὴν αὐτὴν Μαγδαληνὴν τὸ πρῶτον μόνην ἐλθοῦσαν, τοὺς δύο ἀγγέλους εἴσω τοῦ μνήματος καθεζομένους ἰδεῖν· μετὰ δὲ ταῦτα δεύτερον ἐπιστᾶσαν τῷ αὐτῷ τόπῳ μετὰ τῆς ἄλλης Μαρίας τὸν ἐπικαθήμενον τῷ λίθῳ ἄγγελον ἑωρακέναι· τούτων δὲ τῶν δυοῖν ἐκδοχῶν τὴν προτέραν ἀληθεστέραν εἶναι ἡγοῦμαι· ἑτέρας οὔσης τῆς παρὰ τῷ Ἰωάννῃ Μαρίας παρὰ τὰς παρὰ τῷ Ματθαίῳ, κἂν τὸ ἐπίθετον αὐτῇ τῆς Μαγδαληνῆς ἐπιγράφηται, δύο γεγονυιῶν ὡς εἰκὸς τῶν ἀπὸ τῆς αὐτῆς Μαγδαληνῆς· τούτου γὰρ δοθέντος πᾶσα ἀμφισβήτησις λυθήσεται, ἑτέρων μὲν παρὰ τῷ Ματθαίῳ μνημονευομένων γυναικῶν, ἑτέρας δὲ παρὰ τῷ Ἰωάννῃ, καὶ ἑτέρου ὄντος καὶ τοῦ ἀγγέλου τοῦ ἐπὶ τὸν λίθον καθεζομένου, καὶ ἑτέρων τῶν δύο ἀγγέλων τῶν παρὰ τῷ Ἰωάννῃ εἴσω τοῦ μνήματος ὀφθέντων, ἑτέρου δὲ καὶ τοῦ χρόνου, ἑτέρων δὲ καὶ τῶν λόγων· τοῦ τε ἀγγέλου τοῦ ἐπὶ τοῦ λίθου καθεζομένου, καὶ τῶν ἀγγέλων τῶν εἴσω τοῦ μνήματος θεωρηθέντων. Κατὰ δὲ τὸν Μάρκον λίαν πρωῒ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων ἀπέρχονται ἐπὶ τὸ μνῆμα, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, ἰδοὺ ἄλλαι πάλιν αὗται καὶ ἐν ἑτέρῳ καιρῷ, αἱ

λὰ τοῖς κρείττοσιν Ματθαίῳ καὶ Ἰωάννῃ τὰ κρείττονα (a) κατέλιπον εἰπεῖν· αὐτοὶ τὰ δεύτερα εἰπόντες, καὶ ἀναπληροῦντες τὰ ἐκείνοις σεσιγημένα.

β. Ἔστιν οὖν εἰπεῖν οὕτως, ὅτι τεσσάρων ὄντων τῶν εὐαγγελιστῶν, ἰσάριθμοι τούτοις καὶ αἱ παρ' αὐτῶν ἀναγραφεῖσαι φαίνονται ὀπτασίαι· οἴτε καιροὶ τέσσαρες, καὶ οἱ καθ' ἕκαστον καιρὸν ὀφθέντες ἰδιαζόντως· ὁμοίως δὲ καὶ αἱ θεώμεναι (b) τῶν γυναικῶν διάφοροι· καὶ οἱ παρὰ τῶν ὀφθέντων λόγοι λεγόμενοι πρὸς αὐτὰς παραλλάττοντες· πῶς οὖν ἐστιν τοῦτο; πρῶτος οὖν καιρός ἐστιν ὁ παρὰ τῷ Ματθαίῳ ὀψὲ σαββάτων, ὅπυ ἡ Μαγδαληνὴ Μαρία μετὰ τῆς ἄλλης ἔξω τοῦ μνήματος, ὅτε καὶ ἐγένετο σεισμὸς, ἕνα εἶδον λέγοντα ὕτως, μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς· οἶδα γὰρ ὅτι Ἰησοῦν τὸν ἐσταυρωμένον ζητεῖτε· οὐκ ἔστιν ὧδε· ἠγέρθη γάρ· δεῦτε, ἴδετε· τέταρτος δὲ καὶ τελευταῖος ὁ παρὰ τῷ Μάρκῳ ἡλίου ἀνατείλαντος φανεὶς ὁ νεανίσκος ὁ ὀφθεὶς ταῖς γυναιξὶν τῇ Μαρίᾳ τῇ Μαγδαληνῇ καὶ τῇ Μαρίᾳ Ἰακώβου καὶ Σαλώμῃ, αἱ μετ' ἀρωμάτων ἐλθοῦσαι ἤκουσαν μὴ ἐκθαμβεῖσθε, Ἰησοῦν ζητεῖτε τὸν ναζαρηνὸν τὸν ἐσταυρωμένον· μέσοι δὲ οἱ παρὰ τῷ Ἰωάννῃ καὶ τῷ Λουκᾷ καὶ ὀφθέντες κατὰ καιρὸν ἰδιάζοντες· ἐφάνη μὲν γὰρ ὀψὲ σαββάτων ἄγγελος εἷς ἐκτὸς τοῦ μνήματος· μεθ' οὗ καὶ αὐτὸς ὁ σω-

(a) Τὰ κρείττονα commode suppletur ex alio codice vaticano. (b) Cod. οἱ θεώμενοι.

καὶ ἔλεγον πρὸς ἑαυτὰς, τίς ἡμῖν ἀποκυλίσει τὸν λίθον; καὶ ὅτι ἴδον νεανίσκον καθήμενον, ὥσπερ καὶ τοῦ Λουκᾶ ἄνδρες ἀλλ' οὐκ ἄγγελοι· οὕτω καὶ νῦν, οὐκ ἄγγελος ὠνόμασται, οὐδὲ ἀνὴρ, ἀλλὰ νεανίσκος· ὥστε καὶ ταύτῃ ἀφωρισμένην εἶναι τὴν διήγησιν, καὶ τὸν ὀφθέντα ἕτερον, καὶ τὰς ἀφικομένας ἄλλας, καὶ τὸν καιρὸν ὁμοίως ἄλλον, τὸν μετὰ ἡλίου ἀνατολάς. Eadem rursus narratio in vaticanis quoque codicibus aliquantulum variat, pro breviatorum scilicet aut excerpentium arbitrio.

τήρ· ὄρθρου δὲ βαθέος, ἕτεροι οἱ κατὰ τὸν Λουκᾶν δύο ἄνδρες ὠνομασμένοι οὐκ εἴσω τοῦ μνήματος ὀφθέντες· ὕστερος ἁπάντων ὁ νεανίσκος· καὶ πρὸ τούτου καὶ τῶν παρὰ τῷ Λουκᾷ οἱ δύο εἴσω τοῦ μνήματος.

γ. Ὅτι ὁ Λουκᾶς μιᾷ λέγει τῶν σαββάτων ὄρθρου βαθέος φέρειν ἀρώματα γυναῖκας δύο τὰς ἀκολουθήσασας αὐτῷ, αἵτινες ἦσαν ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας συνακολουθήσασαι, ὅτε ἔθαπτον αὐτὸν ἐλθοῦσαι ἐπὶ τὸ μνῆμα· αἵτινες δύο ἀγγέλους εἶδον, οἳ καὶ εἶπον, τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν; οὐκ ἔστιν ὧδε, ἀλλ' ἠγέρθη· μνήσθητε ὡς ἐλάλησεν ὑμῖν ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν λέγων, ὅτι δεῖ παθεῖν τὸν υἱὸν ἀνθρώπου· καὶ τὰ ἑξῆς.

δ. Ὅτι Ἰωάννης λέγει τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων Μαρίαν τὴν Μαγδαληνὴν μόνην ἔρχεσθαι πρὸς τὸ μνῆμα σκοτίας ἔτι οὔσης, καὶ βλέπει τὸν λίθον ἠρμένον καὶ ἔρχεται πρὸς Σίμωνα καὶ πρὸς Ἰωάννην καὶ λέγει, ἦραν τὸν κύριον ἀπὸ τοῦ μνημείου καὶ οὐκ οἶδα ποῦ ἔθηκαν αὐτόν· ἦλθεν οὖν Πέτρος καὶ Ἰωάννης ἐπὶ τὸ μνημεῖον· καὶ τὰ ἑξῆς· εἶτα εἰσάγει κλαίουσαν τὴν Μαγδαληνήν· καὶ παρακύψασαν ἰδεῖν λέγει δύο ἀγγέλους καθεζομένους ἕνα πρὸς τῇ κεφαλῇ καὶ ἕνα πρὸς τοῖς ποσίν· καὶ λέγουσιν αὐτῇ, γύναι, τί κλαίεις; ἡ δὲ εἶπεν, ἦραν τὸν κύριόν μου καὶ οὐκ οἶδα ποῦ ἔθηκαν αὐτόν· εἶτα ἐστράφη εἰς τὰ ὀπίσω· καὶ εἶδεν τὸν Ἰησοῦν ἑστῶτα· καὶ οὐκ ᾔδει ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν· ὁ δὲ Ἰησοῦς λέγει, γύναι, τί κλαίεις; τίνα ζητεῖς;

ε. Ὅτι ἀποροῦσί τινες ὡς τρεῖς ἡμέραι καὶ τρεῖς νύκτες πληροῦνται, καθὼς εἶπεν Χριστὸς, αἱ τῆς ἀναστάσεως· καὶ ἔστιν εἰπεῖν (1)· οἱ μὲν ἀπὸ τῆς προδοσίας· οἱ

(1) Expilavit hanc Eusebii quaestionem Isidorus pelusiota ep. II. 212, tacito auctoris nomine; ideoque eiusdem solutio iamdiu nota erat.

δὲ τὴν παρασκευὴν εἰς δύο ποιοῦσιν, ἐπεὶ νὺξ γέγονεν καὶ πάλιν ἡμέρα· ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ τοῦ ἡλίου σκοτισθέντος καὶ πάλιν ἀναφλεχθέντος· εἶτα ἡ τοῦ σαββάτου ἡμέρα ὅλη καὶ ἡ νὺξ αὐτῆς· οἱ δὲ ἡμέραν μὲν τὴν παρασκευὴν ὅλην καὶ τὴν νύκτα αὐτῆς, σάββατον ὅλον καὶ τὴν νύκτα αὐτοῦ· τῆς δὲ κυριακῆς τὴν ἀρχὴν εἰς ἡμέραν μετροῦσιν ὅλην· ὡς ἀρξαμένης ἤδη τότε ὁ Χριστὸς ἠγέρθη· οὕτω τρεῖς ἡμέρας λέγουσιν· ἐπεὶ καὶ ἐπὶ νεκρῶν καὶ ἐπὶ τῶν ἀρτιγενῶν παίδων οὕτως μετρεῖν ἔθος ὅλην ἡμέραν, ὅτε τὴν ἀπὸ τῆς δεκάτης ὥρας ἀρξαμένην γέννησιν μετροῦμεν, ἢ τὴν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς ἡμέρας ἀρξαμένην γέννησιν· ὁμοίως καὶ ἐπὶ νεκρῶν τὴν τρίτην ἡμέραν καὶ τὴν ἐννάτην καὶ τὴν τεσσαρακοστὴν τὰ νενομισμένα ποιοῦντες· οὐχ ὅλην τὴν τρίτην μετὰ τῆς νυκτὸς αὐτῆς· οὐδὲ ὅλην τὴν ἐννάτην μετὰ τῆς οἰκείας νυκτὸς αὐτῆς· οὐδὲ τὴν τεσσαρακοστὴν ὁμοίως ὅλην μετὰ νυκτὸς αὐτῆς· ἀλλὰ τὰς ἀρχὰς τῶν τελευταίων ἡμερῶν ὁρῶντες ἐκτελοῦμεν τὰ πραττόμενα, ὅλην ἡμέραν ταύτην καὶ μετροῦντες καὶ λογιζόμενοι.

ς. Ἀλλ᾽ ἐπεὶ Χριστός φησιν τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς Matth. XII. 40.
κύκτας ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς ἔσομαι, ἔστι δὲ οὕτως εἰπεῖν· ἆρα εἰ χρεώστην ἐπαγγειλάμενον τῷ οἰκείῳ δανειστῇ μετὰ τρεῖς ἡμέρας πληρώσειν τὸ χρέος, πρὸ τῆς προθεσμίας πληρώσαντα θεασάμενοι, ὡς ψευσάμενον κρινοῦμεν, ἢ ὡς πλέον ἀληθεύσαντα; καὶ ἄλλως· εἰ θᾶττον ἢ (a) εἶπεν, ἀνέστη, πλέον ἡ δύναμις, καὶ ἔγκλημα οὐκ ἔχει· τὸ δὲ βράδιον, ὑποψίας γέμει καὶ ψεῦδος λογίζεται γιγνόμενον· ψεῦδος μὲν,

(a) Deest ἢ in cod. quae tamen particula vix heic omitti posse videtur. Ceterum Montfauconius praef. ad Euseb. comm. in psalm. cap. ult. docet nos particulam ἢ passim desiderari, sequente vocali, in Eusebii nostri scriptis. Itaque et nos superius p. 68. n. 1. scriptum diximus in codice vaticano ἀλλ' ἢ pro ἀλλ' ἢ ἤ; et quidem a prima manu haud scio an in codice fuerit ἀλλ' ἢ pro ἀλλ' ἤ, quod postremum appinxit recentior manus.

ὅτι παρῆλθεν ὁ λεχθεὶς ὅρος. ὕποπτον δὲ, ὅτι τῶν φυλάκων ἀναχωρησάντων, κλοπὴ τὸ πρᾶγμα ἐνομίσθη ἄν.

EUSEBII

QUAESTIONUM AD MARINUM SUPPLEMENTA.

Ex chronicis ineditis Georgii Hamartoli et Iohannis siculi. (1)

α. Εὐσέβιος ἐν τοῖς πρὸς Μαρῖνον τοιάδε φησί. Καὶ γὰρ ἡ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία δύο βίους νομοθετεῖ καὶ τρόπους· τὸν μὲν ὑπερφυῆ καὶ τῆς κοινῆς ἀνθρωπίνης πολιτείας ἐπέκεινα, οὐ γάμους, οὐ παιδοποιΐας, οὐ περιουσίας ὕπαρξιν παραδεχόμενον, ἀλλ' ὅλον δι' ὅλου τῆς κοινῆς καὶ συνήθους τῶν βιωτικῶν ἀνθρώπων ἀγωγῆς παρηλλαγμένον, καὶ μόνῃ τῇ τοῦ Θεοῦ θεραπείᾳ προσῳκειωμένον, καθ' ὑπερβολὴν ἔρωτος οὐρανίου· οἱ γὰρ τόνδε μετιόντες τὸν τρόπον τεθνᾶναι δοκοῦντες, τὸν θνητὸν βίον καὶ αὐτὸ μόνον τὸ σῶμα περιφέροντες ἐπὶ γῆς, φρονήματι δὲ τὴν ψυχὴν εἰς οὐρανοὺς μετενηνεγμένοι, οἷά τινες οὐράνιοι, τὸν τῶν ἀνθρώπων ἐφορῶσι βίον, ὑπὲρ τοῦ παντὸς γένους ἀφιερωμένοι τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ οὐ βουθυσίαις καὶ αἵμασιν, οὐδὲ σπονδαῖς καὶ κνίσαις, ἀλλὰ δόγμασιν ὀρθοῖς ἀληθοῦς εὐσεβείας καὶ ψυχῆς διαθέσει κεκαθαρμένης, καὶ προσέτι τοῖς κατ' ἀρετὴν ἔργοις τε καὶ λόγοις· οἷς τὸ θεῖον ἐξιλεούμενοι, τὴν ὑπὲρ αὐτῶν καὶ τῶν ὁμογενῶν ἀποτελοῦσιν ἱερουργίαν· καὶ ὁ μὲν ἐντελὴς καὶ πρῶτος τῆς κατὰ χριστιανισμὸν πολιτείας τρόπος, τοιόσδε

(1) Brevius fragmentum hoc habent Suidas voc. Εὐσέβιος, et Cedrenus ed. paris. p. 201.

καθέστηκεν· ὁ δὲ δεύτερος καὶ ὑποβεβηκὼς, ἀνθρωπινώτερος, καὶ τῷ πρώτῳ λίαν ἀσύγκριτος· ὃς καὶ γάμους συγκατιέναι σώφροσι καὶ παιδοποιΐαις, οἰκονομίας τε τῆς κατὰ τὸ δίκαιον ἐπιμελεῖσθαι, καὶ στρατευομένους, καὶ τὰ πρακτέα ὑποτίθεσθαι, ἀγρῶν τε, καὶ ἐμπορίας, καὶ τῆς ἄλλης πολιτικωτέρας ἀγωγῆς, μετὰ τοῦ θεοσεβοῦς φροντίζειν· οἷς καὶ ἀσκήσεων καιροὶ, μαθητείας τε καὶ τῶν θείων λογίων ἀκροάσεως ἡμέραι ἀφωρίσθησαν, καὶ δεύτερος εὐσεβείας ἀπενεμήθη βαθμὸς, κατάλληλον τῷ τοιῷδε βίῳ παρέχων τὴν ὠφέλειαν.

E scholiastę graeco ad Marcum apud Rich. Simonium in historia critica interpretum novi testamenti cap. VI.

β. Τοῦτο τὸ προφητικὸν ῥητὸν Μαλαχίου ἐστὶν, οὐκ Ἠσαΐου (1)· γραφέως τοίνυν ἐστὶ σφάλμα, ὥς φησὶν Εὐσέβιος ὁ Καισαρείας ἐν τῷ πρὸς Μαρῖνον περὶ τῆς δοκούσης ἐν τοῖς εὐαγγελίοις περὶ τῆς ἀναστάσεως διαφωνίας.

E Possini catena in Marcum p. 343.
ubi de Cyrenaeo crucem Domini baiulante.

γ. Οὐ γὰρ ἦν ἄξιός τις ἐν τῇ πόλει Ἰουδαίων, ὥς φησιν Εὐσέβιος κεφαλ. ιγ (a) πρὸς Μαρῖνον, τὸ κατὰ

(a) Notandus est vigilanter lectori hic numerus, quo docemur quodammodo (nisi est men-

(1) Sermo est de prophetico loco apud Matth. III. et Marc. I. *parate viam Domini rectas facite semitas eius.* Eusebium vero nostrum legisse se declarat Hieronymus in comm. ad Matth.: *quum testimonium de Malachia Isaiaque contextum sit, quaerit Porphyrius quomodo velut ab uno Isaia exemplum putemus assumtum? cui ecclesiastici viri plenissime responderunt. Nos autem nomen Isaiae putamus additum scriptorum vitio.* Eandem quaestionem versat Hieronymus epist. LVII. 9.

τοῦ διαβόλου τρόπαιον τὸν σταυρὸν βαστάσαι· ἀλλ' ὁ ἐξ ἀγροῦ, ὃς μηδὲν ἐπικεκοινώνηκε τῇ κατὰ Χριστοῦ μιαιφονίᾳ (1).

E Corderii catena in Iohannem p. 436.

δ. Εὐσέβιος ὁ καισαρεὺς ὁ Παμφίλου προσαγορευόμενος, ἐν ταῖς πρὸς Μαρῖνον ἐπὶ τοῦ (a) σωτηρίου (b) πάθους καὶ τῆς ἀναστάσεως ζητήσεσι καὶ ἐπιλύσεσι, καὶ τοῦτο (2) προὔθηκεν εἰς ἐξέτασιν, τὸ τὸν μὲν θεῖον εὐαγγελιστὴν Μάρκον εἰπεῖν, ὥραν εἶναι τρίτην καθ' ἣν ἐσταυρώθη Χριστὸς ὁ θεὸς καὶ σωτὴρ ἡμῶν· τὸν δὲ θεολογικώτατον Ἰωάννην κατὰ τὴν ἕκτην ὥραν γράψαι προκαθεσθῆναι τὸν Πιλάτον ἐπὶ τοῦ βήματος ἐν τῷ λιθοστρώτῳ τῷ καλουμένῳ, καὶ ἀνακρίνειν τὸν Ἰησοῦν· καὶ φησὶ γραφικὸν εἶναι τοῦτο σφάλμα, παροραθὲν παρὰ τῶν ἐξ ἀρχῆς ἀπογραψαμένων τὰ εὐαγγέλια· τοῦ μὲν γὰρ γάμμα στοιχείου τὴν τρίτην ὥραν σημαίνοντος, τοῦ δὲ

dum κεφαλ. ιγ. pro καισαρεύς) quanta pars operis eusebiani ad Marinum nobis desit ante illas postremas de resurrectione quaestiones. Certe Eusebium hoc libro ad Marinum complexum fuisse quaestiones non solum circa resurrectionem, verum etiam circa passionem, perspicue cognoscimus et sequente corderianae catenae loco. Nisi forte suspicari placet, Eusebii istud de Cyrenaeo dictum obiter potius occurrisse in postrema quavis quaestione. Neque sane intelligere licet eo numero Marci capitulum, quod quidem in vetere stichometria est CCVIIII, in nova divisione est XV. Certe ubi in nostra editione p. 51. dicit Eusebius in libri exordio πρώτας δὲ πρῶτον, cavebit admodum eruditus lector ne intelligat primam fuisse libri ad Marinum quaestionem illam quae sequitur *de sero sabbatorum*. Breviator quippe, resecata, ut videtur, ingenti priore parte, ad postrema operis capita properavit.

(a) Tam editio quam cod. vat. habent ἐπὶ ταῖς τοῦ. (b) Vocabulum σωτήριος apud Eusebium nostrum non tam adiectivo sensu *salutaris*, quam substantivo obliquo *servatoris* plerumque esse intelligendum, sapienter monet Monfauconius l. c. cit.

(1) Eusebii hunc locum exprimit Ambrosius in comm. ad Luc. lib. X. 107: *non iudaeus est qui crucem portat, sed alienigena atque peregrinus.*

(2) Quaestionem hanc de tertia et sexta hora lego etiam in codice quodam vaticano, olim card. Sirleti; unde aliquam emendationem accersivi; quamquam ne hic ipse quidem codex sine ullo mendo est. Eadem quaestio legitur in parisiacis quoque codicibus, teste Harlesio in Fabricii bibliotheca T. VII. p. 402.

ἐπισήμου τὴν ἕκτην, καὶ πολλὴν ἐμφέρειαν ἐχόντων πρὸς ἀλλήλους τούτων τῶν χαρακτήρων, κατὰ πλάνην τὸ γάμμα στοιχεῖον τὸ τῆς τρίτης ὥρας δηλωτικὸν, κυρτωθείσης τῆς ἀποτεταμμένης εἰς μῆκος εὐθείας, εἰς τὴν τοῦ ἐπισήμου μεταχωρῆσαι σημασίαν, τοῦ τῆς ἕκτης ὥρας δηλωτικοῦ· τῶν γὰρ τριῶν εὐαγγελιστῶν, τοῦ τε Ματθαίου καὶ Μάρκου καὶ τοῦ Λουκᾶ συμφώνως λεγόντων ὡς ἀπὸ ἕκτης ὥρας σκότος ἐγένετο ἐφ᾽ ὅλην τὴν γῆν ἕως ὥρας ἐννάτης (a), πρόδηλον ὡς ὁ κύριος καὶ θεὸς Ἰησοῦς πρὸ τῆς ἕκτης ὥρας (b), πρὸ τοῦ γενέσθαι τὸ σκότος, ἐσταύρωτο, δηλαδὴ κατὰ τὴν τρίτην ὥραν, ὡς ὁ Μάρκος ἱστόρησε· καὶ τοῦ Ἰωάννου τὸν ὅμοιον τρόπον τὴν ὥραν τρίτην εἶναι ἐπισημηναμένου, καὶ τῶν ἀπογραψαμένων τὸ γάμμα μεταθέντων εἰς τὸ ἐπίσημον.

Ex Possini catena in Marcum p. 364.

ε. Ἐφάνη πρῶτον Μαρίᾳ τῇ Μαγδαληνῇ· ταύτην Εὐσέβιος ἐν τοῖς πρὸς Μαρῖνον ἑτέραν λέγει Μαρίαν παρὰ τὴν θεασαμένην τὸν νεανίσκον· ἢ καὶ ἀμφότεραι ἐκ τῆς Μαγδαληνῆς ἦσαν.

Ex Anastasio sinaita quaest. CLIII.

ϛ. Εὐσεβίου ἐκ τῶν πρὸς Μαρῖνον (1). Τρεῖς γοῦν τὰς πάσας Μαρίας τῷ πάθει τοῦ Χριστοῦ μετὰ τῶν ἄλλων γυναικῶν εὑρίσκομεν· πρώτην μὲν θεοτόκον, δευτέραν δὲ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς Μαρίαν τὴν τοῦ Κλεωπᾶ, καὶ *Euseb. p. 58.*

(a) Male cod. ἀναστάσεως pro ἐννάτης. (b) Deest in cod. ὥρας.

(1) Hanc quoque quaestiunculam cum codice columnensi, nunc vaticano utiliter contuli.

τρίτην τὴν Μαγδαληνήν· τινὲς δὲ φασὶν ἐξ αὐτῶν δύο εἶναι Μαγδαληνάς· μίαν μὲν, τὴν ὀψὲ σαββάτων παρὰ τῷ Ματθαίῳ· ἑτέραν δὲ τὴν παρὰ τῷ Ἰωάννῃ πρωΐας ἐπὶ τὸ μνημεῖον ἐλθοῦσαν, ταύτην δὲ εἶναι τὴν καὶ Μάρκῳ δηλουμένην, ἀφ᾽ ἧς ἐκβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια· ὡς γὰρ οὔσης καὶ ἑτέρας, φησὶν, οὐ τοιαύτης Μαγδαληνῆς, ἐτήρησεν ὁ Μάρκος τοῦτο εἰπὼν, ἀναστὰς δὲ, πρωῒ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων ἐφάνη Μαρίᾳ πρῶτον τῇ Μαγδαληνῇ, ἀφ᾽ ἧς ἐκβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια· καὶ ταύτην ἴσως εἶναι τὴν ἀκούσασαν, μή μου ἅπτου, ἀλλ᾽ οὐ τὴν παρὰ τῷ Ματθαίῳ· εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα κἀκείνη ἀπὸ τῆς Μαγδαληνῆς ὥρματο, ἀλλ᾽ οὐ τὰ ὅμοια καὶ αὐτῆς ἡ θεία κατηγορεῖ γραφή· εἰ δὲ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν Μαγδαληνὴν (a) φήσειέν τις, καὶ οὕτως ἀληθεύοι ἂν τὰ ἱερὰ εὐαγγέλια, κατ᾽ οὐδένα λόγον διαφωνοῦντα· τὴν αὐτὴν δὲ Μαρίαν τὴν Μαγδαληνὴν εἰσάγονται μὴ ἁπτομένην πρότερον τοῦ κυρίου, ὅτε ἔκλαιε καὶ ἠπίστει· καὶ ἁπτομένην αὐτοῦ ὅτε χαίρειν μετὰ τῆς ἄλλης Μαρίας ὑπ᾽ αὐτοῦ κελεύεται· ἐπειδὴ γὰρ ὡς θεὸν αὐτὸν προσεκύνησεν ἔσχατον, καὶ οὐχ᾽ ὡς ἄνθρωπον, ὡς πρότερον ὅτε ἔκλαιε καὶ ἠπίστει.

Ex eodem Anastasio ibidem.

ζ. Εὐσεβίου ἐκ τῶν πρὸς Μαρῖνον. Περὶ δὲ τοῦ ἐπαπορεῖν πάλιν πῶς παρὰ μὲν τῷ Ματθαίῳ εἰς τὴν Γαλιλαίαν ὦφθαι τὸν κύριον τοῖς μαθηταῖς ἐν τῷ ὄρει, παρὰ δὲ τῷ Ἰωάννῃ παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Τιβεριάδος, ἐροῦμεν ὅτι οὐ μόνον ἅπαξ καὶ δὶς, ἀλλὰ καὶ πολλάκις,

(a) Deest in cod. columnensi Μαγδαληνήν.

ὤφθαι αὐτόν· διὸ τετάρτην ὀπτασίαν οὐκ ἁμάρτοις τὴν παρὰ τῷ Ματθαίῳ φήσας εἶναι ἣν οὐ παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας οὐδὲ τοῖς ὀπτανομένοις, ἀλλ' ἐν τῷ ὄρει τοῖς ἕνδεκα πεποιῆσθαι ἀνέγραψεν ὁ Ματθαῖος εἰπών, οἱ δὲ ἕνδεκα μαθηταὶ ἐπορεύθησαν εἰς τὸ ὄρος, οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· καὶ ἰδόντες αὐτὸν προσεκύνησαν· καὶ μετὰ τοῦτο οὐκ ἂν σφαλείης εἰπὼν ὁμοῦ κατ' αὐτὸ συνηγμένοις αὐτοῖς τοῖς ἕνδεκα μαθηταῖς ἅμα καὶ τοῖς ἑβδομήκοντα ὤφθαι αὐτόν· ὁ δὲ ἀπόστολος καὶ ἔτι τούτων πλείοσιν ἑωρᾶσθαι τὸν κύριον μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἱστορεῖ λέγων, ὅτι ἐγήγερται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς, καὶ ὤφθη Κηφᾷ, ἔπειτα τοῖς δώδεκα, ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφ' ἅπαξ· ὁρᾷς ὁσάκις καὶ ὅσοις ὤφθη μετὰ τὴν ἀνάστασιν; οὕτω καὶ τοῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ κρυπταζομένοις διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, καὶ πρό γε πάντων ἀνδρῶν Σίμωνι τῷ Πέτρῳ, γυναικῶν δὲ ταῖς ἀμφὶ τὴν Μαγδαληνήν· ὅθεν καὶ ὁ Λουκᾶς φησὶ « δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενος καὶ » συναυλιζόμενος αὐτοῖς τὰ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ πα- » ρεδίδου μαθήματα. »

(I. Cor. XV. 4.)

Ex eodem Anastasio quaest. CXLVIII.

η. Εὐσεβίου ἐκ τοῦ πρὸς Μαρῖνον (a). Καὶ τὸ μὲν ὑπὸ Χριστοῦ ἐμπνευσθὲν πνεῦμα ἅγιον τοῖς ἀποστόλοις, λυτικὸν καὶ συγχωρητικὸν ἦν (b) πάσης ἁμαρτίας· τὸ δὲ ἐπηγγελμένον τὸ βαπτισθήσεσθαι αὐτοὺς ἐν ἁγίῳ πνεύματι, καὶ μετασχεῖν δυνάμεως ἐνεργημάτων, ἐνεργητικῆς

(a) Verba ἐκ τοῦ πρὸς Μαρῖνον desunt in codice columnensi. (b) Deest ἦν in cod. Sed enim cetera pleraque meliora sunt in codice quam in gretseriana Anastasii editione, quae sane maximis mendis laborat.

μὲν τῶν μελλόντων δι' αὐτῶν ἀποτελεῖσθαι θαυμάτων, ἐνστατικῆς δὲ καὶ καρτερικῆς τῶν μελλόντων αὐτοῖς ἐπανίστασθαι κινδύνων· πρὸ γὰρ ταύτης τῆς δυνάμεως κηρύττειν αὐτοὺς τοῖς ἔθνεσιν οὐκ ἐβούλετο, ἀλλ' ἐκδέχεσθαι
I. Cor. XII. 10. καὶ περιμένειν αὐτὴν ἐξ ὕψους μετασχεῖν· τοῦτο δὲ καὶ ὁ ἀπόστολος τὸ χάρισμα ἰδίως ἀφορίζων τῶν λοιπῶν ἐνεργειῶν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐδίδασκε λέγων « ἄλλῳ δὲ ἐνερ» γήματα δυνάμεων »· καὶ ἡ προφητεία φησὶ « κύριος
Ps. LXVII. 12. » δώσει ῥῆμα τοῖς εὐαγγελιζομένοις δυνάμει πολλῇ »· ἧς δυνάμεως ὅτε μήπω μετεῖχον, ἠρνήσαντο αὐτὸν οἱ πάντες καὶ ἐσκανδαλίσθησαν κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ πάθους· ὅτε δὲ μετέσχον αὐτῆς, πάντες διέπρεψαν ταῖς ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρίαις τε καὶ ὁμολογίαις· ἀνακαινίζων γὰρ τὸν ἄνθρωπον ὁ κύριος, καὶ ἣν ἀπώλεσε χάριν ἐκ τοῦ ἐμφυσήματος τοῦ θεοῦ, ταύτην πάλιν ἀποδιδοὺς, ἐνεφύσησεν εἰς τὰ πρόσωπα τῶν μαθητῶν λέγων « λάβετε πνεῦμα ἅγιον.

Ex Macarii Chrysocephali florilegio apud Villoisonum anecdot. T. II. p. 74.

θ. Εὐσέβιος δὲ ὁ Παμφίλου ἐν τῇ πρὸς Μαρῖνον ἐπιστολῇ οὕτως ἐξηγεῖται τὸ προτεθὲν, ὅτι διαιρέσεις χαρισμάτων εἰσὶ κατὰ τὸν ἀπόστολον, τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα· καὶ πάλιν, ἑκάστῳ δίδοται ἡ φανέρωσις πρὸς τὸ συμφέρον· ᾧ μὲν γὰρ διὰ τοῦ πνεύματος δίδοται λόγος σοφίας, ἄλλῳ δὲ λόγος γνώσεως κατὰ τὸ αὐτὸ πνεῦμα· ἑτέρῳ δὲ πίστις ἐν τῷ αὐτῷ πνεύματι, ἐνεργήματα δυνάμεων, ἄλλῳ δὲ προφητεῖαι, ἄλλῳ δὲ διακρίσεις πνευμάτων, ἑτέρῳ δὲ γένη γλωσσῶν· πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ ἓν μὲν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς

βούλεται· σαφῶς γὰρ διὰ τοῦ ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος, πολλὰς εἶναι παρέστησε δυνάμεις, διαφόρων πραγμάτων ἐνεργητικάς· ὅρα τοίνυν μήπως ἐνταῦθα ἐξουσίαν τινὰ μερικὴν καὶ χάριν πνευματικὴν δέδωκεν αὐτοῖς. οὐχ ὥστε νεκροὺς ἐγείρειν, καὶ δυνάμεις ποιεῖν, ἀλλ' ὥστε ἀφιέναι ἁμαρτήματα· διάφορα γὰρ τὰ χαρίσματα τοῦ πνεύματος· διὸ καὶ συνάπτει λέγων, ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς· καὶ τὰ ἑξῆς· δεικνὺς ὅτι τοῦτο τὸ εἶδος τῶν πνευματικῶν χαρισμάτων αὐτοῖς ἐδωρήσατο· μετὰ δὲ τὴν ἀνάληψιν αὐτὸ τὸ πνεῦμα κατελθὸν, καὶ τῶν σημείων καὶ παντὸς ἑτέρου χαρίσματος τὰς δυνάμεις δὴ καὶ ἐνεργείας αὐτοῖς ἐχορήγησε· διὰ τοῦτο ἐνταῦθα μὲν ἄνευ ἄρθρου εἶπε, λάβετε πνεῦμα ἅγιον, δηλῶν ὅτι μερικήν τινα τοῦ πνεύματος ἐνέργειαν δίδωσιν αὐτοῖς· περὶ δὲ ἐκείνου φησὶ, λήψεστε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς. (1)

(1) Hactenus supplementa posui ex iis tantummodo locis, in quibus opus Eusebii nominatim ad Marinum laudatur. Ceteroquin quanta pars eusebianarum quaestionum tum ad Stephanum tum ad Marinum in commentario S. Ambrosii ad Lucae evangelium supersit, item quanta in Hieronymi ad Matthaeum commentario occurrat, demonstravi olim in prima huius operis editione p. 106. sqq., prolatis latine praedictorum patrum tractibus, quos nunc repetere aequum non est. Legendus quoque Augustinus de consensu evangelistarum et in quaestionibus evangelicis; item anonymum opus quaestionum veteris et novi testamenti; nec non seu falsus Chrysostomus seu Titus bostrensis; tum et Hesychius hierosol., Iohannes thessalonic., in quaestionibus aeque evangelicis; qui auctores omnes eusebiano a fonte multifariam hausisse videntur. Porro ab his veterum lucubrationibus medii quoque et infimi aevi interpretes suas gradatim solutiones derivaverunt.

QUAESTIONUM EVANGELICARUM EUSEBII IN COMPENDIUM REDACTARUM INTERPRETATIO.

EXCERPTA BREVIATA EX EUSEBII AD STEPHANUM LIBRIS QUAESTIONUM EVANGELICARUM.

I. Cur evangelistae Iosephi potius quam Mariae genus scribant.

Qui fit, ut Christum evangelistae tamquam a Davide genus ducentem narrent? Prorsus propter Iosephum Davidis prosapia genitum. Atqui non abs Iosepho Christus est, sed a sancto spiritu et Maria, ut ait scriptura. Oportuit igitur Mariae genus enarrari, siquidem Christi stemma non Iosephi contexebatur, ad quem Christi humana natura nihil pertinet, quia genitus ab eo non fuit. Iam vero si Iesus a Iosepho non oritur sed a Maria tantummodo, is ne a Davide quidem est: quandoquidem Mariam nulla historia Davide oriundam demonstrat. Temere igitur evangelistae Christum Davidis genere ortum celebrant, quum neque is Iosephi sit filius, neque Mariam in familia Davidis fuisse docuerint. Huiuscemodi erat quaestio prima, quae sic dissolvitur.

1. Res Iesu Christi servatoris nostri partim clam habere oportebat illorum temporum hominibus; partim vero ad communem notitiam efferebantur, quaecumque audientibus utilitatem erant allaturae. Veluti Iesus, ut aliquid exempli causa dicam, mortalis aetatis trigesimum annum agens stitit se publice ad Iohannis baptisma, atque hinc fecit initium magisterii sui ac prodigiorum: quid tamen citra trigesimum annum gesserit, nulla historia docet; neque ex ulla divinae auctoritatis scriptura superiorem vitam eius discere licet. Sed enim postquam etiam nemini ignotus erat, alia quidem audientibus omnibus praedicabat; aliis autem, tamquam mysteriis, discipulos tantummodo suos initiabat: ac modo prodigia ab se edita divulgari nolebat, modo sine ullo eiusmodi vetito miracula faciebat. Iam in iis, quae silentio premere placuit, miraculum eius nativitatis erat: ita ut illorum, qui mortali eius vitae interfuerunt, nemo, paucis exceptis, rei conscius fuerit.

2. Dicit autem vir sanctus, nomine Ignatius, qui antiochenae ecclesiae secundus fuit post apostolos episcopus, ipsum saeculi principem latuisse Mariae virginitatem, ac servatoris ex eo nativitatem. Sic enim ait: " latuit principem huius „ saeculi virginitas Mariae, eiusque partus, itemque Christi mors: mysteria tria „ clamosa, quae tamen sub divino silentio peracta fuerunt „. Iam ipso mentis ratiocinio intelligere licet, haud fieri potuisse, ut mortales omnes, qui Dei unctum inter homines communi hominis forma versantem cernebant, natum crederent e puella nuptiarum ignara, patre nullo. Neque porro expediebat, ut multi compertum haberent, Mariam haud ex Iosepho conceptum peperisse Iesum: prorsus enim poenae fuisset obnoxia de mosaicae legis mandato virgo, ceu si ante nuptiarum tempus virgini-

tatem violavisset. Quamobrem merito animadversum est, vigilanter admodum scripturam dicere: " antequam ipsi convenirent, inventa est in utero habens,,; tamquam si aperte diceret, eam ante nuptias non concepisse, neque prius quam ad virum accederet: sed postquam cum Iosepho coniugata fuit, atque apud eum diversari coepit, et ab omnibus coniux eius appellari; quum una habitarent, ac nuptiali consuetudine iam usuri viderentur, ipsa propemodum hora antequam convenirent, inventam esse in utero habentem de sancto spiritu. Atque haec percommode ob vitandam vulgi notitiam curata sunt. Nam si Mariae a parentibus nondum digressae, gravidae fieri contigisset; quia necesse erat rem palam famigerari, nempe quod ipsa haud ex designato viro suo concepisset, protinus supplicium ex forma iuris subiisset: si minus, certe stupri macula non vacasset: neque enim ipsa sibi testis esse poterat, neque ad fidem faciendam eorum quae sibi acciderant erat idonea: nec quisquam sibi aut angeli visum persuaderi passus esset, aut illi narranti credidisset quae eidem a Gabriele dicta fuerant: neque eam iam praegnantem domi suaę Iosephus recepisset, quem iustitiae publicum testimonium ornabat. Bene igitur non apud ipsos parentes, sed apud Iosephum gravida facta est, ac maritali propemodum more: antequam enim convenirent, ut scriptura testatur, in utero habens inventa est.

3. Cui porro inventa est, nisi Iosepho? Cur autem et quomodo res Iosepho comperta fuerit, scriptura docet dum ait, a sancto spiritu patefactam esse Iosepho iusto homini; qui ob hanc ipsam iustitiam suam nil mirum est si a divino spiritu adiutus coniugis mox futurae conceptiones intellexit, atque a maritali congressu abstinuit. Ilico igitur re cognita territus voluit occulte dimittere Mariam: quae acciderant maiora existimans, quam ut ipse cum ea posthinc versaretur. Atque haec causa fuit, quamobrem iustus quum esset, haud aequum indicavit eam diffamare: maluit autem occulte eandem dimittere. Profecto is, nisi sibi persuasisset, eam de sancto spiritu concepisse; quum probe simul sciret eandem a se viro uterum non gerere; qui tandem fieri poterat, ut non, pro suae iustitiae munere, ante nuptias corruptam publice ediceret, atque ob id magistratibus idoneis iudicandam traderet ac diffamandam? Alioqui quomodo iustus esset, qui de re impia tegenda celandaque satageret? Certe Iosephum ita se gerentem, ab evangelista iustum appellari, non erat consentaneum. Sed enim quia ipse diviniorem virginis de sancto spiritu conceptum novit; et quia eandem augustiorem existimavit, quam ut sibi diutius liceret cum illa habitare; recte idcirco evangelista dicit, a Iosepho captum esse consilium clam sponsam dimittendi neque diffamatam a se neque obiectam vulgi sermonibus. Bene igitur ab evangelista dici videtur, quod eam diffamare noluerit. Non enim ait " nolens eam infamare, sed diffamare,,; quorum vocabulorum multa est differentia. Sicuti enim non idem significat scribere et proscribere, putare et imputare, rogare et abrogare; sic neque diffamare et infamare: namque infamare facit ut cogitemus de publica hominis malefici patefactione ac delatione; diffamare autem patefaciendi tantummodo notionem habet.

4. Sed quia tamen fieri non poterat ut multos ea res lateret, etiamsi Mariam Iosephus clam deseruisset; commode angelus per somnium huic oblatus ait: « Iosephe Io-
„ sephe fili Davidis, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea na-
„ tum est, de spiritu sancto est „. Et videsis ut a principio filium Davidis hunc appellat: scilicet eundem revocans ad progenitorem ope illius quem a Davidis genere omnes expectabant. Alioqui cur non eum Iacobi filium dixisset? hic enim erat illius natura proximus pater, teste evangelista: “ Matthanus autem genuit Iacobum; Iacobus autem
„ genuit Iosephum „. Nunc vero praetermissa patris mentione, progenitorem commemorat; propemodum significans, qui Davidi promissus fuerat, hunc esse quem prodigiose et sine ullo eius officio Maria conceperat. Deinde eum iubet timorem, quo correptus erat, dimittere. Non enim in mediocri versabatur formidine, dum reputaret haud ex viro gravidam esse Mariam. Exin eum docet non quod ignorabat, sed praecogniti causam. Ait igitur: “ quod in ea genitum est, de spiritu sancto est „.

5. Tale mihi tantumque consilium ex divinis litteris agitatum videtur propter occultandum incredulis conceptum virginis. Neque enim facile credituri erant, qui sermonem eiusmodi audirent de homine mira narrantem, quem aeque ac nos infirmo corpore naturaque haud dissimili praeditum viderent. Quid? etiamsi deinceps Iesus miracula edens, divinamque vim beneficam erga multos expromens perculit cernentium animos; nonne Moses, qui multa mira fecit, tamen communis nativitatis particeps fuit? itemque Elias atque Elisaeus, atque prophetae singuli? Nihil igitur proderat prodigiorum editio, quominus Iesus crederetur viro genitus. Reapse homines illius aetatis, nihil insolitum de nativitate eius suspicantes, quamquam eiusdem facta aspiciebant, ita colloquebantur: “ unde huic omnis sapientia haec et virtutes? nonne hic est fabri fi-
„ lius? nonne mater eius dicitur Maria? et fratres eius Iacobus et Iosephus et Si-
„ mon et Iudas? itemque sorores eius nonne omnes apud nos sunt? „ Rursus alias matre eius fratribusque extra concionem stantibus, cum eoque loqui volentibus, ait quidam: “ en parens tua fratresque foris adsunt, teque visere cupiunt „. Nec mirum; siquidem etiam discipuli atque apostoli rogati ab eo, quem se esse homines dicerent, responderunt: “ aliis eum videri Iohannem, aliis Eliam, aliis Hieremiam,
„ aliis alium de prophetis „. Rursusque rogati quem et ipsi se esse putarent, silebant cuncti, nihil dicere habentes: unusque Petrus ait, eum esse Christum Dei viventis filium. Quippe et huic uni, tamquam rei conscio, respondit Iesus: “ beatus es,
„ Simon bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in
„ caelis est „. Testis item Maria, se cogitatu secreto apud se quae gesta fuerant continuisse. Ait enim scriptura: “ Maria autem conservabat omnia verba haec con-
„ ferens in corde suo „.

6. Igitur demonstratum est, utiliter per id tempus conceptionem Iesu de sancto spiritu apud vulgus fuisse celatam. Iosephus autem in parentis locum adsumptus est, ita ut merito tamquam pueri genitor in genealogia poneretur. Id nisi fiebat, nullo parente censeretur puer, cuius stemma ab illo non duceretur: quae res in impietatem multos pertraxisset, si ob rei verae ignorantiam, de nata-

libus eius haud honeste sentirent. Utiliter itaque et fabri filius, et appellatorum filiorum frater habitus est. Et quidem ipse Deus Verbum haud se hominem esse negabat: immo discipulis praecipiebat, necui dicerent eum se esse, quem prophetae venturum cecinerant, unctum Dei: neque enim fidem plerique erant arrogaturi, qui eum humili indutum specie videbant. Sic in illa etiam montana transfiguratione rursum mandavit discipulis ut visum nemini dicerent, donec filius hominis a mortuis resurgeret. Pronum quippe erat ut multi de coaetaneis ne id quidem sibi persuaderi paterentur. Quod si haec non putavit vulganda, multo magis oportuit natalia de virgine tunc in populo reticeri: quae commodo deinde tempore omnem de eo veritatem erant ostensura. Tempus autem commodum futurum erat, cum ipse a mortuis resurgeret, et cum in caelum adsumeretur, et cum orbem terrarum fama eius tamquam Dei Verbi pervaderet; cum denique gentes vocarentur, ac divina illius oracula exitum nanciscerentur, rerum scilicet eventu praesagiis eiusdem ac praedictionibus fidem perspicuam adiiciente.

7. Atque apud nostrae quidem aetatis homines, qui rerum fidem a maioribus acceperunt, quique Christi conditionem plus quam mortalem fuisse sciunt, reliqua quoque merito in confesso sunt, nedum nativitatis mysterium: verumtamen inclyti evangelistae necessario tunc Iosephum in genealogia posuerunt, qui videlicet ab omnibus Christi parens appellabatur. Quod si hac ratione neglecta, a matre genus eius ordinavissent; praeter quam quod id indecorum erat, et divinarum scripturarum simplicitate alienum, quia neminis antea per matrem genus descriptum fertur; is cuius genealogia texebatur, incerto patre nescio quis terraeque filius visus esset. Id autem, ut dixi, haud mediocri ignominiae et criminationi obnoxium erat. Commode igitur dum Iosephum praedictam ob causam a Davidis stirpe derivant, Mariam simul Davide oriundam comprobant, genere coniugis per sponsum demonstrato. Mosis quippe lege edicente, ut ne aliunde liceret nuptias sibi conciliare quam ex genere proprio suaque tribu; ne videlicet generis hereditas ex una in aliam tribum commoveretur; satis erat viri descriptio ad coniugem demonstrandam: nam qui ad legis normam viveret, haud aliam sibi uxorem copulavisset, nisi quae primum esset ex eius patria tribu, Iudae videlicet; deinde ex eadem gente familiaque, nempe Davidis. Illatenus enim lex iubebat. Si Iosephus igitur de Iudae tribu deque Davidis gente et familia fuisse demonstratur, cur non sequitur ut Maria ex iisdem originibus prodire videatur?

8. Quod si eadem dicitur Elisabetae cognata; quum tamen illa de tribu Iudae, Elisabeta de levitica fuerit; ne mireris: universa quippe Iudaeorum gens uno genere censebatur, cunctaeque tribus invicem cognatae erant. Hinc etiam divus apostolus Iudaeos omnes appellat cognatos suos, dum ait: " optabam ego " anathema esse pro fratribus meis, qui mihi secundum carneam naturam cognati sunt, Israëlitis. Atqui cognati eius soli revera erant Beniamitae: et tamen omnes Israëlitas fratrum nominibus et cognatorum Paulus indigitat. Sic ergo angelus Elisabetam dixit Mariae cognatam, propterea quod ambae Israëlitides essent. In-

super ex ipso loco satis decuit Elisabetam appellari Mariae cognatam, quia nimirum habitabat in Iudae tribu, unde genus traxit Maria. Rei testis Lucas, qui ait: " exsurgens autem his diebus Maria abiit in montana cum festinatione, in urbem Iudae, et ingressa est domum Zachariae ac salutavit Elisabetam ". Etenim quum lex mosaica sacerdotali tribui possessiones non adsignavisset, quia dominus Deus pars eius est, mandavisset autem ut inter ceteras tribus incoleret; cumque Zacharias et Elisabeta quadam in urbe tribus Iudae habitarent; par fuit eas ob hanc causam cognatas appellari: neque id rursus immerito propter morum similitudinem, quorum gratia utraque mulier mysterio salutis digna fuit; et altera quidem servatorem, altera servatoris praecursorem sinibus suis receperunt, unius videlicet eiusdemque sancti spiritus gratia potitae. Atque hoc vel maxime nomine secundum Deum cognatae fuerunt.

9. Quod si caput mulieris vir est, de sententia apostoli, duoque sunt in carne una ex mosaicae legis regula; et si nupta viro, quae flagitium admiserit, adulterii poenam ob id ipsum subit; ceu quae iam sponsi corpus facta erat, sibique caput imposuerat virum; cur si capitis genealogia scribatur, corpus cum capite connumerari non sit consectaneum? Quamobrem Maria Iosepho iam nupta, merito in eius genealogia intelligenda est; quum praesertim perspicue demonstratum sit non solum ex eius tribu fuisse, verum etiam gente et familia. Praeter quam quod etiam Gabriel in illo cum Maria colloquio vaticinans inter cetera ait: " dabit illi Deus sedem Davidis patris eius ": aperte docens, eius qui ex ipsa naturus erat, Davidem esse progenitorem. Alioquin qui decuisset haec ab Angelo dici apud virginem, nisi eandem de Davidis genere esse confiteretur? Neque sane feminae alienae a Davidis stirpe dictum fuisset: " dabit illi Deus sedem Davidis patris eius ". Quem enim narras patrem, virgo respondisset (quae quidem fatebatur se virum nescire, intellexerat autem fore ut de spiritu sancto conciperet;) nisi omnino is sermo apud Davidis filiam fieret? Hinc apte Lucas ait: " ascendit autem Iosephus de Galilaea ex urbe Nazaretho in Iudaeam, ut nomen suum profiteretur in urbe Davidis, cui nomen Bethleemo, propterea quod esset de domo familiaque Davidis cum Maria sibi desponsa praegnante ". Haud ergo ulterius cum perplexitate legemus hunc evangelii locum, ceu si Maria ad profitendum tantummodo nomen venisset: sed ipsam quoque putabimus, haud secus quam Iosephum, de domo familiaque Davidis esse: quam scripturam ut ita interpretemur, argumentis iis utimur quae hactenus protulimus. Ergo perspicue, ut opinor, demonstratum est, haud temere Iosephi genealogiam ab inclytis apostolis fuisse narratam, et Mariam de genere Davidis vere derivari, itemque eum, qui ex ipsa natus est, Iesum Dei unctum.

II. Cur alter evangelista superne ab Abrahamo exorsus deducat genealogiam; alter autem inferne subgrediatur; neque in Abrahamo sistat, sed ad Adamum ac Deum usque deveniat.

1. Quaestionum a te propositarum secunda haec fuit. Genealogiam Matthaeus ex Abrahamo derivat: Lucas autem contrariam huic viam insistens incipit abs Iosepho, tenditque ad Adamum ac Deum. Atqui oportebat, siquidem hi consona et consentanea scribebant, vel Lucam adscendentem in Abrahamo consistere; vel Matthaeum haud ex Abrahamo genealogiam ordiri, sed ex Adamo in quem Lucas desivit. — Facilis est huius quoque quaestionis explicatio, neque multo sermonis artificio indiget: uterque enim evangelista una via graditur. Nam et illos qui prorsum sursumque, itemque illos qui advorsum eadem via incedunt, haud quisquam diceret diversa uti: quia scilicet una ab ascendentibus descendentibusque via teritur. Eadem ratio est in generis successionibus. Atque hic mos magnopere Hebraeis placuit, et in divinis scripturis sollemnis est. Revera in Ruthae libro genus Davidis superne a Iuda evolvitur sic: " hae sunt generationes Phares; (hic erat Iudae patriarchae filius) Phares genuit „ Esronem; Esron genuit Aramum; Aramus genuit Aminadabum; Aminadabus ge- „ nuit Naassonem; Naasson genuit Salmonem; Salmon genuit Boozum; Boozus ge- „ nuit Obedum; Obedus genuit Iessaeum; Iessaeus genuit Davidem „. Hunc igitur Matthaeus quoque morem sectatus est.

2. At primus regum liber, qui Ruthae historiam subsequitur, inferne ascendit, ut fit apud Lucam. Quippe Helcanae, qui pater fuit Samuelis, genus recensens, ait: " fuit vir ex Armatem Suphir e monte Ephraimi; nomen eius „ Helcana, filius Hieremielis, filii Eliae, filii Thoi, ephrataeus „. Sed et in paralipomenis modo a superioribus ad posteros fluit sermo, modo aeque ac apud Lucam prosapiae scribuntur. Audi et haec: " Davidis, inquit praedictus liber, filius „ erat Salomon; huius filius Rhoboamus; huius filius Abia; huius filius Osa; hu- „ ius filius Iosaphatus; huius filius Ioramus; huius filius Ochozias: huius filius Ioa- „ sus; huius filius Amesias „. Atque ita ex ordine descendit usque ad Iechoniam atque ad babylonicam captivitatem, non secus atque Matthaeus. Contra, uti Lucas, eadem rursus ascendit scriptura dum Samuelis genus enarrat. Ait enim: " Sa- „ muelis filii Helcanae, filii Hieroboami, filii Helielis, filii Thoi, filii Suphi, fi- „ lii Helcanae, filiis Ioëlis, filii Azariae, filii Sophoniae, filii Thaari, filii Asiri, „ filii Abiasaris, filii Corae, filii Issaari, filii Caathi, filii Levini, filii Israëlis „. Porro vides ut plane hunc morem Lucas imitetur. Sexcenta eiusmodi exempla ipsemet invenies: unde sequitur ut fateamur, nihil insolitum fecisse servatoris nostri evangelistas: neque merito quisquam putabit eos invicem dissidere. Uterque enim proprio calculo descriptionem instituit: alter ab Abrahamo initium capiens, ob sui sermonis peculiarem rationem, quam in praesenti non vacat exponere: alter ipsum Abrahamum praetergressus, ad primum usque hominem venit: neque in hoc sistit, sed suam omnem historiam cum Deo nectit, dum eam videlicet per regenerationis in Christo mysterium in sublime evehit.

III. Quomodo Matthaeus a Davide eiusque successore Salomone ad Iacobum et Iosephum prosapias deducat: Lucas autem a Davide atque Nathane atque a liberis huius ad Helim et Iosephum, contrariam Matthaeo genealogiam scribens.

1. Tertia iam quaestio consideranda est. Porro ipsis verbis acute mentem nostram intendamus. Agesis videamus quid Lucas dicat: " et ipse Iesus erat incipiens „ quasi annorum triginta, ut putabatur filius Iosephi, filii Heli, filii Melchi „. Haud tamen Matthaeus usus est voce " ut putabatur„. Quid porro ait? Matthanus genuit Iacobum; Iacobus autem genuit Iosephum. Aliud vero est putare, aliud ceu res ita se habeat adfirmare. Si igitur Matthaeo adfirmante Iosephum filium esse Iacobi et Matthani, Lucas similiter contenderet filium esse Heli ac Melchi, vere pugna quaedam esset atque conflictus, atque opus esset arbitro qui evangelistas componeret. Nunc autem quum Matthaeus firmiter adseveret, Lucas vero ita scribat, ut opinionem tantummodo proferat apud multos pervagatam, non quae apud se vigeret, nulla ut opinor quaestio superest.

2. Nam quum variae de Christo famae inter Iudaeos versarentur; et cuncti quidem concorditer a Davide eum repeterent, propter Dei promissiones Davidi significatas; interim tamen alii a Davide et Salomone regioque stemmate putarent Christum adfore; alii ab hac linea recederent, propter multas regibus inustas criminationes, et propter proscriptum abs Hieremia propheta Iechoniam, cum ait non surrecturum ex eius stirpe qui in Davidis throno sederet, quumque ob id alia via pergerent; et quum in Davidis genere conspirarent, non tamen per Salomonem, sed per Nathanem Davidis item filium, deducerent; (qui idem Nathan propheta fuisse dicitur secundum ea quae feruntur in regum libris) atque ab huius posteris venturum Christum adsererent; ipsumque Iosephi genus inde usque repeterent; necessario Lucas qui illorum opiniones refert, non suam, adiecit narrationi " ut putabatur „ Matthaeo permittens narrare non ut putabatur, sed uti revera se habebat origo generis. Atque haec prima esto responsio.

3. Tum et alio orationis genere de re proposita disputare licet. Matthaeus humanam Christi naturam diserte describens, vereque volens Iosephum Davide oriundum demonstrare, eo quo par erat sermonis ingressu utitur; Lucas autem, ut opinor, quia nollet carneam Christi naturam describere, ita nunc se gessit. Nam si hoc ei propositum fuisset, non ignorabat, opus esse naturam eiusmodi exponere. Sed quoniam eo evangelii loco regenerationis per lavacrum mentionem facit, Iesumque ut Dei filium exhibet; idcirco hoc veluti exemplo demonstrare nititur quemlibet hominem in Deo regeneratum, etiamsi vere filius hominum habeatur ob carnem qua indutus est, non tamen cum sua natura in carneis genitoribus sistere, neque non ultra corporis procreatores excurrere: verum etiamsi filius hominum videatur ob corporis nativitatem, nihilominus haud alienum a Dei adoptione censeri. Quandoquidem ergo Lucas haud secundum Matthaei mentem historiam suam scribit, consentaneum erat ut Matthaei tempora praetergressus, ad regenerationem per lavacrum veniret, ibique con-

trariam poneret prosapiarum successionem: simul pergens a postremis ad initia, simulque memoriam sontium ac scelestorum qui sunt apud Matthaeum hominum vitans: quia regeneratus apud Deum alienus fit a carnea natura, et a peccatoribus secundum carnem patribus, Dei nimirum declaratus filius, et omnium qui secundum Deum sine culpa vixerunt.

4. Exempli gratia Paulus apostolus patrem secundum carnem habuit iudaeum, ut credibile est, a fide alienum: habuit quoque patrem secundum Deum, cuius videlicet vitae institutum amplexus est. Siquis ergo Pauli secundum carnem genus narrare velit, quemnam merito patrem memorabit nisi carnalem? Sin rursum aliquis Pauli in Christo nativitatem ostendere velit, cuiusnam potius mentionem parentis faciet, quam eius a quo secundum Deum regeneratus est? Sic Abrahamo quoque dictum fuit: " tu vero abibis ad patres tuos bona saturatus senectute ". Qui profecto sermo haud carneos patres demonstrat, nisi hi forte pii quoque fuisse credantur; sed de patribus secundum Deum loquitur, propter pietatis similitudinem. Sic Abrahami sontes filii, huius quidem secundum carnem filii erant, moribus autem Sodomorum filii atque Gomorrhae. Idcirco dicitur illis: " audite sermonem Domini principes Sodomorum, adtendite Dei legem popule Gomorrhae ": tamquam rursus si ex his essent Abrahami filii proventuri. Qui igitur ex gentibus Christo Dei credidimus, quamquam infidelibus secundum carnem geniti patribus, in Abrahami domum migravimus, Christi eiusque discipulorum nacti adoptionem: atque ita in aliam nosmet inscripsimus generis successionem, multo carnea meliorem propter in Christo regenerationem.

5. Merito igitur Lucas, cum de regeneratione loquatur, haud eadem qua Matthaeus semita pergit: nempe non Salomonis, non uxoris Uriae, non Thamarae, non Ruthae, non Iechoniae, nec quorumvis praeter hos reorum mentionem facit: sed per alios reprehensione carentes graditur; Christumque a propheta Nathane progenitum exhibet: ita ut qui apud Matthaeum carnaliter gignitur, idem apud Lucam veluti Abrahami filius ponatur. Certe Abrahamo haud aliter benedictio gentium promissa fuit, quam quod ea futura erat ob gignendum de genere eius. Atque hic est, qui in Deo regeneratus, atque alios patres secundum Deum nactus, re tamen vera haud ipsos habet patres, sed ita credebatur propter morum similitudinem: qua videlicet ad parentem verum conscendit post omnes existens filius Dei.

IIII. Africani super genealogia quae in sacris evangeliis est.

1. Nonnulli seu evangelicam historiam nescientes seu intelligere nequeuntes: laudativo errore inscitiam cumulant dicentes, merito fieri differentem nominum recensionem, mixtionemque sacerdotalium cum regalibus, ut iure Christus sacerdos atque rex demonstretur: quasi aliquis de hoc dubitet, aut aliam spem habeat; nempe quia Christus aeternus sit apud patrem pontifex, nostras ei preces exhibens: rex autem

supramundanus, quos liberavit pascens spiritu, socius effectus in omnium rerum gubernatione, Atqui eos ignorare non oportebat, utrumque numeratorum ordinem genus esse Davidis, seu Iudae regiam tribum. Namque ut forte propheta Nathan fuerit, et quidem etiam Salomon et horum utriusque parens, atque ex multis tribubus prophetae; certe sacerdotes haud quilibet erant de duodecim tribubus, sed soli levitae. Frustra igitur compositum est mendacium; neque praevalebit hic sermo in ecclesia Christi et Dei contra accuratam veritatem; ita ut falsa oratio consarcinetur in Christi laudem atque praeconium. Quare ut et ita loquentium coarguam inscitiam, et in posterum caveam nequis in huiusmodi imperitiam incurrat, veram gestarum rerum historiam proferam. Scilicet apud Israëlitas prosapiarum nomina aut natura numerabantur aut lege; natura, genuini generis successio; lege, cum alius gignebat liberos fratris nomine, qui prolis expers obiisset: nondum enim ipsis ostensa fuerat resurrectionis spes, unde futuram promissionem quodammodo exprimebant resurrectione mortali, ne defuncti nomen extingueretur. Age vero quoniam ii, qui hac genealogia continentur, partim germano traduce filius partem consecutus est, partim ab aliis geniti, neque tamen naturali sed alienae appellationi addicti fuerunt; utrorumque facta est mentio, nempe et eorum qui genuerunt, et eorum item qui pro gignentibus habiti sunt. Ita neutrum evangelium mentitur, dum naturam numerat atque legem. Implicabantur enim inter se genera salomonicum et nathanicum reparatione sterilium et secundis nuptiis et generis excitatione: ita ut merito iidem homines aliâs aliis patribus adscribantur, nempe et iis qui specie, et rursus iis qui reapse genitores sunt: atque ambae narrationes apprime verae ad Iosephum varie quidem sed tamen adamussim deveniant. Ut autem quod aio perspicuum fiat, permutationem generum patefaciam. Generatio naturalis est illa Matthaei: generis excitatio legalis est illa Lucae. Matthanus Salomone oriundus genuit Iacobum. Matthano defuncto, Melchi Nathane oriundus, e Matthani uxore Helim suscepit. Igitur uterini fratres Heli et Iacobus. Heli mortuo sine liberis, Iacobus excitavit ei sobolem genito Iosepho, suo naturaliter filio, ex legis autem forma Heli filio. Sic utriusque filius Iosephus.

V. Cur Matthaeus ante Abrahamum ponat Davidem in Christi genealogia dicens: liber generationis Iesu Christi, filii Davidis, filii Abrahami.

1. Rei causa est quia primo solique Davidi vaticinium iure iurando confirmatum fuit, fore ut ex eo Christus humanitus nasceretur; scriptum est enim: " de fructu „ ventris tui ponam super sedem tuam. Rursusque: posui testamentum electis meis; „ iuravi Davidi servo meo, usque in eternum praeparabo semen tuum; et aedificabo „ in generationem et generationem sedem tuam „. Atque hae sunt propheticae promissiones. Regni autem salomonici spatium non est obscurum: dicitur enim quadraginta tantummodo annis Israëlis sceptrum tenuisse. Qui ego fieri potest ut vere ad hunc referantur verba " erigam thronum eius in aeternum? „ Quod siquis dicat,

haec de regia illius successione Deum esse locutum; non est ignorandum, usque tantummodo ad Iechoniam et babylonicam captivitatem, davidici ac salomonici regni successionem perseveravisse, nemine post Iechoniam in regia Davidis sede constituto. Et animadverte uti hoc etiam addiderit prophetia de promisso germine dicens: "ego „ ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium. Rursusque alibi: ipse invocabit „ me, pater meus est tu; et ego primogenitum ponam illum „: quae incongruentia sunt Salomoni.

2. Adiungenda sunt etiam quae de eodem in regum libris narrantur sic: "atque rex Salomon mulierosus erat; duxitque feminas alienigenas multas; filiam Pharaonis, et moabitidas, ammonitidas, idumaeas, syras, chettaeas, amorthaeas: de gentibus scilicet, quibus interdixit Dominus filiis Israëlis ne sociarentur eis „. Insuper additur: " et non erat cor eius perfectum cum domino Deo suo, sicuti cor Da- „ vidis patris eius. Pauloque post: tunc aedificavit Salomon excelsum Chamoso idolo „ Moabitarum in monte qui est e regione Hierosolymorum: itemque Molocho idolo „ Ammonitarum, et Astartae impuritati Sidoniorum. Atque ita morem gessit cunctis „ feminis suis alienigenis, quae tura adolebant diis patriis et sacrificabant. Porro ira- „ tus est Dominus Salomoni quod aversum esset cor eius a domino Deo Israëlis. „ En haec omnia ad Salomonis criminationem dicuntur. Quomodo ergo accommodabis ei iusiurandum, in quo praeter cetera dictum est, et ego ero illi in patrem, ipse erit mihi in filium? Immo vero manifeste haec aliena a Salomone sunt: praeclare autem referuntur ad eum, cuius de genere Davidis praedictus fuerat adventus, quique reapse e davidico stemmate emersit.

VI. Cur Matthaeus post Davidem ad consectaneos generis successores non veniat, sed transiliat ad Abrahamum, non tamen ad Adamum, neque ad alium quemlibet ex antiquis Deo dilectis hominibus.

1. Quia primo similiter Abrahamo varia edita fuerant de vocatione gentium oracula. Namque ante mosaicam legis lationem, atque ante Iudaeorum ipsum genus, immo et ante circumcisionem, alienigena fuit Abrahamus: qui regione chaldaica migrans, patria instituta deseruit, supremoque Deo agnito, testimonium retulit quod Deo crediderit; idque illi reputatum est ad iustitiam. Iustus autem piusque visus est non ob corporis circumcisionem, neque ob sabbati observantiam aut festorum aut kalendarum, neque ob quaslibet a Mose invectas religiones; sed ob summi Dei cognitionem, atque ob Domini, qui illi oblatus est, manifestationem (qui quidem erat servator noster, Dei scilicet Verbum) et ob suam denique sanctam ac virtutibus praeditam vitam. Huic igitur qui eiusmodi pietatis genus sectatus fuerat, facta promissio est de gentibus, veluti quae aliquando secundum Abrahami zelum piae futurae erant, paremque religioso patriarchae benedictionem consecuturae. Quae cum ita se habeant, consentaneum erat, ut Abrahamus vocatarum gentium princeps, ab evangelista adsumeretur secundus post Davidem. Namque hi duo fuerunt illustres viri, queis pri-

mis Deus Christi adventum gentiumque vocationem dignanter ante significavit. Par autem fuit, ut is cui nativitas servatoris omnium hominum promissa fuit, praeponeretur illi qui de vocandis gentibus promissiones accepit: secundus tamen in genealogia scriberetur gentium ipsarum patriarcha. Quare liber Iesu Christi capit auspicia primum quidem ab eo qui fuit carnalis Iesu Christi progenitor; deinde ab illo qui spiritu pater erat servandorum per Christum. Servator enim servatis gentibus praevertendus erat.

VII. Cur Thamarae facta mentione, nullam praeterea mulierem commemoraverit evangelista recte factorum laude illustrem.

1. Thamaram siquis ceu meretricem traducere studet, is audiat Iudam dicentem: " Thamara iustior me est, qui non eam tradidi Silomo filio meo ". Haud enim fornicandi causa prostitit in cella, sed pudico consilio et liberorum gratia Iudam venata est. Neque rei causa latet. Huic quippe Iudas mandaverat domi ut maneret, donec Silomus adolesceret filius suus, qui eam deinde uxorem duceret. Ipsa vero alacriter obtemperaverat, sterilitatis patiens atque viduitatis, Iudae sponsionibus freta. Sed enim cum hic promissa non faceret, illa liberorum desiderio percita, quod eorum temporum homines maxime urgebat, sterilitatem in summis malis vulgo ponere solitos; seque a Iuda delusam sentiens, frustraque spem in eius filio collocatam; ipsa sibi virum conciliat, nulla adhuc lege Mosis aut prophetarum aut cuiuslibet hominis id vetante. Tum sollerter excogitat quanam ratione ex ipso liberos suscipiat. Ergo celata conditione sua struit insidias ut cum eo rem habeat; simul temperantiam suam atque illius incontinentiam coargutura. Namque ipsa dum multis annis illi obtemperat, vidua sterilisque permanserat: cumque ei facultas esset nubendi alteri, matrique fieri liberorum ex quovis alienigena, non tulerat: sed Iudae maiorum, Abrahami nempe Isaaci atque Israëlis, cognationes maluerat. Contra is qui filiam in viduitate reliquerat, sterilemque puellam in longum tempus distulerat, temperare sibi non potuit post uxoris obitum. Nam statim ac Iudae uxor defuncta est; is, nulla fortasse lege rem eiusmodi prohibente (1), dum feminam meretricem esse existimat, ab ea, cui fuerat iniurius, deceptus est: qui tam lubrico ingenio praeditus puellam tot iam annis promissionibus eius fidentem, et solitariae temperantique vitae deditam, liberorum fructu privabat.

2. Haec igitur peractis nuptiis geminae statim prolis mater evasit; hoc illi praemium boni propositi largiente Deo. Quae enim aliis se tradere potuerat, atque amasiis alienigenis ethnicisque frui; nihil eiusmodi molita est: sed potius rogavit ut piorum hominum genere digna fieret. Et quidem cum ipsa esset stirpe alienigena, talem tamque laudabilem personam sustinuit. Praeter quam quod Thamara haud prius ausa est rem habere cum Iuda, quam huius uxor obiit: qua

(1) Recole dicta p. 23. n. 1.

nondum extincta, tale quid adgredi nefas esse putaverat. Mansisset itaque patria in domo vel perpetuo liberorum expers, nisi occasionem sibi favere cognovisset; ideoque, ut dixi, Deo usa est adiutore, qui ex uno cum Iuda congressu gemellae prolis cumulatum ei largitus est fructum: simul in liberorum generatione arcanam machinans providentiam: ob quam potissimum existimo ab inclyto evangelista omnem huius rei mentionem in servatoris nostri genealogia fuisse comprehensam. Gemellis enim e Thamara natis liberis Zara et Phares, non vulgares eventus videtur mihi ex horum generatione scriptura portendere. Atque idcirco Matthaeus amborum cum matre meminit his verbis: " Iudas genuit Phares et Zaram de Thamar ". Cur enim ei non suffecit dicere, Iudas genuit Phares? praetermisso Zara; quod fecit in Iacobo, quo uno memorato, Esavum reticuit.

3. Addit etiam ex qua matre sint nati, nempe ex Thamara: quibus verbis hortatur quodammodo nos ad considerandam horum historiam. Age vero in genesi Moses haec ait: " cum iam esset paritura Thamara, gemelli erant in utero eius: „ dumque pareret, unus protulit manum, qua arrepta obstetrix illigavit ei coccinum dicens, hic prior exibit. Sed enim eo retrahente manum, statim exiit frater eius. Aitque mulier: cur divisa est propter te maceria? dixitque nomen eius Phares. Deinde egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: vocavitque nomen eius Zaram ". Vides generatio praedictorum quanta contineat, quorum causa opinor non esse silentio pressa quae apud inclytum evangelistam significantur ab his mysteria. Itaque sacer apostolus vocabulum maceriae interpretans (et quidem fortasse quo loco dictum est, cur divisa est propter te maceria?) sic ait in epistula ad Ephesios: " ipse enim est pax vestra qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua „ legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semet ipso in unum novum hominem; et reconciliet ambos in uno corpore Deo ".

4. Iamvero his mentem intendens, videsis num forte duorum praedictorum coniuncta nativitas, nempe et Phares propter quem facta est divisio, et prioris qui manum protendit, posterior autem exiit, significet duarum vitarum genera, quibus usi sunt illi homines qui Deum patrem habere meruerunt; partim in evangelio, partim in lege mosaica victitantes. In his prior manum protulit vita evangelica; neque tamen eadem in lucem prior exiit; sed manu retracta, vitae mosaicae, quae posterior erat, permisit primae exire. Sic illa quae prior erat, ultima exiit, signo manui alligato, a quo prior esse comprobatur. Erat autem ante Mosem piorum hominum vita secundum Christi evangelium; in qua excelluisse traduntur Abrahamus, Isaacus, Iacobus, Melchisedecus atque Iobus: et multo his priores Noachus, Semus atque Iaphetus et Enochus et quotquot his similes fuerunt. Iusti igitur hi omnes et pii ac Deo dilecti; et quidem aliquot alii feruntur, quos a mosaica lege fuisse alienos in confesso est. Nimirum hi praevertentes mosaicum morem, pari nobiscum philosophia evangelica splenduerunt.

5. Et illa quidem prior vita a Zara portendebatur, quem orientem interpretamur. Pietate enim lucentes primi orientis radii per eos qui primi inter homines religiosi fuere, emicuerunt: cuiusmodi erant ii qui ante Mosem iam inde a prima hominum creatione sanctum Dei cultum prae se tulerunt. Atque hi non secus atque Zara primi manum protenderunt, sollertis vitae indicio facto, qua tamen non sunt potiti, moribus eorum se retrahentibus. Atque interim maceria veluti divisa, exiit frater eius, vitae nimirum secundum Mosem genus, quod medium parietem mirificus apostolus appellavit: quare et ille Phares vocatus fuit, nomine sumpto a maceriae divisione: Phares quippe explicatur partitio. Hinc et Pharisaei in Iudaeis excellebant, quia se per quandam factionem a multitudinis commixtione seiunxerant. Beatius igitur multoque melius fuisset non diffindi maceriam, sed unum quid indivisumque manere. Id autem accidisset, si ei qui prior manum extendit, subsequens alter eodem vitae genere vixisset. Multo enim erat melius si circumcisionis asseclae mores antiquorum Deo dilectorum hominum amplexi fuissent: nam sic una fuisset maceria, una aedificatio primorum et extremorum.

6. Nunc quia primum morem perseverare non sivit secundorum infirmitas; divisione merito facta maceriae quae secundum Deum est, medioque pariete maceriae interiecto, qui olim prior manum extenderat, posterior in lucem prodiit per servatorem nostrum Iesum Christum, qui antiquissimam et primitivam maceriam recuperavit. Quare et de illo prophetia dicit: " et vocaberis aedificator maceriarum ". Hic etiam praedictum parietem medium abstulit; quia cum sit sabbati quoque dominus, facit utraque unum: sicuti ait sacer apostolus " ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque " unum, et medium parietem maceriae solvit ". Et quidem medium parietem interpretans, subdit " legem mandatorum decretis evacuans " sublato legis mosaicae medio pariete; qui nos ethnicis oriundos parentibus excludebat a Dei religione: quia ne si voluissent quidem, fieri poterat ut cunctae gentes ex mosaicae legis formula vitam agitarent.

7. Deus igitur, ut in evangelica demonstratione iam adseruimus, evangelicam vitam cunctis proposuit, ita ut primigenium illud religionis genus perfectam atque illustriorem originem redderet, dum manu praefert testimonium primatus sui. Quamobrem vita per salutare evangelium cunctis gentibus tradita, eadem erat atque illa quae ante Mosem manum protenderat: cuius vitae exercitatio in primis illis Deo dilectis hominibus perspecta est: eandemque figurabat hic Zara, qui primum divinae inter homines reip. ortum extulit: fuitque idem principium et finis, primus et ultimus; ortus brevis qui postremo cunctis rursus effulsit hominibus. Sed enim et illud ante dictis addendum est, in libro generationis Iesu Christi non a primo ex duobus, nempe Zara, dici progenitum eum cuius texitur genealogia; sed a secundo, videlicet Phares. Nam reapse secundum carnem genitus fuit de gente et genere secundi: neque tantum natus e muliere, sed factus sub lege, ut et eos qui sub lege erant redimeret, secundum apostoli hac etiam de re testimonium.

VIII. Cur uxoris Uriae meminerit in genealogia evangelista?

1. Liber generationis Iesu Christi dum ait, "David rex genuit Salomonem ex ea „ quae fuit Uriae „ declarare propemodum ac nunciare videtur, fore ut mox preces Davidis ac supplicationes re optata potiantur. Continet enim liber incarnationem Iesu Christi servatoris omnium et medici, cuius unius opera sperabat David se absolvendum esse a crimine circa Uriam eiusque uxorem, et a mortis calculo expediendum. De hoc igitur Iesu Christo necem subeunte (cuius beneficio anima quoque Davidis liberanda erat) vaticinans in psalmis idem David, descensum servatoris ad inferos suamque ipsius salutem significavit, dicens: "Domine eduxisti ex in- „ feris animam meam, servasti me a descendentibus in lacum. Item: qui exaltas me „ de portis mortis. Item: non derelinques animam meam in inferno. Item: conver- „ sus vivificasti me; et ex abyssis terrae iterum reduxisti me „ Quis autem erat descendens reducensque eum ex abyssis? quis servans eum a descendentibus in lacum? nisi hic, de quo librum generationis mirabilis evangelista conscribit: inter alia, bona quoque Davidis nobis nuncians.

2. Existimo autem in id barathrum delapsum fuisse Davidem ob unius voculae noxam, quam in vigesimo nono psalmo sibi ait excidisse: " ego dixi in abun- „ dantia mea, non movebor in aeternum „. Namque animi elatio et talis elocutio, qua significabat nunquam se fore commovendum, sed firmum inlibatumque mansurum in abundantia sua, arrogans erat atque superba; neque similis huic: " nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant „ eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilavit qui custodit eam „. Itaque divinis beneficiis affluens, magnisque virtutibus auctus, ausus erat dicere " non movebor in aeternum „. Quare et protinus destitutus fuit ab auctore bonorum eius Domino, adhaesitque illi spiritus alienus. Ait ergo in eodem psalmo: " ego dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum. Tu autem avertisti fa- „ ciem tuam et factus sum conturbatus. Domine in voluntate tua praestitisti decori „ meo virtutem „. Nimirum docet, se qui antea dixisset non movebor in aeternum, mox faciem avertente ob superbam eius vocem Deo, in gravem incidisse perturbationem. Deinde his eruditus pristina sua recte facta haud iam sibi sed Deo tribuit dicens: "Domine in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem „. Cum enim avertisti, inquit, faciem tuam, et ego factus sum conturbatus, tunc eundem te esse agnovi, qui olim quoque voluntate tua praestiteras decori meo virtutem. Nam si quis fuit decor animae meae ante peccatum, is a tua gratia et munere dimanaverat. Haec autem post suae infirmitatis cognitionem fatetur.

3. Ceterum cum venit ad eum Nathan propheta, quo tempore rem ipse habuerat cum Bersabea, piam illam vocem, quae in quinquagesimo psalmo est, emisit " tibi soli peccavi, et malum coram te feci „. Dum vero ait tibi soli peccavi, non idcirco sic loquitur, quasi in solum Deum peccavisset: nam neque blasphemia neque periurio neque simili impietate se obstrinxerat, ut quisquam merito existimaret ab eo adversus Deum

fuisse peccatum. Verum, si plane loqui licet, magnopere peccaverat in Bersabeam, maxime in Uriam, in primis vero contra suam animam. Cur ergo heic ait tibi soli peccavi? Nempe existimo eum intelligere: tibi soli notum fuit peccatum meum. Manifestius igitur addit: et malum coram te feci. Hominum quippe nullus mihi timor erat, nisi tuus ingruisset. Prosternens igitur humi faciem, haud ante surrecturum se ait, quam gratiam consequatur. Et comprecantur ei quicumque favent felicitati eius, orantque ut voti compos fiat. Propterea dictum est in trigesimo primo psalmo supra centesimum: " memento Domine Davidis et omnis mansuetudinis eius. „ Sicut iuravit Domino, votum vovit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meae, si ascendero in lectum strati mei; si dabo somnum oculis meis, et „ palpebris meis dormitationem; donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo „ Iacob „.

4. Dum ille sic orat atque adfirmat se non ante ascensurum in lectum strati sui, neque domum suam ingressurum, insuper se non daturum palpebris suis dormitationem, donec invenerit futurum Domini locum; demonstrat ei Dominus Bethleemum. Propterea post eius precem ii qui secum orant sancti angeli Dei addunt: " ecce audivimus eam in Ephratha „. Porro Ephratha Bethleemus est, uti narrat Moses ubi ait: " mortua est Rachel, et sepulta est in via quae ducit Ephratham; „ ipsa est Bethleemus „. Sed et Michaeas Ephratham ait esse Bethleemum: " et tu „ Bethleem domus Ephrathae nequaquam minima es in principibus Iudae „. Deinde orat David non solum ut cognoscat Domini locum, sed etiam ubinam futurum sit tabernaculum eius. Tabernaculum vero sunt exuviae et corpus, quod sibi Dei Verbum adscivit. Et de loco quidem recte praenuntiaverunt dicentes: " ecce audivimus „ eam in Ephratha. De tabernaculo autem mox subiciunt: iuravit dominus Davidi „ veritatem, et non frustrabitur eam; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam „. Quibus verbis admonetur David fore ut destinatum Domino tabernaculum fructus sit ex eius stirpe gignendus.

VIIII. Cur Ruthae meminerit evangelista.

1. Quid ni divus apostolus, qui alienigenarum gentium vocationem spiritu praevidebat ob evangelium suum futuram, quid ni, inquam, alienigenae feminae meminisset? Alienigena sane erat Rutha, et quidem ex iis alienigenis quorum commercio Moses interdixerat, nempe moabitis. " Moabitae, inquit, et Ammonitae non intrabunt in Dei ecclesiam usque ad tertiam et quartam generationem, immo in aeter- „ num „. Sed tamen haec ob suam erga Deum pietatem facta legi superior ingressa est in ecclesiam Dei: quoniam lex eos qui sub lege sunt alloquitur; iusto autem non est constituta lex, sed iniustis et refractariis et impiis et peccatoribus. Rutha vero non erat eiusmodi, etiamsi gente alienigena: sed supergressa legis fines introivit ecclesiam Dei, et de genere habita est israëlitico, atque in progenitores servatoris nostri dignanter adsumpta est propter morum, non corporis, nobilitatem: nobisque omni-

bus genere ethnico natis maximum obiectum est exemplum, fore ut si paria illius faciamus, parem gratiam a Deo referamus.

2. Recte igitur qui alienigenarum vocationem atque adoptionem nunciaturus erat, hanc in genealogia mulierem posuit; nos alienigenis ortos quodammodo per eam erudiens fore ut, si patrios mores deseramus, iure optimo consentanea meritis bona consequamur: neque enim diutius alienigenis adnumerabimur, neque his oriundi appellabimur, sed e vero Israële et populo qui est hereditas Domini. Rursus necessario Ruthae meminit evangelista, dum in historia sua causas tradit, quae legis tollebant interdictum eiusmodi: " Moabitae non intrabunt in ecclesiam Dei ". Femina enim moabitis ad conditionem transiit Rachelis et Liae, quarum utraque aedificavit domum Israëlis. Cur autem non decuisset genealogiam servatoris nostri Iesu Christi mentio Ruthae? de qua et illud dictum fuit " facere virtutem in Ephrata, erit nomen in Bethleem ". Prophetias esse has perspicuas quispiam dicet; videlicet e Bethleemo nomen Christi Iesu, cuius genealogiam texit Matthaeus, per universas gentes diffusum cernens, virtutemque Bethleemi patratam: ob quam virtutem omnes gentes Christum Dei a Ruthae genere deductum agnoscentes, eiusdem causa a patriis ritibus aeque ac Rutha recesserunt, seque Deo Israëlis, item ut illa, tradiderunt. Quas ob res haud imprudenter mihi videtur ad Christi genealogiam mentio Ruthae adiecta.

X. Cur Ioacimum nomine Iechoniae appellaverit evangelista.

1. Binominis hic erat. Sed quoniam apud Hieremiam prophetam is, qui Iechonias appellatur, maledicto appetitur his verbis: " ludibrio habitus est Iechonias tamquam vas cuius non est usus. Quamobrem abiectus est ipse et genus eius: terra terra, audi sermonem Domini, pone hunc virum proscriptum, quia non constituetur de genere eius super thronum Davidis, qui diutius in Iuda imperet; " et quoniam horum causa praedicto regi contigit ut babylonicam cum populo captivitatem subiret, merito inclytus evangelista redemptoris omnium servatorisque scribens generationem, huius quoque meminit contempti et proiecti cum sua stirpe in babylonicam terram, ideoque proscripti et captivi: hinc videlicet docens, qui ad praedicandam captivis libertatem missus fuerat a patre, hunc esse Iesum Christum, de quo librum scribit, et ad quem spectat quod apud prophetam recitatur oraculum: " spiritus Domini super me, eo quod unxerit me: ad annunciandum pauperibus misit me, praedicandamque captivis libertatem ". De quo alio item loco ait propheta: " ipse aedificabit urbem meam, atque a captivitate populum meum revocabit ".

2. Tempestive igitur Iechoniae atque huius animae, atque iis qui similem illi passi fuerant ignominiam et animarum captivitatem, redemptoris adventum nunciat Matthaeus, qui filii Dei genealogiam, itemque aliorum sontium peccatorumque hominum, scribit. Unus enim idemque sermo et Davidis circa Uriae uxorem crimen, et Iudae fornicationem, et alienigenam seu moabitidem Rutham, memorat. Idem sermo Iesum cum

publicanis peccatoribusque viventem, et turpissima ab hominibus passum, et denique cum maleficis crucifixum exhibet. Erat vero is sermo quo dictum est: " ecce „ agnus Dei, qui tollit peccata mundi „. Oportebat enim eum, qui futurus erat expiator veterum quorumvis criminum ac futurorum, quique animam positurus erat pro hominum animabus; hunc, inquam, oportebat ea mala omnia obire, et peccatorum impiorumque poenas ipsum innocuum sustinere, donec oracula de eo dicta et reliqua exitum haberent. De eodem quoque mirificus ait Isaias: " hic nostra pec- „ cata perfert, et pro nobis patitur: ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, „ attritus est propter scelera nostra, et livore eius sanati sumus „.

3. Quod si propheta de Iechonia ait terrae: " pone hunc virum proscriptum, quia „ non surget de genere eius qui sedeat super thronum Davidis, regnetque in Iuda „: haud prorsus negat superfuturum huius genus, sed neminem ait regnaturum de stirpe eius in gente iudaica: quod revera ita se habuit. Itaque dicit: " ludibrio habitus est „ Iechonias, ceu vas cuius nullus est usus. Quamobrem proiectus est ipse et genus eius „ in incognitam sibi regionem „: quibus verbis perspicue babylonicam terram designat. Iamvero qui ad libertatem captivis nunciandam, et peccatorum catenas atque animarum olim morte devinctarum solvenda vincula missus est, is sane ad horum omnium salutem patrandam venit. Quare de ipso vaticinatur David: " misit „ verbum suum et sanavit eos ab interitionibus suis. Confitemini Domino misericor- „ dias eius, et mirabilia eius filiis hominum. Quia contrivit portas aereas, et vec- „ tes ferreos confregit. Et suscepit eos de via iniquitatis eorum. Humiliati sunt: „ sed eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum disrupit „. Haec nimirum de redemptione a morte per Christum dicuntur, cui rei consonat aliud oraculum: " devoravit mors praevalens „. Rursusque: " abstulit Deus omnem la- „ crimam ab omni facie „. Porro animadvertendum est, non excidere vaticinium quod ait: non surget de genere Iechoniae qui sedeat super thronum Davidis, qui in Iuda imperet: quia nemo reapse de tribu Iudae post Iechoniam davidici regni fuit successor. Etenim post babylonicam captivitatem subdita fuit sacerdotibus universa gens usque ad servatoris nostri Iesu Christi adventum: quo in terris versante, tetrarchae erant Herodes atque Philippus, praeses Pilatus, dominusque omnium Caesar imperator.

XI. Cur evangelista utatur distinctionibus in genealogia, haud simul contexens generationes ab Abrahamo ad Christum quadraginta duas, sed dividens successiones per ea quae scribit segmenta.

1. Hoc facit propter diversas populi constitutiones, quae ex historia exploratae sunt. Alia quippe fuit constitutio ab Abrahamo ad Davidem; rursusque alia a Davide usque ad captivitatem; quam subsequitur tertia usque ad Christum. Namque ab Abrahamo ad Davidem constat Hebraeis non fuisse reges, sed genti imperavisse post Mosen eos, quos iudices appellabant: et erat quidam peculiaris mos horum suc-

cessionis. Sed neque fortasse Hierosolyma adhuc erant aedificata, neque certe ibidem templum. Quare sapienter evangelista sine historiae perturbatione in Davide substitit, dum Abrahami posteros separatim enumeraret. Deinde rursus, quoniam a Davide usque ad captivitatem Hebraei propriis usi sunt regibus, partim Davidis successoribus, partim iis qui populi segregatae parti imperitaverunt; quo tractu temporis Hierosolymis templum a conditu suo usque ad captivitatem perseveravit; merito evangelista hos quoque separans sub peculiari classe conclusit. Iamvero quia post captivitatem usque ad Christum nullum iam erat Davidis regnum, sed a Iudae tribu in genus sacerdotale principatus deciderat, quae dominatio a Cyri temporibus ad Christi nativitatem mansit; idcirco et hos successores separata in classe recensuit. Atque hae causae fuerunt, propter quas haud temere evangelista tres fecit distinctiones.

XII. Cur quum a Davidis temporibus usque ad Iechoniam seu ad babylonicam captivitatem septemdecim reges fuerint, generationes quatuordecim dicat evangelista.

1. Si successiones scribere propositum Matthaeo fuisset, speciose hunc aliquis reprehenderet, ceu qui regum seriem abrupisset. Constanti enim adfirmatione in regum libris et in paralipomenis post Ioramum Iosaphati filium tres continenter regnant Ochozias Ioasus et Amesias: quibus succedunt Ozias Ioathamus et Achazus. Nihilominus, praetermissis evangelista tribus prioribus, Ioramo Iosaphati filio statim subnectit Oziam Iothamum atque Achazum, intermedios illos praeteriens. Id si, inquam, fecisset cum regum seriem texere decrevisset, scriptura eius mendosa quodammodo videretur. Nunc revera haud successiones sed generationes enumerare sibi proposuit: hoc enim significat sermo dicentis: omnes itaque generationes ab Abrahamo usque ad Davidem, generationes quatuordecim: rursusque a Davide usque ad Iechoniam seu ad babylonicam transmigrationem, generationes quatuordecim, non successiones quatuordecim. Merito igitur omni reprehensione carebit. Nunc quia Matthaeus successionum nomine non est usus; regum autem historia et paralipomena successiones narrant non generationes, nulla in horum comparatione pugna apparet.

2. Age vero generationis nomine appellare non licet hominis aetatem, quoniam saepe accidit aliis quidem breviter vivere celeriterque extingui aetate infantili; aliis usque ad pueritiam venire; aliis ad iuventam; aliis ad virilem aetatem: aliis denique ad extremam usque senectam vitam producere. Quam vero aestimare licet generationem? siquidem alius vivit usque ad decimum annum, alius ad vicesimum, alius ad quinquagesimum, alius usque ad septuagesimum; alius denique vel centesimum superavisse annum non apud veteres solum, verum etiam apud nos, conspicitur. Cur igitur existimant hominis vitam appellandam esse generationem? Sed neque tempus usque ad prolem primo susceptam sic appellare licet: namque alii ante aeta-

tis annum vigesimum nubentes gignunt: alii ne post trigesimum quidem aetatis annum: et coaetaneos quoque videas, alios quidem in prima genitura adhuc consistentes, alios iam in quartam progressos: ita ut quinquagesimo anno alii nepotes videant: alii vero ne septuaginta quidem annorum spatio prolem ullam nanciscantur. Quo pacto igitur numerandae essent generationes, a macrobiis an ab oligochroniis? a mature, an a sero gignentibus? ab iis qui in prima genitura versantur, an ab iis quibus iam plures liberi sunt? Quibus ita perpensis divus evangelista, haud successiones scribere studens, sed generationes secundum rationem sibi exploratam enumerans, successionum historiam neglexit; tot vero homines ad genealogiam adsumpsit, quot ei sufficiebant ad quatuordecim generationes explendas. Sic eius veridicus sermo est, neque omnino contrarius historiarum traditioni.

XIII. Cur quum a Iechonia ad Iosephum duodecim in genealogia sint, evangelista quatuordecim rursus dicat.

1. Rei causa eadem est: non enim ei successiones sed generationes, ut dixi, conscribere cordi erat. Saepe vero contingit, ut in macrobiis atque longaevis, quicumque fuerit succedentium numerus, nihilominus ipse generationum numerus plenus habeatur. Quam ob rem sicuti in classe patrumfamilias a Davide ad captivitatem, quum paulo maior succedentium numerus esset, pauciores tamen ab evangelista proditae sunt generationes; namque in septendecim virorum successionibus generationes quatuordecim dictae fuerunt; eodem nunc quoque consilio in hominum successionibus duodecim, quatuordecim expletae dicuntur generationes: quia videlicet duodecim illi, ut credere par est, macrobii fuerunt atque longaevi, ita ut sufficerint ad quatuordecim implendas generationes. Ad quaestionem haec prima responsio est.

2. Sed enim alia quoque ratione inita invenies, si diligenter historiam consideraveris, quatuordecim in hac ipsa historia appellatos; si, praeter duodecim, numeraveris Iesum Christum ipsum Iosephi filium existimatum; hisque adiunxeris etiam Iechoniam, illum scilicet qui Babylonem translatus fuit, non alterum qui ante babylonicam captivitatem Hierosolymis imperavit. Duo quippe fuerunt homonymi; Ioacimus videlicet post Iosiam, qui fuit eiusdem Iosiae filius et Hierosolymis regni successor: rursum alter Ioacimus praedicti homonymi filius. Hi Iechoniae quoque appellati fuerunt, nomine eorum ad graecam formam inclinato. Prior itaque Ioacimus, idemque Iechonias, filius Iosiae, in generationibus ante captivitatem concludatur. Huius autem filius, alter Ioacimus, idemque pariter Iechonias, prioris Ioacimi filius, Iosiae nepos, si cum iis recenseatur qui post captivitatem usque ad Christum fuerunt, plenus existet quatuordecim generationum numerus.

3. Porro duos fuisse Ioacimos, librorum regiorum testatur scriptura his verbis: "regemque constituit Pharao Nechao Eliacimum Iosiae filium pro Iosia patre eius, vertitque nomen eius Ioacimum". Quibus deinde addit: "filius viginti quinque annorum erat Ioacimus, et annis undecim regnavit Hierosolymis". Rursus deinceps prae-

dictus liber: " reliqua autem sermonum Ioacimi et omnia quae fecit, nonne ecce scripta
" sunt in libro sermonum dierum regum Iudae? Et dormivit Ioacimus cum patribus
" suis: regnavitque Ioacimus filius eius pro eo. Filius octodecim annorum erat Ioaci-
" mus cum regnare coepit, tribusque mensibus regnavit Hierosolymis. Nomen matris
" eius Estha. Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quae fecerat pater eius. Tem-
" pore illo venit Nabuchodonosorus rex Babylonis contra Hierosolyma, et urbs fuit ob-
" sessa. Accessitque Nabuchodonosorus rex Babylonis ad civitatem, servique eius op-
" pugnabant eam. Egressusque est Ioacimus rex Iudae ad regem Babylonis, ipse et
" servi eius et mater et optimates et eunuchi. Translataeque sunt bellicae regni
" vires Hierosolymis Babylonem captivae ". Alter igitur hic est Ioacimus, qui Babylonem deportatus fuit. Is idem erat, quem Iechoniam Hieremias appellat, Iosiae nepos non filius. Idcirco is merito connumerabitur in tertia classe generationum quatuordecim, quae a Iechonia ad Christum excurrunt: interim dum pater eius, Iosia genitus, cum suo parente in superioribus generationibus numeratur. Atque ita nobis etiam postremarum quatuordecim generationum integer conficitur numerus.

XIIII. Cur fabri filius Servator noster maluerit quam nobilis alicuius illustrisque viri videri.

Non ad suum divinum regnum ostentandum venit: ideoque nec gloriose nec pompatice nobis adfuit. Porro iter illi in caelum fuit eiusmodi, ut vitam hominum expiaret, dum se ex hominum grege agnum Dei morti devotum et piacularem pro nobis omnibus traderet. Quamobrem ut sine ullo impedimento ad hunc finem tenderet, plurimam prodigiorum suorum partem celandam tenebrisque operiendam curabat, modo vetans quominus res gestae suae in vulgi notitiam efferrentur, modo loca deserta sequens atque in montibus commorationes. Quin etiam divinam suam transfigurationem ne cunctis quidem discipulis suis, sed tribus tantum ostendit; hisque adeo mandavit, necui visum dicerent, donec filius hominis a mortuis resurgeret. Neque pro nobis ea passus esset, quae scripta sunt, si magnifici regis specie, divinoque cum comitatu aut exercitu adventavisset, simul divina prodigia edens, seque universa natura potiorem demonstrans. Recte, igitur secundum apostolum, se ipsum exinanivit, formam servi accipiens, pauperisque Iosephi non recusavit filius videri. Sic enim veridica apparet sententia de illo loquens: " cum esset dives, prop-
" ter nos egenus factus est, ut illius inopia nos divites fieremus ".

XV. Quonam pacto dicatur Iesus super Davidis thronum sedisse.

1. Multifariam intelligitur Davidis thronus. Uno quidem modo, velati siquis significari dicat illum, in quo rex residet, ebore puta lignisque compactum, auroque et regiis lapidibus exornatum. Alio modo, quo imperium ipsum atque universi populi ducatum, thronum regni solemus vocare. Tertius, praeter praedictos, modus

est, quo ille a Deo Davidi promissus thronus, dici potest thronus eius, non in quo ipse sederit, sed quem per caelestia ad eum vaticinia divinae litterae continent. Scriptum est enim in octogesimo octavo psalmo: "iuravi Davidi servo meo; us-„ que in saeculum praeparabo semen tuum; et thronum tuum aedificabo in ge-„ nerationem et generationem. Et rursus: ponamque in saeculum saeculi semen eius, „ et thronum eius sicut dies caeli. Et denuo: semel iuravi in sancto meo, si Da-„ vidi mentiar; semen eius manet in aeternum. Thronus eius tamquam sol in con-„ spectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum; et testis in caelo fidelis „.

2. Igitur quia thronum, tamquam dies caeli et tamquam solem et lunam, in saecula duraturum promiserat Davidi verbis praedictis Deus, propterea multa erat in universa Iudaeorum gente significati throni expectatio. Quumque brevi tempore principatum gessisset David, et post hunc Salomon, et reges horum successores in Iechonia ac babylonica captivitate cessavissent; ita ut post id tempus regius Davidis thronus subversus fuerit; videbantur non sibi constare divinorum oraculorum promissiones. Quamobrem eodem divino spiritu rursum praedictus psalmus, praeter ante dicta, sic loquitur: "ubi sunt misericordiae tuae antiquae, Domine, sicut „ iurasti Davidi in veritate tua? „ Tum etiam regni eius ac successionis excidium thronique eversionem aperte innuit in sequentibus: "tu vero repulisti et despexisti, „ Domine; distulisti Christum tuum; evertisti testamentum servi tui; profanasti „ in terra sanctuarium eius „ Additque "et thronum eius in terram collisisti „.

3. Haec omnia summatim colligit divinus spiritus, propemodum docere nos volens, haud visibile regnum Davidi fuisse promissum neque thronum corporaliter intelligendum. Illae quippe promissiones thronum quendam aeternum vaticinantur soli et lunae caeloque similem, quique perpetuus maneat. Atqui Davidis visibile regnum brevi tempore deletum est. Quamobrem iure quum mox dixisset, thronum davidici regni visibilis fuisse subversum "thronum eius in terram collisisti „; tum vero throni eius gratia, quem divina oracula aeternum caelestemque aiunt, preces addit "ubi sunt misericordiae tuae antiquae, Domine, quas iurasti Davidi in veritate „ tua „? quibus verbis petere videtur ut promissiones sacramento firmatae exitum nanciscantur.

4. Hic nimirum thronus ille est, quem se daturum Davidi Deus iuravit, tamquam dies caeli et veluti solem in conspectu Dei: is est qui dicitur sicut luna perfecta in aeternum, et quem gens universa firmari exoptabat. Atque hunc magnus angelus Gabriel virgini significat datum ei iri qui ex ipsa nasceretur. Quare sic illam alloquitur: "et vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus et filius altissimi „ vocabitur: et dabit illi dominus Deus sedem Davidis patris eius „. Mox quem thronum intelligat pandit: "et regnabit in domo Iacob in aeternum; et regni eius non „ erit finis „: quae Gabrielis dicta oraculis consonant. Olim quidem Davidi sedes aeterni regni ac caelestis promissa fuit; nunc angelus eum qui de virgine gignendus erat occupaturum ait Davidis thronum; nunciatum scilicet neque tamen datum: is autem caelestis erat et sine fine mansurus. Erat igitur hic exitus maximi votici-

nii Davidi editi omnique populo expectati, quodque Gabriel testatur in servatore nostro Iesu Christo veridicum evasisse " regnabit in aeternum, et regni eius non „ erit finis „. Quare et ipse servator ac dominus noster quum rogaretur, num ipse esset rex Iudaeorum, respondit: regnum meum non est de hoc mundo. Nihil enim mortale aut temporale conferebat ei regni sedes: sed ipse erat in universo hominum coetu lucis instar splendens, veluti sol et sicut luna perfecta in aeternum, animas intellectuales illustrans per suam divinam caelestemque doctrinam.

5. Quod si ait, et super Iacob regnabit; cave putes, Iudaeorum gentem per Iacobum significari. Profecto qui haec narrat Lucas evangelista, quandoquidem post servatoris nostri in caelum adsumptionem Gabrielis dicta scripturae suae commendavit, probe noverat Iesum servatorem in Iudaeorum gente nequaquam regnavisse, nedum fore ut aeternum imperium in eos exerceret; quorum etiam adversus hunc molimina atque exitialia facinora narrat, neque solum in evangelio, verum etiam in actibus apostolorum, hostiles Iudaeorum impetus contra Iesu discipulos scribit. Igitur cum existimaret voce reapse Gabrielis significari, fore ut Christus regnaret super eos; id vere dici haud iudicavisset, nisi cunctos homines vocatione servatoris nostri ex omnibus gentibus in adoptionem adsumptos, per domum Iacobi demonstrari credidisset. Unde et divus apostolus perspicue edoctus ait: " non enim qui in manifesto, iudaeus „ est: neque quae in manifesto in carne est circumcisio; sed qui in abscondito, „ iudaeus est: et circumcisio cordis in spiritu, non littera: cuius laus non ex ho„ minibus sed ex Deo est. „

XVI. Qui fit ut Bethleemo Matthaeus quidem in Aegyptum, Lucas autem Hierosolyma atque inde Nazarethum a parentibus delatum narret Iesum.

1. Lucas dum tempus notat, quo servator noster natus est, Augusti regnum memorat censumque sub eo descriptum. Ait autem caruisse eos Bethleemi diversorio, ob posterorum Davidis multitudinem Bethleemum, ut veri simile est, concurrentem profitendorum nominum causa: quare ne hospitium quidem Iosephus nactus est: ita ut Maria ab eodem dicatur partum suum fasciis involvisse atque in praesepio reclinavisse, quia non erat eis locus in diversorio. Sane nil mirum est si ob confluentes ad censum turbas hospitio caruerunt. Addit Lucas: " postquam impleti „ sunt dies ut circumcideretur puer (id autem fieri oportebat octavo post partum „ die) tulerunt illum Hierosolyma: peractisque circa eundem legitimis, abierunt „ Nazarethum „. Horum apud Lucam scriptorum nihil memorat Matthaeus; qui omnem id genus narrationem praedicto Lucae permisit, alia ipse persequutus. Quaenam porro? nempe magorum ex oriente adventum digressorum a propria regione post Iesu nativitatem, sidere ipsis notitiam nati pueri significante, neque tamen brevi tempore tantum itineris absolventium. Haud enim credibile est intra dies octo ab oriente magos in Iudaeam usque venisse: ita ut circa idem tempus servatorem nostrum natum esse putemus quo isti supervenerunt. Quamquam autem interrogant

" ubi est qui natus est rex Iudaeorum? vidimus enim stellam eius, et venimus adorare eum,,; non tamen, ut aliquis suspicabitur, nuper natum designant, circa tempus nimirum quo ipsi interrogant; sed eum qui tum natus fuerat cum ipsis sidus apparuit.

2. Quantum vero temporis spatium inter sidus a magis visum, servatore nostro nascente, atque horum Hierosolyma adventum fluxerit, idem te docebit evangelista dum ait: " tunc Herodes clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae quae apparuerat eis.,, Quod quum adamussim ab iis rescivisset, quumque magi ab eo clam se subduxissent " videns se illusum, iratus est valde; et mittens occidit omnes pueros, qui erant Bethleemi, atque in cunctis finibus eius, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisiverat a magis,,. Biennium ergo elapsum fuerat a Iesu nativitate ad magorum adventum. Neque dissident sacri evangelistae; etiamsi Lucas octavo a nativitate die ducat eum cum parentibus Hierosolyma legitimorum causa explendorum, atque inde transferat Nazarethum; Matthaeus autem post biennium rursus Bethleemi versantes scribat; atque hinc in Aegyptum secessisse propter regis insidias. Credibile vero est, eos non secundo solum sed saepenumero rediisse ad eundem locum admirabilis illius eventus gratia. Indubitanter itaque demonstratum est non idem esse tempus, quo secundum Lucam natus est servator noster, atque illud quo secundum Matthaeum venerunt in conspectum Iesu magi ab oriente.

3. Quod autem non idem sit apud utrumque evangelistam tempus, alia quoque ratione colligitur. Lucas enim ait non invenisse eos hospitium Bethleemi: ideoque et a matre reclinatum puerum in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio; ut credibile est, census causa, confluentibus undique ad dictam urbem gentilibus posterisque Davidis; ideoque ob advenarum multitudinem copia hospitii negata. Matthaeus autem " magi audito, inquit, Herode rege abierunt Bethleemum. Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, donec veniens staret supra ubi erat puer cum Maria matre eius. Et procidentes adoraverunt eum,,. Atqui non in praesepio his deprehenditur infans ut pastoribus, sed intra domum cum matre visitur. Porro Lucas dixerat non fuisse locum eis in diversorio. Quomodo igitur Matthaeus domum illis attribuit? Sed quoniam Lucas tempus narrat nativitatis, quo nimirum census peragebatur, cunctique Davidis posteri catervatim ad eiusdem urbem concurrebant; contra a Matthaeo res post biennium gestae scribuntur (tantundem enim tempus fuit quod Herodes exquisiverat a magis); tum demum vacua iam peregrinis urbe, copiam iuxta Matthaeum diversorii nacti sunt. Quare ingressi domum magi invenerunt puerum cum Maria matre eius; et procidentes adoraverunt eum. Atque haec quaestionis solutio est.

Haec a me tibi, hominum sanctissime et sollertissime fili Stephane, veri indicia amoris dicata sunto.

EUSEBII AD MARINUM.

Ambiguarum quaestionum ac solutionum, quae circa divinorum evangeliorum initia occurrunt, quum iam duos scripserim libros, venio nunc, mediis praetermissis, ad extrema quae semper apud omnes controversa fuerunt: divina fortasse voluntate per mandata tua nos ad id excitante, Marine fili mihi spectatissime et sollertissime. Rogas autem primum.

I. Quomodo apud Matthaeum videatur servator sero sabbatorum resurrexisse, apud Marcum autem mane una sabbatorum.

1. Quaestionis huius duplex solutio est. Qui rei caput ipsum, id est sectionem in qua id narratur delet, dicet eam non in cunctis haberi exemplaribus evangelii secundum Marcum. Accurati enim codices historiam secundum Marcum in sermone iuvenis concludunt mulieribus visi, dicentisque ipsis nolite timere: Iesum quaeritis nazarenum; et cetera quae ibidem subicit: quibus illae auditis fugerunt, neminique quicquam dixerunt timore correptae. Hoc enim loco in cunctis prope exemplaribus evangelium Marci concluditur. Sequentia autem quae raro in aliquot, non in omnibus, occurrunt, supervacanea videntur, praesertim si repugnent ceterorum evangelistarum testimonio. Haec fortasse dicet aliquis detrectans atque omnino perimens vanam quaestionem. Alius vero quispiam nihil omnino delere audens eorum quae utcumque scripturae evangelicae commendata fuerunt, duplicem esse dicet lectionem, ut saepenumero alias; et utramque esse recipiendam; quoniam credentium ac religiosorum iudicium haud huic potius quam illi accedit.

2. Age vero si rem ita se habere conceditur, lectionis modus ac significatus enucleandus est. Si igitur dividemus Marci sententiam, profecto haud comperiemus contrariam iis quae dicuntur apud Matthaeum, nempe quod sero sabbatorum servator surrexerit. Nam Marci illud *cum surrexisset autem mane una sabbati* cum distinctione legemus, ita ut post *cum surrexisset autem* interpugnamus, separata sequente sententia: deinde illud *cum surrexisset autem* ad Matthaei verba referemus *sero sabbatorum*; tunc enim surrexerat. Sequentia vero, quae aliam sententiam continent, copulabimus cum iis quae adduntur: mane enim una sabbati apparuit Mariae Magdalenae. Hoc declaravit etiam Iohannes, mane et ipse una sabbati apparuisse Iesum Magdalenae testificans. Sic igitur et apud Marcum mane illi apparuit; non mane redivivus, sed multo prius, secundum Matthaeum, sero scilicet sabbatorum: quo quum tempore revixisset, Mariae non tunc sed mane se conspiciendum obtulit. Quare his verbis duo repraesentantur tempora; unum resurrectionis, nempe sero sabbati; alterum servatoris apparentis, nempe mane: de quo postremo loquitur Marcus: qui locus cum distinctione legendus est, videlicet *cum surrexisset*. Hinc

facta interpunctione, reliqua dicenda sunt " una sabbati apparuit Mariae Magda-
„ lenae, de qua eiecerat septem daemonia „.

II. Quomodo Magdalena, quae secundum Matthaeum sero sabbatorum resurrectionem viderat, eadem secundum Iohannem stans flebat apud monumentum una sabbati.

1. Nulla erit his in locis quaestio, si sero sabbatorum haud intelligemus dici vespertinum tempus post sabbati diem, ut quidam existimaverunt, sed serotinum concubiumque noctis tempus post sabbatum. Sic enim et sero horae solemus dicere, et sero temporis, et serius quam rei usus postulavisset; neque idcirco vesperam significamus, neque tempus post solis occasum, sed quod magnopere serum sit. Quare se ipsum veluti Matthaeus interpretans postquam dixit sero *sabbatorum*, ait *quae illucescit*, nempe hora quae deinceps suberat atque illucescebat in diem dominicum; quae nempe iam sera erat et longius a sabbato elapsa. Id vero tempus a scripturae evangelicae interprete *sero sabbati* appellatum est. Namque ipse Matthaeus hebraica lingua edidit evangelium; ab eo autem qui in graecam transtulit, illucescens hora in diem dominicum, *sero sabbatorum* appellata fuit: ita ut idem fere tempus intelligatur, aut valde proximum, apud evangelistas diversis nominibus designatum: nihilque differat Matthaeus dicens " sero autem sabbatorum, quae lu-
„ cescit in unam sabbatorum, venit Maria Magdalene, et altera Maria videre se-
„ pulchrum, „ a Iohanne qui ait: " una autem sabbatorum venit Maria Magdale-
„ na mane ad monumentum, cum adhuc tenebrae essent „. Late enim unum idemque significatur tempus variis nominibus. Matthaeo *sero sabbatorum* dicente pro *tardius*, et *mane* pro *nocte serotina*, interpres addidit *cum adhuc tenebrae essent*, nequis auroram dici ab illo putaret. Sicuti etiam Matthaeus verbis *sero sabbatorum*, nequis de vespertino tempore cogitaret, addidit *quae lucescit in unam sabbatorum*. Et quidem accurate is expressit seram horam, nequis vesperam opinaretur esse post solis occasum horam; nempe ait *sero sabbatorum*.

monstratione, apostatarum sensum vitare; verum etiam omissa interpunctionis mentione, nihilo minus posse temeritatem illorum infringi. Nam sicuti verus Deus noster universi creator, Deus caeli terraeque, nihilo minus dicitur etiam Deus Abrahami et Isaaci atque Iacobi, et Deus consolationis, et Deus pacis; neque tamen idcirco ceterarum similium eiusdemque ordinis rerum non est Deus: immo potius quia dicitur praedictorum elementorum et hominum bonitatisque Deus, aliarum quoque rerum Deus comprobatur; ita cum dicitur huius saeculi Deus, a parte simul intelligitur simulque praedicatur rerum omnium Deus, sive quae ad spiritalium sive quae ad sensilium ordinem pertinent. Quin adeo si latiore sensu dictum hoc intelligatur, facile id rursus calumniatorum insidias evadet. Mentes nimirum incredulorum huius saeculi Deus excaecat; hoc est indignas iudicat defaecatarum rerum contemplatione, cuius ope contingeret eis evangelii lumine collustrari. Incredulis enim huius saeculi hominibus rebellare atque adversari domino suo creatorique permittitur; verumtamen in futuro, cum omne genu flectetur illi caelestium terrestrium et infernorum, et omnis lingua confitebitur ei; nullae iam ab iis apostasiae vel pertinaciae vel inscitiae praetendentur tenebrae, quominus Dei universalem dominatum potentiamque agnoscant.

32. Atqui, ut hactenus dictum est, interpunctionis observatio, non solum in superne afflatis Pauli dictis malitiae errorique ansam praebet, quae ta-

ἀκριβολογουμένη δὲ καταστρέφει τὰς τῆς ἀπάτης μηχανάς. ἀλλὰ καὶ ἐν αὐταῖς ταῖς δεσποτικαῖς τε καὶ κυριακαῖς φωναῖς, οὐ τὴν τυχοῦσαν πρὸς ἑκάτερα δίδωσι ῥοπήν· οἱ γὰρ αὐτοὶ τῆς ἀποστασίας ἐρασταί, τῆς δεσποτικῆς δημιουργίας τὸ ὡραῖον τοῦτο καὶ θαυμασιώτατον φιλοτέχνημα, τὸν ὁρώμενον λέγω καὶ περικαλλῆ κόσμον, οὐ θέλοντες ἀνομολογεῖν ἔργον εἶναι τοῦ δημιουργοῦ, ἀλλ' εἰς ἑτέραν ἄτοπον φιλονικοῦντες ἀναφέρειν ἀρχὴν τό, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ γεγένετο οὐδὲν ὃ γέγονεν, οὐκ ἀγαπῶσι καταλήγειν εἰς στιγμήν· συνείροντες δὲ τοῖς προλαβοῦσι καὶ τὸ ἐν αὐτῷ, οὕτως λήγουσαν τὴν φωνὴν ἀφιᾶσιν εἰς στιγμήν· διὰ τί; ἵνα τὰ ἐν αὐτῷ δι' αὐτοῦ γενέσθαι λέγοντες μόνον, ὁποῖα ἂν αὐτῶν καὶ τὸ μάταιον τῶν λογισμῶν ἀναπλάσοι, τῶν γεγονότων λοιπῶν ἁπάντων τὴν γένεσιν αὐτὸν ἀφαιρήσωσι καὶ δημιουργίαν· ὁρᾷς. καὶ οὗ βραχύτερον οὐκ ἔστιν εὑρεῖν, μὴ τῇ πρεπούσῃ κρίσει καθυποβληθέν, οἵων ἀτόπων τε καὶ δυσσεβεστάτων νοημάτων ἀφορμὴ τοῖς ἀσεβοῦσι καθίσταται καὶ καταφυγή;

λγ. Οὐκ ἀγνοῶ δὲ ὡς καὶ ἄλλας τινὰς ἐπαναστάσεις ἡ αὐτόλεκτος αὕτη καὶ δεσποτικὴ παρὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν ὑπέστη φωνή· ὁ μὲν γὰρ κοινὸς τῆς ἀληθείας καὶ ἀπερίεργος λόγος μετὰ τό, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν, ὡς καὶ προείρηται, οὕτως ἐπάγει τὴν στιγμήν· οἱ δὲ στίζουσι μὲν μετὰ τὸ οὐδέν· ἀρχῆς δὲ ἀπ' ἄλλης προφέροντες τό, ὃ γέγο-

men si recte fiat, fraudis technas dissipat; verum etiam in dominicis ipsis supremae auctoritatis vocibus, non mediocre utrique sententiae momentum confert interpunctio. Namque iidem ipsi apostasiae asseclae, speciosum hoc admirandumque dominicae creationis aedificium, aspectabilem dico pulchrumque mundum, dum creatoris opus esse negant, incongruaeque alii origini tribuere student, locutionem *omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil quod factum est*, nolunt interpunctione finire; sed copulata cum superioribus sequente etiam dictione *in ipso*, tum demum periodum interpunctione concludunt. Cur? videlicet ut ea quae sunt in ipso, tantummodo dicant facta per ipsum (quaecumque haec demum stulta mens illorum sibi esse confingit;) ceterarum autem rerum omnium, quae factae fuerunt, Verbo auferant originem et creationem. Item res, qua nulla minor inveniri potest, quam absurdarum impiarumque opinionum scelestis hominibus ausam obtulerit ac perfugium!

33. Non nescio aliis quoque sollicitationibus hanc ipsam locutionem dominicam eadem de causa obnoxiam fuisse. Sane communis et ingenua veritatis ratio post verba *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est*, interpunctionem, ut iam diximus, ponit. Alii tamen interpungunt post *nihil*: tum veluti ex alio initio proferentes *quod factum est in*

τεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, νοῦν μὲν ἀναγκαῖον οὐδένα δηλοῦσιν, ἀνοίγουσι δὲ τοῖς βουλομένοις τὰ μυστικὰ καὶ φρικτὰ κάλλη τῶν ἱερῶν ἡμῶν λογίων κατορχεῖσθαι πλατεῖαν ὁδόν· τί γὰρ ἐνὸν ἀρκεῖσθαι τοῖς ἐγνωσμένοις καὶ κάλλιστα τῆς ἑρμηνείας ἔχουσιν, ὑπερορῶντας ταῦτα ζητεῖν, τοῖς μηδὲν ὅμοιον κεκτημένοις, καινότητα δὲ μόνον χαριζομένοις, καλλωπίζεσθαι; καὶ οὐ κατὰ πάντων φέρω τὴν ψῆφον, ἀλλ᾽ ὧν ἡ γνώμη τὸν λόγον μοι δείκνυσιν ἐπαληθεύοντα· ἄρχει δὲ τῆς ὁδοῦ ταύτης, ὅσα γε τὴν ἐμὴν οὐκ ἔλιπε μνήμην, ὁ πολυμαθὴς μὲν οὐδὲν δὲ ἧττον ὁ πολυπλανὴς Ὠριγένης (1)· ἐκδέχεται δὲ τὴν μίμησιν ὁ πνευματομάχος (2), εἰ καὶ μὴ τῆς δυσσεβείας· οὐ γὰρ ἅμα τε τὴν στιγμὴν ἐκεῖνος ὑπερετίθει, καὶ τὴν ἀσέβειαν διὰ τοῦ ῥητοῦ μετεδίδασκεν· ἀλλ᾽ οὖν γε τῆς περὶ τὴν στιγμὴν καινοτομίας καὶ τῆς ἀναγνώσεως ζηλωτὴς ὁ πνευματόμαχος γεγονώς, τῆς οἰκείας δυσσεβείας ὄργανον αὐτὸς ποιεῖται τὴν τοιαύτην ἀνάγνωσιν· τὸ γὰρ ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ συνθείς, ἔκ τε τῆς προλαβούσης συναφείας τὴν λέξιν τεμών, καὶ ἐκ τῆς ἐπακολουθούσης διαστάσεως τὴν στιγμὴν ἀφελών, τοῦτο τολμηρῶς τε καὶ ἀδέως κατὰ τοῦ πνεύματος ἕλκει (3)· τοῖς γεγονόσι τε, διὰ τὴν τοῦ γέγονε φωνήν,

ipso vita erat, sensum quidem idoneum nullum adferunt; immo latam viam sternunt iis, qui sacrorum mysticum et augustum oraculorum nostrorum decus violare gestiunt. Cur enim quum liceat probata et pulcherrima interpretatione esse contentis, cur, inquam, hac spreta, captanda est aliorum sensuum gloriola, qui aequi ponderis nihil habent, novitati tantummodo velificantur? Neque adversus omnes suffragium fero, sed contra eos quorum doctrina veram esse coarguit reprehensionem meam. Hanc viam primus ingressus est, nisi mea me memoria fallit, doctissimus ille neque minus errorum plenus Origenes. Excipit huius exemplum sancti spiritus oppugnator; quamquam suam peculiarem haeresim ab eo non hausit. Neque enim Origines dum transferret interpunctionem, haeresim quoque hac locutione tradebat. Interim tamen interpunctionis lectionisque novitatem aemulatus ille sancti spiritus oppugnator, impietatis suae organum fecit hanc lectionem. Nam *quod factum est* cum *in ipso* copulans, dictionemque illam a praecedente nexu abscindens, tum etiam a subsequente intervallo interpunctionem revellens, loco temere et im-

(1) Scholion in codice quodam vat. caten. in Ioh. sic habet. Ἰστέον ὡς Ἀπολινάριος καὶ Ὠριγένης καὶ Κύριλλος κατὰ τὴν διαβληθεῖσαν ἀνάγνωσιν ἐξέδωκαν· ἀλλὰ τὰ μὲν Ἀπολιναρίῳ ῥηθέντα παρεὶς ἀδιανόητα ὄντα, τὰ Κυρίλλου πρῶτον ἐκθετέον· εἶθ᾽ οὕτως τὰ Ὠριγένους πόρρω τῆς γεγραμμένης κατηγορίας ὑπάρχοντα. Origenis et Cyrilli loci leguntur adhuc in eorum superstitibus ad Ioh. commentariis. Apolinarii verba in nullo vaticanae bibliothecae codice invenio.

(2) Macedonius.

(3) Ad hunc locum extat in vaticana evang. catena praeclarum Theodori mopsuesteni fragmentum ex eius deperditis in Iohannem commentariis. Τινὲς μὲν οὖν οὕτως ἀνέγνωσαν, ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ, ἀντὶ τοῦ δι᾽ αὐτοῦ λέγοντες· πῶς δὲ οὐκ εὔηθες ἦν, εἰ τοῦτο ἔμελλε λέγειν ὁ εὐαγγελιστής, ὥς τι διδάσκων ἡμᾶς καινὸν καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἀγνο-[illegible] ὃ [illegible] ὁ τυχὼν εἰπεῖν ἠδύνατο καὶ περὶ [illegible], χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν τῶν δι᾽ αὐτοῦ γεγονότων· πῶς γὰρ ὅστις οὖν καὶ περὶ παντὸς τοῦτο ἐρεῖ ὁποῖον δῆλον ὡς ἐπὶ [illegible]

καὶ εἰς κτίσμα τελοῦσι, τὴν ἄκτιστον φύσιν συναριθμῶν, μήτε τῆς τῶν ῥημάτων ἀκολουθίας τὴν ἐπήρειαν ἀνεχομένης, μήτ' ἄλλης αὐτῷ πρὸς τὴν δυσσέβειαν μηδὲ μιᾶς παρακροτούσης αἰτίας· Ἀπολινάριος δὲ καὶ αὐτὸς τὴν μίμησιν Ὠριγένους κατὰ διαδοχὴν ὑποδὺς, οὐκέτι ὁμοίως καὶ τῆς διανοίας ἐγένετο μιμητής· ἡ μὲν γὰρ εἰ καὶ τὸ περίεργον ἔχει, ἀλλ' οὖν γε μετὰ τοῦ μηδὲ μίαν ἄλλην ἀτοπίαν συνεφέλκειν, οὐδὲ τινος γλαφυρότητος παντελῶς ἀμοιρεῖ· ὁ δὲ, μετὰ τοῦ μηδὲν τῶν ἐπαινουμένων εἰπεῖν, καὶ εἰς μακροὺς λήρους καὶ ἀνακολούθους γνώμας καταστρέφει τὴν σπουδὴν αὐτῶν· καὶ μικροῦ δι' ὧν λέγει τὸν κύαμον καὶ τὸν ἅλα παροιμιάζεται (1)· εἰ δὲ καὶ τῷ θεσπεσίῳ Κυρίλλῳ ἡ τοιαύτη θέσις ἤρεσε τῆς στιγμῆς, ἀλλ' οὖν ὅσον τῶν ἀσεβῶν τῆς γνώμης διέστηκε, τοσοῦτο καὶ τὸ ἀναπτυσσόμενον τοῦ ῥητοῦ πρὸς τὴν ἐκείνων σπουδὴν ἐνδείκνυται τὸ διάφορον.

pie adversus spiritum sanctum abusus est: rebusque factis (quae dictione *factum est* indicantur) creaturaeque conditionem habentibus, increatam naturam adnumeravit: quamquam neque verborum sequela eam fraudem pateretur, nec alia quaelibet causa ad hanc ei impietatem suffragaretur. Apolinarius autem Origenis exemplum pariter secutus, non tamen aeque sententiae imitator fuit. Etenim origeniana quamvis superflua est, nihilominus praeter quam quod nulla absurditate laborat, ne perspicuitate quidem omnino caret. Verum Apolinarius non solum commendabile nihil dicit, sed etiam in prolixa deliramenta ineptasque sententias labitur; parumque abest quin proverbium illud fabam et sal occinat. Quod si inclyto quoque Cyrillo huiusmodi placuit interpunctionis positio, tamen quantum ille ab haereticorum sententia abest, tantum explicatio quoque huius loci ab illorum conatibus differre cognoscitur.

διαπραττομένων, οὐκ ἂν εἴποι τις ἑτέρως, ἢ ὅτι τῶν δι' αὐτοῦ γενομένων οὐδὲν γέγονε χωρὶς αὐτοῦ· τινὲς δὲ ἑτέρως ἀνέγνωσαν, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν· εἶτα ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν· πολλὰ γὰρ ἀμέτοχα ζωῆς ἐστιν, ὡς γῆ καὶ ὄρη· ἔστιν οὖν πλοκὴ καὶ βεβαίωσις τοῦ προτέρου· εἶτα καὶ ἡ σαφήνεια· εἰπὼν γὰρ ὅτι πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, ἐπήγαγε, καὶ χωρὶς αὐτοῦ οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν· τουτέστι καὶ συντόμως εἰπεῖν, οὐδὲν τῶν γεγονότων ἄνευ αὐτοῦ γεγένηται· μόνου τοῦ πατρὸς ὑπεξῃρημένου τῆς αὐτοῦ ποιήσεως σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι· ἐπειδήπερ ἀεὶ συνὼν αὐτοῖς εἰκότως κατὰ τὴν τῶν ὅλων δημιουργίαν αὐτοῖς κεκοινώνηκε. *Quidam legerunt sic*: quod factum est in ipso; *nempe per ipsum intelligentes. Atqui nonne stulte ageret evangelista, si hoc sibi dicendum duceret, quasi aliquid novi aut incogniti homines edocturus? Licet enim cuique de quovis dicere*: sine ipso factum est nihil, quod factum est per ipsum. *Quilibet, inquam, de quolibet id queat dicere. Est enim exploratum, in omni re quae gesta fuerit, neminem aliter dicturum, nisi* rerum per ipsum factarum, nullam sine ipso factam. *Quidam tamen aliter legerunt*, et sine ipso factum est nihil. *Deinde*: quod factum est in ipso vita erat. *Multa enim vita carent, ut terra, ut montes. Est igitur repetitio quaedam et confirmatio prioris dicti; immo et quaedam declaratio. Nam quum evangelista dixisset* omnia per ipsum facta sunt, *adiecit*, et sine ipso nihil, quod factum est. *Id est, ut brevius dicam* factarum rerum nulla sine ipso facta fuit. *Unus cum sancto spiritu pater ab illius factura eximendus est: nam cum his semper existens, iure meritoque in universi quoque creatione socius eorundem fuit.* Alia circa hunc fere evangelii locum fragmenta Mopsuesteni legesis in catena ad Ioh. a Corderio edita. Confer item Combefis. biblioth. concion. T. I. p. 281.

(1) Proverbium in eos qui simulant se scire quod nesciunt. Nam vates oracula consulentibus fabam et sal apponebant. Zenob. I. 25.

λδ΄. Ἀλλὰ γὰρ ὅτι μὲν ἀντὶ τοῦ ζητεῖν ὡς οὐ δεῖ καὶ τὰ θεῖα λόγια κατ' ἀλλήλων συγκρούειν, ἄμεινόν ἐστι τὸ διαπορεῖν εἰς τὸ μαθεῖν, ἔτι δὲ καὶ πολλῷ μᾶλλον παρὰ τὴν συζήτησιν καὶ θεωρίαν τῶν τε λεγομένων περιστατικῶν, καὶ εἴ τις ἄλλος τρόπος τούτοις παραπλήσιος, ἐγγυμνάζεσθαι, αὐτὸς μὲν εὖ οἶδ' ὅτι λόγων οὐ δεήσῃ· διδάσκαλον δέ σε καὶ ἑτέρων ἀξιῶν γενέσθαι, οὐκ ἂν ἀπελπίσαιμι· οὐ μόνον δὲ τοσούτοις καταμερίζεται τρόποις ἡ διὰ τῶν ἱερῶν λογίων προϊέναι δοκοῦσα φαντασία τῆς ἐναντιώσεως, ἀλλὰ καὶ πολλῶν μὲν ἄλλων μνήμην οὔπω πεποιήμεθα· ἡ δ' οὖν ἐπὶ τοῖς εἰρημένοις γυμνασία οὐκ ἐν αὐτοῖς μόνον περιγράφει τὸ χρήσιμον, πολλὴν δὲ ῥώμην καὶ κράτος παρέχει πρὸς τὸ τὴν ἀλήθειαν μεθοδεύειν καὶ διευκρινεῖν καὶ τὰ ὅμοια· καὶ γὰρ ὅσα δι' ὑπέρθεσιν λόγων ἢ ῥημάτων ἢ ὀνομάτων, ἢ τούτων ἔλλειψιν καὶ περικοπὴν, ἢ τροπὴν καὶ μεταφορὰν, εἰς ἀμφίβολον καὶ μαχομένην διάνοιαν συσκευάζεται, καὶ ταῦτα ὁ ταῖς εἰρημέναις ἔμπροσθεν ἐφόδοις ἐγγυμνασάμενος, τὴν τῆς ἀκριβείας βάσανον κἀνταῦθα καθεὶς, οὐ χαλεπῶς τε τὸ συγκεχυμένον διακρινεῖ, καὶ τὸ περιτρεπόμενον ὧδε κἀκεῖσε πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἑδράσει διάγνωσιν· αὐτίκα πῶς οὐκ ἐκεῖθεν πρὸς ἔλεγχον ῥάδιον ὃ τὸ τῶν ἀνθρωπομορφιτῶν γένος ἀπεβουκόλησεν; ἀφορμὰς γὰρ ὁ λαβὼν τὰς ἐν τοῖς τοιούτοις διαφορὰς ἐπισκοπεῖν, τὴν δὲ σύγχυσιν πολλὴν τὴν πλάνην ἐργάζεσθαι, εὐθὺς ἐπέγνω καὶ διεστείλατο, ἄλλην μὲν χρῆσιν ἔχειν τὰ κατὰ μεταφορὰν, ἄλλην δὲ τὴν τῆς λέξεως κυριότητα·

34. Sed enim quod disputatione de non collidentibus, ut par est, inter se scripturis, utilior sit dubitatio discendi causa, multoque magis vestigatio atque observatio earum quae circumstantiae dicuntur, et siqua est alia huiuscemodi exercitatio; multis, ut probe scio, verbis tibi non est suadendum; quem dum censeo ceterorum quoque esse magistrum, spe non fraudabor. Sed neque in haec sola genera tribuitur ea quae in sacris oraculis versari solet simulata contradictio, sed insuper in alia plura quorum nondum mentionem fecimus. Et quidem praedictarum controversiarum sollers cognitio non in his solum utilitatem suam circumscribit, sed magnas vires roburque addit ad veritatem eliciendam discernendamque, et ad cetera eiusmodi. Nam quaecumque ob translationem locutionum aut verborum aut nominum, aut ob horum defectum ac subductionem, vel conversionem ac metaphoram, ambiguam pugnantemque sententiam faciunt, haec ille in praedictis solutionibus exercitus, explorationis acumine huc translato, haud aegre et confusa discernet, et rem ultro citroque iactatam, in veritatis lumine constabiliet. Nonne hinc scilicet facile est coarguere id quod anthropomorphitis fucum fecit? Noster enim criticus facultatem adeptus differentias observandi quae in his tropis occurrunt, et quod confusio multos errores parit, statim noverit atque distinguet, alium esse usum eorum quae cum metaphora dicuntur, alium eorum quae secundum dictionis proprie-

ὧν οὐδὲν ἐπὶ νοῦν τὰ αἱρετικὰ λαβόντα φρονήματα, ὅσα τροπικῶς καὶ κατὰ μεταφορὰν ἐπὶ Θεοῦ εἴρηται, τροπῆς καὶ ἀτρέπτου φωνῆς οὐ βουληθέντες συνιδεῖν ἑτερότητα, τὴν ἁπλῆν καὶ ἄληπτον καὶ ἀσχημάτιστον οὐσίαν τοῦ Θεοῦ, ὅτι χεῖρας καὶ πόδας καὶ ὀφθαλμοὺς καὶ ὀσφραίνεσθαι καὶ στόμα καὶ λόγους ἤκουσαν, ὁμοιοσχημάτιστον ἡμῖν τὸ θεῖον δυσσεβῶς τε καὶ ἀσυνέτως ἐπλάσαντο.

λε. Οὕτω γοῦν καὶ εἴ τι ἄλλο τῶν ἱερῶν γραμμάτων ὁ αἱρετίζων ἢ ὁ φιλόνεικος ἁρπάσας λογισμὸς πρὸς δυσσέβειαν ἢ ἀπορίαν ἑλκύσαι φιλονεικήσειεν, εἰ μὲν καθ' ἕν τι τῶν διευκρινημένων τὸ κακομήχανον ἐπινοεῖ, αὐτόθεν ἕξει καθ' ἑαυτοῦ φερομένην ἄφυκτον τὴν ἀνατροπήν· εἰ δὲ καθ' ἕν τι τῶν παρειμένων, οὐ χαλεπὸν ἐκ τῶν φθασάντων τὴν ὁμοίαν κρίσιν καὶ ἐπὶ τούτοις ἑλκύσαντα, τοῖς ὁμοίοις ἐλέγχοις τοὺς μιμησαμένους ὑποβαλεῖν, οἷς καὶ οἱ προλαβόντες ἀπεῤῥαπίσθησαν· καὶ τοῦτό ἐστι μετὰ τῶν ἄλλων ὃ μὴ πάσας τὰς αἰτίας ἐπεξελθεῖν ἡμᾶς κατὰ μέρος οὐκ ἐξεβιάσατο· οὔτε γὰρ στοιχείωσιν τούτων συναγαγεῖν ὑπεσχόμεθα, οὔτε δυσθήρατός ἐστιν ἐκ τῶν προειρημένων, τῶν παρειμένων ἡ θεωρία καὶ διάκρισις· καὶ ὅτι τὰ ἄλλα οὐχ ὥσπερ ταῦτα ἐπιπολάζει καὶ τοὺς πολλοὺς ἐπινέμεται· καὶ ὅσα φθάσας αὐτὸς διηπόρησας κατά γε τὴν νῦν καὶ τὴν προλαβοῦσαν ἀξίωσιν, αὐτάρκως τὸ σαφὲς καὶ τὴν τῆς ἀπορίας λύσιν εἰλήφασι.

λϛ. Πλὴν εἴτις γε καὶ τοῦτο τῶν ἐπιπολαζόντων θείη· ἔστι γὰρ τοῖς τε

tatem : quorum quum nihil haereticis in mentem venisset, hi quaecumque cum tropo ac metaphora de Deo dicuntur, quum nollent tropi aut immutatae vocis agnoscere diversitatem ; simplicem et incomprehensibilem et sine figura substantiam Dei, quia manus et pedes et oculos et olfactum et os et loquelam inaudierant, similem figurae nostrae, Deum scilicet homini, sacrilege et fatue confinxerunt.

35. Atque ita quamlibet scripturarum sacrarum partem haeretici vel contentiosi hominis studium ad haeresim vel quaestionem conabitur trahere, si secundum aliquid ex ante disputatis fraudem suam comminiscatur, statim hinc habebit contra se inevitabilem refutationem. Siu vero secundum aliquid praetermissorum, haud difficile erit ex ante dictis par iudicium de re praesenti exercere, atque imitatores pari genere argumentorum refellere, quo superiores illi vapulaverunt. Ob hanc aliasque causas haud cuncta singillatim dubia percenseri a nobis necesse fuit : neque enim horum catalogum coacervare promisimus ; neque ardua est, post praedicta, praetermissorum cognitio et discretio : praesertim quia cetera non tam, ut haec, frequentia sunt neque tam multos occupant. Igitur illa, de quibus nuper ambigebas, secundum praesentem prioremque postulationem, satis manifestam perplexitatis suae solutionem impetraverunt.

ἄλλοις αἱρετικοῖς καὶ τοῖς εἰκονομάχοις μέγα καταφύγιον· καθολικὸν γὰρ τύπον πολλάκις ἡ ἱερὰ φωνὴ σχηματίζουσα, οὐ καθολικὴν ἀπαιτεῖ τὴν ἔννοιαν ἐκλαμβάνεσθαι, εἰς ὡρισμένα δέ τινα καὶ προειλημμένα συνάγουσα τὴν διήγησιν,
Joh. X. 8 μερικὴν ἐνδείκνυται τὴν ἀπόφασιν· τοιοῦτόν ἐστι τὸ, πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον, κλέπται εἰσὶ καὶ λῃσταί· ὑποβάλλουσι γὰρ τῷ καθολικῷ χαρακτῆρι τῆς φωνῆς οἱ ἀπὸ Μαρκίωνος καὶ τῆς γείτονος φρατρίας, Μωσέα τε καὶ τοὺς ἄλλους τοῦ Θεοῦ προφήτας, τὴν παλαιὰν διαθήκην συσκευὴν εἶναι δυσφημοῦντες τοῦ πονηροῦ· καίτοι γε οὐ κατ' ἐκείνων ὡς δῆλον ἐῤῥήθη, ἀλλ' οὓς ὁ μικρῷ πρόσθεν χρόνος τῆς δεσποτικῆς παρουσίας, ἀπατεῶνας καὶ πλάνους ἀπέδειξε· τὸ γὰρ εἰς τοὺς δαίμονας ὑπειλῆφθαι τὴν δεσποτικὴν ταύτην ἀπεῤῥίφθαι φωνὴν, κἂν εἰς ἀσεβημάτων οὐκ ἂν ἥκῃ λογισμὸν, κἂν ὁμοίως φρονῇ μὴ πάντοτε τὸ καθολικὸν σχῆμα τῆς φωνῆς καὶ καθολικὴν ἔννοιαν ἀπαιτεῖν, ἀλλ' οὖν τὸ περιεργότερον καὶ μὴ τῆς εὐαγγελικῆς βουλήσεως περὶ πόδα εἶναι, δευτέραν αὐτῷ δίδωσι τοῦ προειρημένου τάξιν λαβεῖν· πλήν γε τὸ ἀσύνετον καὶ δυσσεβὲς τῶν θεομαχούντων θράσος τῷ τύπῳ τῆς καθολικῆς προσανέχοντες φωνῆς, τῆς οἰκείας δυσσεβείας ἀναχώρησιν τὰ κυριακὰ νομίζουσι λόγια.

λζ. Ὅμοιόν ἐστι καὶ τὸ, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο· καὶ ὁμοίως τοῖς πνευματομάχοις ὄργανον τῆς πλάνης ὑποβάλλεται· τῶν πάντων γὰρ τὸ πανάγιον

36. Quid porro si quis hanc etiam e vulgaribus quaestionibus poneret ? quae quidem tum aliis haereticis tum imaginum oppugnatoribus magnum perfugium est. Nimirum universalem saepenumero formam sacrae litterae figurantes, haud universalem sententiam sibi tribui postulant ; sed intra terminos quosdam, qui iam praesumpti fuerunt, orationem suam coarctantes, partiariam efferunt adfirmationem. Huiusmodi est : omnes quotquot ante me venerunt, fures latronesque fuere. In hoc generali dictionis charactere concludunt Marcionitae, et proxima secta, Mosen ipsum aliosque Dei prophetas : atque ita vetus testamentum mali genii malum opus esse calumniantur. Atqui ea verba non adversus hos constat esse prolata, sed contra illos qui paulo ante Domini adventum deceptores et plani extiterunt. Nam si quis opinetur contra daemonas hanc iactam esse dominicam locutionem ; etiamsi id ad sacrilegum nullum impellit sensum ; etsi aeque praesumit, haud semper universale dictionis schema generalem sibi sententiam vindicare ; nihilominus exquisitior subtilitas, neque satis evangelico sensui congruens, secundum huic opinioni post praedictam illam locum dat. Interim tamen vesana et sacrilega hostium Dei audacia, dum formae universalis dictionis adhaeret, sceleris sui tutamen in dominicis effatis habere se putat.

37. Illud quoque simile est *omnia per ipsum facta sunt* : quod aeque sancti spiritus oppugnatoribus argumentum errandi est. Dum enim ob

πνεῦμα διὰ τὸ καθόλου τῆς φωνῆς οὐκ ἐξαιρούμενοι τῶν γεγονότων, καὶ αὐτὸ δεδυσφημήκασι· καὶ μυρία δ' ἄλλα οἱ ἱεροὶ λόγοι εἰς τὸ καθόλου μὲν σχηματίζουσι, μερικωτέραν δὲ ποιοῦνται τὴν δήλωσιν· ὡς τὸ, ματαιότης ματαιοτήτων, τὰ πάντα ματαιότης· οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἡ ἀρετὴ τῶν ματαίων, οὐδ' ἡ σοφία οὐδ' ἡ εὐσέβεια· καὶ, πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρειώθησαν· οὐδὲ γὰρ οὐδ' οἱ παρὰ θεοῦ καθ' ἑκάστην γενεὰν καὶ γενεὰν κατὰ παθῶν καὶ δαιμόνων καὶ τυράννων στεφανῖται δεικνύμενοι· καὶ πολλὰ ἄλλα τοιαῦτα ἐπὶ σχολῆς ἄν τις θεωρήσειεν· ἀρκεῖν δ' οἶμαι καὶ τὰ παρατεθειμένα· τῆς γὰρ εἰκονομαχικῆς λύσσης τὴν διὰ τῆς κακουργίας ταύτης ἀπόνοιαν, μετὰ τῆς ἄλλης αὐτῶν φρενοβλαβοῦς κακομηχανίας, ἰδιαζόντως ἡμῖν λόγος ἐθριάμβευσεν (1). Ἀλλ' ὅτι μὲν πολλὰ τῶν ἀπορημάτων προκατασκευῆς δεῖται, καὶ ὅτι τὰ σὰ παρά τε τῶν προλαβόντων ἀνδρῶν ἁγίων καὶ ἡμῖν αὐτοῖς ἐκεῖθεν χειραγουμένοις διευκρίνηται, καὶ ὅτι τὰ πλεῖστα τῶν αἰτίων παρ' ἃ εἴωθε συμβαίνειν τὸ ἄπορον ἐπεξήλθομεν, ὁ λόγος ἐπέδειξε· καὶ ὅτι μὲν τῆς ἀκριβείας πάντων ἐπειλήμμεθα, οὐκ ἂν φαίημεν, ὅτι δὲ τῆς αἰτήσεως οὐκ ἔλαττον εἰσηνέγκαμεν, οὐκ ἂν ὑπερηφάνων λόγων, δικαζούσης ἀληθείας, οὐδεὶς ἂν ἡμᾶς αἰτιάσαιτο (2).

Eccles. I. 2.

Ps. XIII. 3.

universale dictionis genus, sanctissimum spiritum a creaturarum universitate non separant, ipsum blasphemant. Sexcenta alia sacrae litterae universali schemate efferunt, quibus tamen nonnisi partiarium significatum tribuunt. Veluti, vanitas vanitatum et omnia vanitas: neque idcirco aut virtus aut sapientia aut religio in vanarum numero rerum sunt. Tum illud, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: neque tamen eiusmodi erant ii quos Deus in singulis aetatibus vitiorum et daemonum et tyrannorum fecit esse victores. Multa huiusmodi licet cuique per otium observare: quamquam mihi hactenus dicta videntur sufficere. Certe et furorem oppugnantium imagines, qui simili malitia vesaniaque laborant cum aliis fatuis eiusdem sectae versutiis, peculiari scripto debellavimus. Iamque adeo quod multae quaestiones sermone praevio egeant, et quod tuae dubitationes ab antiquioribus sanctis viris, atque a me, ducibus illis, dissipatae fuerint, et quod plurimas causas, unde oriri controversiae solent, percensuerim, sermo meus hactenus demonstravit. Utrum vero omnia accurate comprehenderim, nec ne, haud hercle adfirmaverim: ceteroqui quod non pauciora postulatis in medium tulerim, id si forte adfirmem, nemo me, iudice veritate, superbe loqui causabitur.

(1) Photii opus pro sanctarum imaginum cultu memorare videtur Euthymius apud Lambec. tom. III. p. 422. Quamquam nihil aliud fortasse intelligendum est, praeter illa quae pro eo dogmate dicuntur a Photio in prima epistula, et in amphilochianis CXCVI. CXCVII. CCV.

(2) Consequentes Photii quaestiones alio volumine a me vulgabuntur. Nunc cum nonnullas selectas edo, ad sextam transilio.

Matth. XXV. 34. Τί δή ποτε Μωσῆς τῆς οὐρανῶν οὐ μέμνηται βασιλείας, καί τοι τοῦ σωτῆρος ἐν τοῖς εὐαγγελίοις λαμπρῶς εἰπόντος ἀπὸ καταβολῆς κόσμου τοῖς δικαίοις ταύτην ἑτοιμασθῆναι (1).

α. Πολλὰ τῶν νοητῶν ὁ θεῖος Μωσῆς παρῆκε· καὶ ἡ βασιλεία δὲ τῶν
1. Cor. II. 9. οὐρανῶν κρείττονα καὶ τὴν ὕπαρξιν καὶ τὴν ἀπόλαυσιν ἢ κατ' αἴσθησιν ἔχει· φησὶ γάρ, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη· οὐδὲν οὖν θαυμαστὸν ἀσωμάτων δημιουργίαν δυνάμεων (2) μὴ ἐπεξελθόντα τὸν θεόπτην Μωσῆν διὰ τὴν παχύτητά τε καὶ ἀσθένειαν τῶν ἀκροατῶν, μὴ δὲ τὴν ὑπὲρ αἴσθησιν βασιλείας τῶν οὐρανῶν διήγησιν παραθέσθαι, κατ' αἴσθησιν μᾶλλον ἢ κατὰ θεωρίαν βιοῦντι λαῷ· τὸ γὰρ νομίζειν τινὰς τῷ κατὰ τὸν παράδεισον διηγήματι συμπεριλαβεῖν καὶ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἥτις εἰς ταυτὸν ἔρχεται τῇ βασιλείᾳ τοῦ χριστοῦ, οὐκ ἂν ἀκριβὴς παραδέξοιτο λογισμός· ταπεινὸν (3) γὰρ ἂν εἴη τοῦτο πολλῷ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· ὄψει τε γὰρ ὁ παράδεισος καταληπτὸς ἐγεγόνει, καὶ πολίτας ἔσχε τοὺς πρωτογόνους· καὶ τὸ κάλλιστον μὲν τῶν περικοσμίων ἐστί, τῆς γῆς δ' ὅμως μέρος· καὶ φυτοῖς μὲν

Cur Moses regni caelorum nullam mentionem fecerit, quamquam servator in evangeliis manifeste dicat, a costitutione mundi illud esse iustis paratum.

1. Multas Moses intellectuales res silentio pressit: regnum autem caelorum tum natura sua tum etiam gaudiorum praestantia sensus exsuperat. Id enim rei genus, ut ait scriptura, neque oculus vidit neque auris audivit neque in cor hominis ascendit. Nil ergo mirum est, si quum Dei aspectu dignus Moses incorporearum virtutum creationem non narraverit propter audientium crassa ingenia et infirmitatem, idemmet ne caelorum quidem regnum apud populum sensibus magis quam intellectu utentem commemoraverit. Nam quod nonnulli arbitrantur Mosem in paradisi mentione regnum quoque caelorum conclusisse, quod est ipsum Christi regnum, hanc inquam opinionem accuratum ratiocinium non recipit. Ille enim valde regno caelorum inferior videbitur: siquidem paradisus sensibus erat comprehensibilis, incolasque primos parentes habuit: et mundanarum quidem rerum pulcherrima est, sed tamen terrae huius pars: et quam-

(1) Conspirat in hanc sententiam Hieronymus ep. CXXXVIII. 5: *mihi in evangelio promittuntur regna caelorum, quae instrumentum vetus omnino non nominat.*

(2) Confer Photium in quaestione CII a Wolfio edita. (3) Malim ταπεινότερον.

ὡραίοις κομᾷ, καὶ διαυγεστάτοις κατάρδεται νάμασι, πλὴν οὐδὲν τούτων ὑψηλότερον ὄψεως, οὐδὲ τῶν ἀνθρωπίνων ἀνακεχώρηκε λογισμῶν, ὥσπερ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν· καὶ γῆς δὲ καὶ οὐρανοῦ οὐδ' ἔστιν εἰπεῖν ὅσον τὸ μέσον.

6. Εἰ δὲ διότι τοῦ γενναίου εἰπόντος λῃστοῦ, μνήσθητί μου κύριε ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, ὁ σωτὴρ αὐτῷ τὴν εἰς τὸν παράδεισον ὑπισχνεῖται, διὰ τοῦτο τὴν Luc. XXIII. 42.
βασιλείαν τῶν οὐρανῶν τὴν τοῦ παραδείσου τίθεται λῆξιν (οὐ γὰρ ἄλλα μὲν αἰτεῖν τὸν λῃστὴν, ἄλλα δὲ λαμβάνειν παρὰ τοῦ μεγαλοδώρου θεοῦ ἀκόλουθον εἶναι φαίη ἂν) ἐκεῖνο μᾶλλον σκοπείτω ὡς τί δή ποτε μὲν ἦν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ὅπερ ἐστὶν ἡ τοῦ χριστοῦ, οὐδαμῶς ὁ λῃστὴς συνεγνώκει· πόθεν γὰρ ἂν ἐξαιτεῖν προήχθη ἃ καὶ τὴν λογίζεσθαι τὴν ἰσχὺν ἐνίκα, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην διάνοιαν ὑπερβαίνει; οὔκουν τί ποτε μὲν ἦν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ὁ λῃστὴς οὐδαμῶς συνεγνώκει, οὐδὲ πρὸς ὡρισμένον τι καὶ γνώριμον τὸν νοῦν ἀπευθύνων τὴν αἴτησιν ἐποιεῖτο· ἀλλὰ διὰ τοιαύτης αἰτήσεως ἀγαθῶν τινῶν μετασχεῖν καὶ μακαρίας ἀπολαύσεως ᾐτεῖτο· ἐπεὶ δὲ τῶν ἄλλων ἁπάντων καλῶν γνωριμώτερος αὐτῷ ὁ παράδεισος καθειστήκει (ἐκ γὰρ τῆς μωσαϊκῆς διδασκαλίας τῷ ἰουδαίων ἐπιγινωσκόμενος ἔθνει) οὐδὲ τὴν ἐκείνου διέφυγε γνῶσιν, διὰ τοῦτο τὸν παράδεισον ὁ δεσπότης αὐτῷ κατεγγυᾶται· καὶ οὐχ ἕτερα ἀνθ' ἑτέρων δωρεῖται, ἀλλ' ὧν τυχεῖν ὁ ἐξαιτούμενος ἐπεθύμει· ἐπεθύμει δὲ μνήμης τυχεῖν ἐν τῇ βασιλείᾳ χριστοῦ, ὅπερ ἐστὶν ἐν ἀγαθοῖς τε καὶ μακαρίοις γενέσθαι· καὶ λαμβάνει λοιπὸν τὴν ἐν παραδείσῳ διαγωγὴν, ἣν οἱ τοῦ γένους ἡμῶν ἀρχηγέται μή-

quam pulcris arboribus floret ac limpidissimis rigatur fluviis, nihilominus nihil visibili vi sublimius habet, neque humanum intellectum excedens, ut reapse est regnum caelorum. Quantopere demum terra caelo differat, verbis declarari non potest.

2. Quod si quia dicenti latroni bono, memento mei Domine in regno tuo, servator paradisum promisit, idcirco regnum caelorum idem esse putat aliquis quod paradisi sedes (neque enim consentaneum fuit aliud latronem petere, aliud a munifico Deo accipere); illud potius consideret, caelorum id est Christi regnum latroni incognitum fuisse. Qui autem fieri poterat, ut id sibi deposceret, quod ipsum ratiocinii acumen effugiebat, mentisque humanae vires excedebat? Igitur quidnam revera esset regnum caelorum latro omnino ignorabat, neque ad certum aliquid notumque sibi mentem intendens preces illas effudit; sed boni alicuius beataeque voluptatis compotem se fieri postulavit. Iam quia bonis ceteris notior ei paradisus erat (quum enim hic Mosis magisterio iudaicae genti exploratus esset, eius ne latronem quidem notitia latebat) idcirco paradisum illi Dominus spondet: neque aliud pro alio largitur, sed id omnino quod petenti erat concupitum. Is vero cupiebat ut sui memoria haberetur in Christi regno, id est ut bonis atque beatis adnumeraretur. Reapse is deinde paradisi incolatu

πω τῆς ἐντολῆς ἐκπεσόντες διεκληροῦντο (1)· εἰ δέ τις τὸν παράδεισον αὐτῷ αἱονεί τινα προοιμιαζόμενα δῶρα καὶ ἀῤῥαβῶνα τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας λέγοι δεδόσθαι, οὐκ ἀποτεύξεσθαι ἢ αὐτὸν οὐδὲ τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας, τοῦτο δὴ τοῦτο οὐδὲν μὲν ὅλως μάχεται τῷ λόγῳ· μᾶλλον δὲ ἐν τῇ κοινῇ πάντων ἀναστάσει τε καὶ διακρίσει καὶ τῇ τῶν βεβιωμένων ἀνταποδόσει, εἰσόμεθα ἀκριβέστερον (2)· τὰ νῦν δὲ αὐτοῦ ἂν εἴη ἐξεπίστασθαι τοῦ κριτοῦ.

γ. Ἀλλὰ γὰρ Μωσεῖ μὲν οὐκ ἦν ἀνάγκη οὐδὲ σκοπὸς ἀναπτύσσειν τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· πολλὰ γὰρ ὥσπερ ἔφημεν τῆς κοσμογενείας ἀναγράφων τῶν ὑπὲρ αἴσθησιν παρῆλθεν· εἰ δὲ τυπικῶς τις καὶ ἐν αἰνίγματι καὶ αὐτὴν τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν ὑποσημαίνειν ἐθέλοι λέγειν, ἐν τῷ εἰπεῖν ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, οὐδὲν πρὸς αὐτὸν διοισόμεθα (3)· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τοῦτό γε φαμὲν πόθεν ὡς ἠγνόει ταῦτά τε καὶ τὰ τοιαῦτα ὁ τηλικούτου καὶ τοσούτου θεάματος τῆς θεοπτίας ἠξιωμένος Μωσῆς· ἀλλ' ὅτι τοῖς πολλοῖς ἀνέκφορα διετήρει, καὶ τῆς μὲν συγκλύδου ἀκοῆς φειδὼ πολλὴν ἐποιεῖτο,

potitur, quem generis nostri auctores ante violatum praeceptum sortiti fuerant. Quod si quis paradisum latroni tamquam aliquod praeludium arrhabonemque regni caelorum datum dicat, neque eum praedicto regno cariturum; ista quidem opinio rationi minime repugnat: rem autem in communi omnium resurrectione ac iudicio actaeque vitae remuneratione accuratius cognoscemus. Interim haec in iudicis mente latent.

3. Sed enim Mosi nulla necessitas scopusve aderat, cur caelorum regnum manifestaret. Porro multa, ut diximus, quae sensum excedebant, dum orbis initia scriberet, praetermisit. Iam si quis forte dicere velit, figurate nec sine aenigmate ipsum quoque regnum caelorum a Mose innui, dum ait " in principio " fecit Deus caelum et terram ", huic nos nequaquam adversabimur. Neque enim ullo modo adfirmamus Mosem, qui tanto prodigio dignus fuit ut Deum ipsum conspexerit, rem talem tantique negotii ignoravisse: verum ea, quae multi ferre nondum poterant, reticebat, vulgique auribus ineruditis valde par-

(1) Paradisi intellectualis nomen a paradiso terrestri derivatum fuisse, nemo inficias it. Ceteroquin sanctarum ante Christum animarum quietas sedes a terrestri paradiso Adami distinguendas esse, satis docet scriptura cum ait Christum post obitum ad inferos descendisse. Quare et ad illa apud Lucam verba ad latronem recte monent sacri interpretes terrestrem paradisum non esse ibi intelligendum.

(2) De hac Graecorum quorumdam opinione et nos ipsi alibi locuti sumus, et Muratorius singulari opere latissime disputavit. Et quidem contra Graecos suos copiose disserit Eustratius ab Allatio editus.

(3) Quaestionem hanc rursus tractat Photius in amphilochiana decima sexta, aliis quidem verbis, ceteroquin iisdem saepe argumentis utens; quam rem nunciatam Roma Neapolim ante hos annos fuisse video cl. Andresio prodrom. anecd. gr. p. 85. Sed tamen ad hunc locum Photius in decima sexta aliter iudicare videtur. Huic enim opinioni nonnullorum propositae sic contradicit: ἀλλὰ τοῦτο μὲν οὐκ ἂν ῥᾳδίως ἀγαπώη ἡ ἀλήθεια, ὅτι τε λίαν ἐκβεβίασται, καὶ ὅτι αὐτὸ οὐρανῶν ποίησιν, περὶ τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας τοὺς ἰουδαίους οὐδὲν ἧττον ὠφέλησεν ἢ εἰ παντελῶς ἀπεσιώπησε· καὶ πολλὴ ἄλλη πρὸς ταύτην τὴν ὑπόληψιν ὑπεναντίωσις.

τοῖς ὑψηλοτέροις ἢ καὶ τελειοτέροις σπέρματα καταβάλλων, τῶν ὑψηλοτέρων τε καὶ θαυμασιωτέρων ἴσως ἐτέλει θεωρημάτων· καὶ γοῦν φασὶ διὰ τοῦτο τὴν μὲν τοῦ αἰσθητοῦ κόσμου δημιουργίαν εἰπὼν, λεπτουργεῖ τε καὶ ἐπεξέρχεται καὶ ἃ συμπληροῦσι τοῦτον· τὴν δὲ γένεσιν ἀναγραψάμενος τοῦ οὐρανοῦ, ὅσα μὲν αὐτοῦ πρὸς τὸν περίγειον κόσμον ἀφορᾷ, καὶ ταῦτα παραπλησίως διεξῆλθεν, ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ τῶν ἀστέρων κυριότητά τε διαλαβὼν καὶ φύσιν· τὰ δὲ τῆς περιγείου ἀπονεύοντα διακοσμήσεως, καὶ ὅσα τῆς ἀνωτέρω λήξεώς ἐστι, οὐχ ὁμοίως διέλαβεν· εἰ δὲ τοῦτο, πολλῷ μᾶλλον οὐδ' ὅσα ὑπερανεβέβηκε τούτων· καταλιμπάνει δὲ τὴν τούτων σαφῆ καὶ διευκρινημένην διήγησιν τῷ πλάστῃ καὶ δεσπότῃ πάντων Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν, ὃς ἐπιδημήσας ἡμῖν τοῖς ἐν γῇ, καὶ τὰ οὐράνια καὶ θεῖα παραδιδοὺς μαθήματά τε καὶ μυστήρια, καὶ τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν ἐξηγήσατο· ἐπεὶ καὶ τὰ ἄλλα, νομοθεσίαι τε καὶ εὐαγγελίαι, ἀραί τε καὶ εὐλογίαι, τὸ σωματικώτερον ἔχουσαι, πανταχοῦ τῷ Μωσεῖ παραλαμβάνονται· ὁ δὲ κοινὸς τοῦ γένους σωτὴρ ὅλον τὸν ἄνθρωπον ἀπαλλάξαι τῆς πλάνης προθέμενος, τὰ ὑπουράνια καὶ θεῖα ἡμῖν τοῖς πειθομένοις ἐπηγγείλατο ἀγαθά· ὥσπερ καὶ τοῖς ἀπειθοῦσιν ὑπέδειξεν, ὡς ὑποδέξεται αὐτοὺς οὐ τὰ πρόσκαιρά τε καὶ χρόνῳ καταμαραινόμενα λυπηρὰ, ἀλλ' ὅσα δι' αἰῶνος ἀπεράντου παρατεινομένην ἔχουσι τὴν πεῖραν τῶν ἀλγεινῶν.

δ. Εἰ δὴ καὶ ἀγωνιστήριον ἦν ὁ παράδεισος, ἐν αὐτῷ γὰρ τὸ γυμνάσιον

cebat : interim dum semina aliquot in sublimiores perfectioresque mentes immittebat, easque altioribus ac mirabilioribus contemplationibus fortasse initiabat. Propterea, aiunt, dum sensibilis mundi creationem scribit, singillatim omnia persequitur, quae ad eam rem pertinent : verumtamen cum caeli genesim narrat, quaecumque caelestia ad terrestrem mundum referuntur, ea pariter accurato sermone digerit, solis inquam et lunae stellarumque dominatum atque naturam : quae autem a terrestri fabrica ornamentove recedunt, quaeque proprie ad supernam stationem pertinent, haec haud aeque disserit. Quod si in his ita se gessit, multo magis in illis quae praedictis excelsiora sunt. Horum, inquam, sublimiorum perspicuam accuratamque enarrationem creatori dominoque omnium Christo Deo nostro reliquit : qui nobiscum terrae incolis diversatus, et caelestes doctrinas ac divina mysteria impertiens, regnum quoque caelorum nos edocuit. Quamobrem aliae quoque leges et promissiones et minae ac benedictiones, quae corporeum quid sapiebant, ad Mosis partes semper pertinent : verum communis servator generis, qui sibi officium sumpsit omni errore hominem liberandi, caelestia nobis credentibus ac divina bona nunciavit : sicuti etiam non credentibus demonstravit, fore ut illos haud temporalis vel aliquando cessatura poena excipiat, sed quae sensum potius doloris in infinitum aevum extendat.

δ. Quod si praeterea paradisus certaminum praemium est; illic enim pri-

τῷ πρωτοπλάστῳ προτέθειτο, πῶς ἂν εἴη τῷ αὐτῷ καὶ βραβεῖον καὶ στάδιον; οὐκοῦν ὁ παράδεισος προοίμιον μὲν τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, οὐ βασιλεία δέ· καὶ μακάριον μὲν καὶ πολυέραστον ἐνδιαιτηθῆναι τῷ χωρίῳ, μακαριώτερον δὲ καὶ ἐρασμιώτερον τὸ εἰς τὰς οὐρανίας ἐκεῖθεν διαπεμφθῆναι σκηνάς· καὶ τὸ ἀρχηγὸν δὲ φῶς, ὅπερ ἀναχεόμενον πρὸ τῆς τοῦ ἡλίου δημιουργίας, τὴν ἡμέραν ἐποίει, βασιλείαν οὐρανῶν ὑψηλοτέραν τε καὶ θειοτέραν καὶ ὡς ἀληθῶς οὐράνιον λῆξιν ἡμᾶς ἐννοεῖν, ἢ τὸν παράδεισον, ἀπευθύνει· ἐν ᾗ τοῖς ἀξιωθησομένοις ἐνδιαιτᾶσθαι τὴν χρείαν ἀποπληρώσει· καὶ εἴη ἂν εἰκότι λόγῳ ἀναλογίαν διασῶζον τὸ οὐράνιον σῶμα πρὸς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἣν συνδιασώζει πρὸς αὐτὴν ἡ γῆ· ἐκείνη τε γὰρ πρὸς τὸ ὁρώμενον οὐράνιον κύτος τάξιν ἐδάφους ἐπέχουσα φαίνεται· αὐτός τε πάλιν ἐδάφους ἀναπληρώσει χώραν τοῖς ἐν τῇ τῶν οὐρανῶν βασιλείᾳ τὴν δίαιταν ἀξιωθεῖσι λαχεῖν· οὐδὲν οὖν ὅλως ἐστὶν ἀπορεῖν τοῦ λοιποῦ πῶς τοῦ δεσπότου Χριστοῦ κατὰ τὴν αὐτοῦ σωτήριον παρουσίαν οὐράνιον ἡμῖν καὶ διδάσκοντος καὶ ἐπαγγειλαμένου βασιλείαν, ὁ θεράπων αὐτοῦ Μωσῆς ἢ οὐδ᾿ ὅλως ἢ ὡς ἐν αἰνίγματι ταύτης ἐμνήσθη· οὐδὲ πότερον ταυτόν ἐστιν ἢ ἕτερον ὁ παράδεισος καὶ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

mo homini propositum virtutis exercitium fuit; qui fieri potest ut idem homini locus palma esset et stadium? Sequitur ergo ut paradisus praeludium quidem regni caelorum fuerit, non tamen ipsum regnum. Et in eo quidem versari loco beatum ac desiderabile est; multo tamen beatius atque optabilius est ad caelestes sedes illinc emitti. Et quidem lux illa primigenia, cuius effusio, ante solem conditum, diem efficiebat, exemplo nobis est, ut intelligamus regnum caelorum vere esse caeleste habitaculum, multoque excelsius diviniusque, quam paradisus, in quo quidem caelesti habitaculo, hi qui eo digni fuerint, voti omnis compotes fient. Prorsus videtur iusta ratione caeleste firmamentum eam analogiam erga regnum caelorum tueri, quam erga ipsum firmamentum tellus: haec enim caelesti, quem suspicimus, fornici vicem pavimenti praestare videtur. Rursus ipse caelestis fornex pavimenti instar erit iis qui caelorum regnum incolendi digni erunt. Ergo deinceps non erit ambigendum, cur nam Christus, quo tempore inter homines salutariter versatus est, caeleste nobis promiserit nunciaveritque regnum; eius vero famulus Moses vel nullo modo vel certe non sine aenigmate regni eiusdem mentionem fecerit. Neque denique est dubitandum utrum idem sit an quid diversum, paradisus et regnum caelorum.

QUAESTIO XIII.

Εἰ τὸ ἐν κολάσει διηνεκεῖ εἶναι τοῦ μηδ᾽ ὅλως εἶναι πολλῷ χαλεπώτερον, τοῦ (a) γὰρ ἀλγηδόσι καὶ ὀδύναις κατατείνεσθαι, τὸ (b) μηδὲν τοιοῦτον πάσχειν πολλῷ ἄμεινον, πῶς ὁ Θεὸς τοὺς ἐν ἁμαρτίαις, φασὶ, μέλλοντας τὸν βίον κατατρίβειν παρήγαγε, τὸ χεῖρον ἢ τὸ ἄμεινον προελόμενος;

α. Ὅτι μὲν οὖν βέλτιον ἦν τοῖς εἰς χαλεπότητα πταισμάτων ἐληλακόσι τὸ μηδ᾽ ὅλως γενέσθαι, αὐτὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν ἐν τοῖς εὐαγγελίοις ἐδίδαξεν εἰπὼν, καλὸν ἦν αὐτῷ εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος· ἀλλ᾽ Ἰούδᾳ μὲν καὶ τοῖς κατ᾽ αὐτὸν ἄμεινον ἦν τοῦ γενέσθαι τὸ μὴ γενέσθαι· οὐ μὴν δὲ ἁπλῶς· ἀλλ᾽ οὐδὲ Θεῷ ἄμεινον· ὅπου γε τὸ μὲν εἰς ἀπόλαυσιν ἄγει τοῦ ὄντος, καὶ τῆς θείας προνοίας καὶ δημιουργίας ἐστὶν ἐξαγγελτικόν· τὸ δὲ τοῦ ὄντος ἅπαξ διαπεσὸν, μετὰ τοῦ μηδὲν ἐκκαλύπτειν τῆς ὑπερφυοῦς σοφίας τοῦ Θεοῦ, οὐδὲ τῶν καλῶν τινὸς μετέχειν δύναται· οὐκοῦν ἐπεὶ τὸ γενέσθαι τοῦ μὴ γενέσθαι κρεῖσσον, καὶ τὸ εἶναι τοῦ μὴ εἶναι, ἔδει τὸ θεῖον εἰς δημιουργίαν ἀπιδὸν μὴ τοῦ χείρονος γενέσθαι, τὸ δὲ κρεῖττον ἀπεργάζεσθαι· οὕτως οὖν οὐδαμῶς ἐστὶ θεῷ πρέπον, ἀντὶ τῆς εἰς τὸ εἶναι προαγωγῆς τῶν ἐσομένων, ἡ εἰς τὸ μὴ ὂν ἐγκατάλειψις· εἰ καὶ τῷ προδότῃ ἐν τόμῳ ταλανιζομένων ἡ φιλάνθρωπος ἔφη Mat th. XXVI. 24.

Si in aeterna poena versari multo deterius est quam omnino vita non uti (nihil enim pati multo melius est quam doloribus cruciatibusque divexari) cur Deus homines illos qui in peccatis vitam consumpturi erant, creavit; rem peiorem prae meliore eligens?

1. Quod sane melius fuisset nequaquam eos nasci, qui summis sceleribus semet obstricturi erant, ipse servator noster in evangelio docuit dicens: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Profecto Iudae ac similibus eius melius erat non nasci: res tamen generatim non ita se habet: nam Deo certe id melius non est: siquidem nasci, ad existentiae possessionem perducit, divinaeque providentiae et creationis praedicatio est. Quod autem existentia caret, praeter quam quod summam Dei sapientiam nullo modo praedicat, ne bona quidem ulla consequi potest. Igitur quia nasci melius est quam non nasci, et esse melius quam non esse, oportuit Deum de creatione cogitantem meliora potius quam deteriora agere. Sic ergo Deum non decuit, omisso creandi consilio, rem hanc et illam increatam relinquere: quamvis de proditore clemens

(a) Cod. τὸ. (b) Cod. τοῦ.

σοφία, καλὸν ἦν αὐτῷ εἰ μὴ ἐγεγένητο· ἐπεὶ καὶ ἄλλως τοὺς ἁμαρτάνοντας τοῖς ἀναμαρτήτοις ἐν ἴσῳ τετάχθαι, χαριέστατον μὲν ἂν εἴη· Θεοῦ δὲ κρίσει οὐ μὲν οὖν οὐδαμῶς ἀνεκτὸν οὐδὲ ἄξιον· ἔτι τὸ μὴ δοῦναι δίκην ὀφείλοντας, δεύτερον μὲν αὐτοῖς ἀγαθόν· ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο τῆς δικαιοκρισίας ἐγγὺς τοῦ Θεοῦ· καὶ μυρία ἄλλα.

β. Κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ τὸν ἀμετάθετον εἱρμὸν τοῦ λόγου, καὶ ἡ τῶν ἐσομένων προαγωγὴ αὐτοῖς τε βέλτιον καὶ Θεῷ πρεπωδέστατον, εἰ καί τινες τῶν προαχθέντων χρόνῳ ὕστερον αὐθαιρέτῳ γνώμῃ τῶν κρειττόνων τὰ χείρονα ἠλλάξαντο, καὶ τὴν θαυμαστὴν καὶ σωτήριον δημιουργίαν τοῦ Θεοῦ, σφαλερὰν αὐτοῖς κατεστήσαντο, τὸ ἄριστον προαγαγεῖν φιλονεικήσαντες εἰς τὸ χείριστον· ἔτι δὲ εἰ τὸ μὲν θεῖον ἀεί τε ἐστι καὶ ἐν ἀτρέπτοις καὶ ἀναλλοιώτοις ὅροις τῆς ἰδίας ἵδρυται φύσεως, πᾶν δὲ τὸ διὰ γενέσεως προελθὸν μεταβολαῖς μυρίαις ὑπηρετεῖται καὶ ἀλλοιώσεσιν, ὁ τοὺς μέλλοντας ἁμαρτήσειν ἀξιῶν, μὴ δεῖν προαγαγεῖν τὸν Θεόν, ἢ οὐδ' ὅλως τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν νομοθετεῖ, ἢ ἄτρεπτον αὐτὴν προαχθῆναι καὶ ἀναλλοίωτον· τὸ δέ ἐστιν, ἢ σύμπαν τὸ ἀνθρώπινον γένος τῆς δημιουργίας ἐκτεμεῖν, ἢ ἀπαιτεῖν Θεοῦ φύσιν ἔχοντα τὸν ἄνθρωπον προελθεῖν· ὧν ἑκάτερον, εἰς ὅσον ἀπονοίας καὶ δυσσεβοῦς ἥκει γνώμης, αὐτόθεν ἐστὶν ἰδεῖν τὴν στήλην ἑσταμένην ἀνεξάλειπτον· ἄλλως τε δὲ τὸ μὲν μηδ' ὅλως γεγενημένον μήτε ὄν, οὐκ ἂν δύναται εἶναι ἀγαθόν· ὁ δὲ ἐν ἁμαρτίαις

sapientia miserantium ritu dixerit, melius ei fuisse si natus non esset. Nam et alioqui iucundissimum peccatoribus foret, si pari loco cum innocentibus haberentur: quod tamen Dei iustitiae neque tolerabile neque decorum est. Tum poenas non dare reos, rursum his bonum esset; attamen id a iusto Dei consilio procul abest. Sexcenta huiusmodi dici queunt.

2. Hoc eodem sane modo firmaque ratiocinii sequela, futurorum hominum creatio et ipsis melior est et Deo convenientissima: quamquam nonnulli labente tempore, voluntario animi consilio meliora deterioribus commutaturi sint; mirumque ac salutare Dei opus, perniciosum sibi effecturi; remque optimam studiose conversuri in pessimam. Praeterea si Deus eternus est atque immutabilis firmisque finibus naturae suae nixus, omne autem quod nativitate procedit, innumeris mutationibus obnoxium est ac varietatibus; si quis censet eos qui peccaturi sunt, non fuisse a Deo creandos; hic aut nullas humanae naturae leges ponendas fuisse credit; aut eam immutabilem creandam et sine varietate: hoc est vel universum humanum genus a creatione removet, aut hominem cum Dei natura fieri postulat: quae res utraque quia in summam insaniam impietatemque decidit, inde cognoscere licet legis tabulam perstare indelebilem. Insuper quod omnino neque factum est neque existit, id bonum

ἀναστρεφόμενος δύναται γενέσθαι ἀγαθός· τὸ δὲ ἀγαθὸν τοῦ μὴ ἀγαθοῦ ἔκδηλον φέρει μακαριζόμενον τὸ διάφορον.

γ. Χωρὶς δὲ τῶν εἰρημένων ὁ λέγων διότι ἔμελλόν τινες τῶν ἀνθρώπων εἰς ἁμαρτίας ἐξολισθαίνειν, διὰ τοῦτο ἔδει τούτους μὴ δὲ γενέσθαι, ὁ τοιοῦτος οὐδὲν ἕτερον λέγει, ἢ ὅτι ἔδει τὴν ἁμαρτίαν καὶ μήπω γεγενημένην τῆς τοῦ θεοῦ δημιουργίας ἐπικρατεῖν· εἰ γὰρ ὅτι ἔμελλόν τινες ἁμαρτάνειν, ἔδει τὴν ἐπ' αὐτῶν δημιουργίαν πεπαῦσθαι τοῦ Θεοῦ, δῆλον ὅτι τὸ κράτος τῆς ἁμαρτίας ἂν εἴη ἢ τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ· ἔτι δὲ τὸ μὲν ἁμαρτάνειν, τῆς ἀνθρωπίνης ἐστὶ γνώμης καὶ προαιρέσεως, ἡ δὲ δημιουργία τοῦ πλάσαντος· τί οὖν τις ἀφεὶς τὴν αἰτίαν τοῦ ἁμαρτάνειν, εἰς τὸν ἀναίτιον ταύτην ἐγχειρεῖ μεταφέρειν; οὐδὲ ταύτης δὲ τῆς ἀνοίας ἀπολύεται ὁ ψῆφον εἰσάγων, ὅτι περ τῶν μέλλοντας ἁμαρτάνειν ἐχρῆν μηδ' ὅλως παρὰ τοῦ δημιουργοῦ γενέσεως μετασχεῖν, ἢ πρὸς αὐγὰς ἡλίου προαχθῆναι· ἔοικε γὰρ ὁ τοιοῦτος δυσχεραίνειν μὲν ἐάν τις ἁμαρτῶν δίκην δῷ· φιλονεικεῖν δὲ παρὰ τῶν μηδὲν μηδέπω ἁμαρτησάντων τιμωρίαν λαβεῖν· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ τῶν μέλλοντας ἁμαρτάνειν γενέσεως καὶ ὑπάρξεως ἀποστερεῖν. καὶ τῆς δημιουργίας ἐκκόπτειν τοῦ θεοῦ· ἀλλὰ γὰρ καὶ ἀπὸ τῆς θείας προγνώσεως καταδικάζειν μὲν βούλεσθαι τῶν ἁμαρτήσοντας, ἐν αὐταῖς δὲ ταῖς πράξεσι γεγενημένους ζητεῖν ἀφίεσθαι τῶν κολάσεων· ὅπερ οὔτε ἀνθρώπινον οὔτε θεῖον ἐπίσταται δίκαιον· καὶ τὸ μὲν πρὸ τῶν ἁμαρτημάτων μηδένα δίκην ἀπαιτεῖν, κοινή τε πᾶσιν ἀνθρώποις κρίσις καὶ θείοις νόμοις ἁρμόδιον· ἀπαιτεῖν δὲ μετὰ τὴν

esse nequit: qui autem in peccatis versatur, is bonus fieri potest. Bonum autem ab eo quod bonum non est, feliciter sine dubio differt.

3. Verum et his omissis; qui ait, propterea quod homines nonnulli lapsuri in peccatum erant, idcirco eos non fuisse creandos, hic inquam nihil aliud adfirmat, nisi peccatum nondum ipsum natum Dei creationibus dominari debuisse. Nam si quia nonnulli peccaturi erant, ideo Deus, quominus eos crearet, prohibendus fuit, sequitur ut peccati maior quam divinae efficaciae potentia sit. Adde quod peccare humanae voluntatis est atque arbitrii, creatio autem factoris. Cur ergo quispiam omisso peccati reo, id in innocuum transferre nititur? Neque vero ab hac insania absolvitur, si quis forte ait, peccaturos tantummodo homines non oportuisse a creatore nativitatem sortiri neque in luminis auras protrahi. Nam et hic videtur aegre ferre si quis, quia est reus poenas dependat; studere autem ut qui peccato caret, is damnum ferat. Id enim reapse contigit si peccaturi nativitate et existentia priventur, Deus autem a creando impediatur. Insuper datur opera ut divinae praescientiae causa damnentur ii qui noxam contracturi sunt: rursusque ut iidem, postquam peccaverint, ab animadversione protegantur: quae res neque humano neque divino iure fieri creditur. Etenim ut a nemine ante culpam reposcatur poena, commu-

ἀνεπίστροφον ἁμαρτίαν τὴν δίκην, τῆς θείας μισοπονηρίας καὶ δικαιοσύνης ἀπόδειξις· πῶς οὖν ἄν τις μελετήσας, ἃ μὲν πᾶσι δοκεῖ, τούτων τἀναντία φρονεῖν; ἃ δὲ μισοπόνηρον καὶ δίκαιον δείκνυσι τὸν Θεὸν, ταῦτα μὴ ἀνέχεσθαι τιμᾶν; εἶτα οὗτος οὐχὶ τῆς ἐσχάτης καὶ παραπληξίας καὶ δυσσεβείας αὐτὸς ἑαυτὸν ἔνοχον ποιεῖ; τί λέγεις ἄτρεπτον πρὸς ἁμαρτίαν, ἵνα αὐτὴν κόλασιν διαφύγῃ, τὸν ἄνθρωπον ἐχρῆν γεγενῆσθαι, καὶ πῶς οὐχὶ λαμπρῶς λέγεις, κἂν μὴ λέγῃς, ὡς ἄτρεπτον ἐχρῆν πρὸς ἁμαρτίαν δημιουργηθῆναι τὸν ἄνθρωπον, ἵνα μὴ τῶν στεφάνων, ἐξ ὧν ἀγωνιζόμενοι κρατῶσιν αὐτῆς, ἀξιωθείη; καὶ μὴν εἴ τις γε νοῦ μετέχων, καὶ μὴ τῆς ἁμαρτίας εἴη ἅμα τε θερμὸς ἐραστὴς, καὶ τὰς βασάνους φεύγων, ἑλέσθαι θάτερον τῶν δύο τὴν ἐξουσίαν εἴ περ εἰλήφει, πότερον ἵνα μή τινες ἁμαρτήσαντες δῶσι δίκην, ἐχρῆν τοὺς στεφάνους τῶν κεφαλῶν ἀφελεῖν τῶν ἀνδραγαθησάντων, ἢ διὰ τοὺς δικαίως τὸ ἐπὶ τοῖς ἄθλοις γερῶν ἀξιωθησομένους, μὴ δ' ἀτιμώρητον τὴν ἁμαρτίαν ὁρᾷν, πῶς οὐκ ἂν πολλῷ ποιήσαιτο ἔμπροσθεν τοῖς τε τῆς ἀνδραγαθίας στεφάνοις τοὺς ἀθλητὰς ὁρᾷν κεκοσμημένους, καὶ τοὺς ὑποχρέους τῶν ὀφλημάτων κατατιθεμένους;

δ. Πρὸς δέ γε τοῖς εἰρημένοις, ἆρα μόνη σε τῶν ἀνθρώπων ἡ δημιουργία θορυβεῖ, ἢ καὶ τῶν ἀσωμάτων καὶ ἀΰλων φύσεων καὶ πρὸς τὴν ἀθανασίαν ἀνηγμένων, εἰς τὴν αὐτήν σε ταραχὴν ἐμβάλλει; καὶ γὰρ τούτων τῶν οὐρανίων ταγμάτων καὶ τῆς μακαρίας ἐκείνης λήξεως, ὁ μὲν ἐκεῖθεν ἑκὼν ἐκρυεὶς, ἀρχηγὸς κακίας γέγονεν ὁ διάβολος, καὶ ὅσοι τὴν ῥοπὴν πρὸς τὴν ἐκείνου γνώμην

nis hominum sententia est divinisque legibus consentanea. Tum vero de pertinaci peccato poenas sumere, id divinae nemeseos iustitiaeque demonstratio est. Cur ergo aliquis velit, quae cunctis recta videntur, his contraria facere? ea vero, quae Deum vindicem iustumque demonstrant, in pretio habere nolit? Nonne hic summae amentiae atque impietatis reum se facit? Cur ais hominem oportere, quo poenam vitet, ad culpam minime nasci labilem? Nonne enim aperte dicis, etiamsi minime dicas, oportuisse hominem creari impeccabilem, ne scilicet coronis, quarum gratia fortes peccato superiores fiunt, donetur? Sane si quis mentis suae compos, neque vehemens peccati amator, et cruciatuum timens; si is, inquam, e duobus alterutrum eligendi copiam haberet, nempe vel (nequi forte peccantes poenam luerent) coronas capitibus strenuorum detrahendi; vel (propter eos qui iuste certaminum praemia referunt) ne peccatum quidem sine poena esse sinendi; nonne hic multo mallet fortes athletas coronis ornatos cernere, reosque simul meritis suppliciis tradi?

4. Sed praeter hactenus dicta, num te sola hominum creatio perturbat? an incorporearum quoque ac sine materia naturarum et immortalitatis munere perfruentium, in eandem perplexitatem deiicit? Nam et ex iis caelestibus ordinibus beatoque fastigio sponte ille delapsus, princeps malitiae factus est dia-

τρεψάμενοι, τὸ χεῖρον ἀντὶ τοῦ κρείττονος μεθηρμόσαντο· οἱ δέ γε ἄλλοι τῶν ἀθανάτων ἐκείνων καὶ θεσπεσίων χορῶν προσοχῇ καὶ σπουδαίᾳ νήψει, οὐδὲν τῆς οἰκείας καλλονῆς ἢ τάξεως ἀλλοιώσαντες, ἀλλὰ πρὸς τὸν κοινὸν δεσπότην καὶ δημιουργὸν ἀνενδότως ἑαυτοὺς ἀνατείνοντες, καὶ κόρον τῆς ἀγαθοδότου οὐσίας οὐκ ἔχοντες, οὐκ αὐτοὶ μόνον ἀγαθοὶ κατὰ μετοχὴν διαμένουσιν, ἀλλὰ καὶ τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει τὴν θείαν κἀν τούτῳ ἐξυπηρετούμενοι βούλησιν, ἀγαθοεργίας συνεργοὶ καὶ ἐπίκουροι γίνονται· καὶ οἱ μὲν ὅσοι κατέπεσον, καὶ αὐτὸν τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ χαρασσόμενον ὀργάνου τύπῳ, δι' οὗ τὸ σωτήριον ἐτελέσθη πάθος, φρίττοντες τρέμουσι, καὶ ὡς πορρωτάτω δραπετεύουσιν· οἱ δὲ τῷ θείῳ θρόνῳ παριστάμενοι τῆς μακαρίας ἐκείνης καὶ φοβερᾶς θέας ὅσον ἐγχωρεῖ φύσει κτιστῇ, τὰς μαρμαρυγὰς ὑποδέχονται· καὶ τοῖς μὲν οἷς δρῶσί τε καὶ δεδράκασι, πῦρ ἡτοίμασται τὸ ἐξώτερον· οἱ δὲ δι' ὧν τὸ αὐτοκρατορικὸν τῆς ῥοπῆς ἐν ταῖς ἀμείνοσι προκοπαῖς καὶ ἀναβάσεσι συντηροῦσι καὶ συνετήρησαν, ἐν ἀδιηγήτῳ τρυφῇ καὶ αἰωνίᾳ διαμένειν ἀπολαύσει τὰς ψήφους ἤδη κατέχουσιν.

ε. Ἐρεῖς οὖν πάντως, διὰ τί γέγονεν ὁ πονηρὸς ἐκεῖνος, καὶ ὅσαι αὐτῷ μοῖραι συναπεστάτησαν; ἐχρῆν γὰρ τὸν θεὸν ἀγαθὸν ὄντα, τῆς οὐσίας προεξελέσθαι καὶ προανελεῖν τὰ τοιαῦτα δημιουργήματα· ἄμεινον γὰρ αὐταῖς ἦν, ἢ πρὸς ἀπαραίτητον παραπέμπεσθαι βάσανον· εἶτα τῶν αὐτῶν σε περιέργων λογισμῶν τὸ ἀκόλουθον, καὶ ἐπὶ τὰ λοιπὰ τῶν κτισμάτων παραπέμψει· ἔδει

bonus: et simul quotquot mentem suam partibus illius applicuerunt, meliorem conditionem peiore commutarunt. Reliqui autem ex iis immortalibus inclytisque choris in devotione debitaque modestia constantes, nihil de sua pulchritudine ac dignitate amiserunt: sed communi domino creatorique firmiter adhaerentes, neque fontem omnis boni substantiam fastidientes, non solum ipsi in bonitatis communione manserunt, verum etiam hominum generi, divinae pariter in hoc voluntati obsequentes, bonorum operum adiutores sociique evaserunt. Et ii sane qui exciderunt, ipsam quoque crucis imaginem, in eius instrumenti forma exhibitam quo servatoris passio peracta fuit, cum horrore extimescunt ac longissime fugiunt: ceteri autem divinum solium circumstantes, beatae illius ac tremendae visionis, quantum creatae naturae licet, radios excipiunt. Illis ob ea quae agunt feceruntque, ignis exterior paratus est; hi qui liberum arbitrium suum in melioribus progressibus gradibusque faciendis continuerunt et continent, inenarrabilium gaudiorum atque aeternae beatitatis sortem decreto divino obtinent.

5. Porro dices, cur nam ille improbus creatus fuit, et quotquot cum eo ordines apostatici evaserunt? Decuisset enim Dei bonitati a rerum natura primitus eximere has creaturas atque excludere. Id enim melius erat his quam inexorabili cruciatui deputare. Atqui vani huius ratiocinii sequela per ceteras

γὰρ τὴν γῆν προαχθεῖσαν ἢ μένειν ἀκίνητον ἐπὶ τῆς προαγωγῆς, καὶ τῷ ἀτρέπτῳ περιτειχίζεσθαι, ἢ ἵνα τὰ ἄλλα ταύτης πάθη καὶ τὰς ἀλλοιώσεις ἐάσω, μὴ τοῖς ὕδασιν, εἰ καὶ μὴ καθ' ὅλην, κατὰ πολλὰ δὲ τῶν μερῶν περικλύζεσθαι· καὶ μικροῦ μηδὲν ἔλαττον ἢ ὅτε ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος ἦν τῇ πλημμυρίδι συγκρύπτεσθαι· καὶ τὸν ἀέρα δὲ καθαρόν τε καὶ πάσης ἀπηλλαγμένον νόθου μετουσίας, σωτήριόν τε ἀνθρώποις καὶ τοῖς ἄλλοις ζῴοις ὑποστάντα, οὐκ ἔδει πρὸς λοιμώδη καὶ φθαρτικὴν τῶν σωζομένων κατάστασιν μεταπίπτειν· εἰ δὲ ταῦτα προαγομένοις αὐτοῖς ὅρος ἐνεπάγη μεταβάλλεσθαι τὴν φύσιν, οὐ ταῦτα δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ τούτοις σύστοιχα, ἄμεινον ἦν μηδὲν τούτων εἰς προαγωγὴν ἐνεχθῆναι· εἶτα ὁ τὴν κτίσιν ὅλην οὕτως ἀνασκευάζων, ὅση τε ἐν νοητοῖς, καὶ ὅση ἐν αἰσθητοῖς, καὶ μὴ δὲ τῶν ἀψύχων φειδόμενος, ἀλλὰ πάντα πικρῶς οὕτω ζυγοστατῶν, καὶ τῇ ἰδίᾳ καθυποβάλλων τῶν λογισμῶν κρίσει, καὶ μηδενὶ τούτων συναρεσκόμενος, τί ποιεῖ; περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου δημιουργίας ἑνὸς εἴδους τῶν γεγονότων διαπορεῖ· ἢ θεὸν ἕτερον καὶ δημιουργὸν ἐπιζητεῖ (ἵλεως δὲ ἡμῖν εἴη) ἀμαθῆ δὲ τοῦ κρείττονος τὸν ταῦτα προαγαγόντα πάντα ἀναιδεῖ προσώπῳ καὶ ἀπυλώτῳ στόματι διακωμῳδεῖ· τί δὲ λέγω θεὸν ἕτερον καὶ δημιουργὸν ἐπιζητεῖ; αὐτὸν γὰρ αὐτὸς καθίσας ἐν τῷ τῆς ἀπονοίας καὶ ἀνοίας ὕψει τῶν γεγονότων διορθωτήν, ἀφελεῖν σπουδάζει παντελῶς τὴν περὶ θεοῦ ἔννοιαν, ἣν τῆς ἰδίας προαφείλετο, τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν· ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὡς

quoque res creatas te pariter deducet. Decuisset enim tellurem quoque creatam manere immobilem in statu suo et firmitate muniri: neque (ut ceteras eius passiones mutationesque praeteream) aquis si minus universam certe maximam partem inundari; paulove minus quam cum invisibilis erat et informis, fluctibus obrui. Aërem quoque decuisset purum esse atque omni humiditate vacuum, hominibus ceterisque animantibus salutarem; non autem ad pestilentem mortiferamque viventibus conditionem converti. Quod si haec ita generata sunt, ut naturam variare soleant; neque haec tantummodo sed alia eiusmodi; satius erat, inquit aliquis, haec omnino non creari. Sic ergo iste universam naturam labefactans, sive quae in intellectualibus est sive quae in sensibilibus, et ne inanimis quidem rebus parcens, sed cuncta acerbe sic exaequans, suique ratiocinii iudicio subiiciens; nihilque horum probans, quid demum agit? de hominis creatione, quod unum est e creatis generibus ambigit; vel Deum alium creatoremque quaerit (o Deus bone!) quem dum ignarum rei melioris ea quae diximus fecisse ait, effronti vultu linguaque effreni omnia subsannat. Sed cur dixi Deum alium creatoremque ab eo quaeri? Ipse potius se in insaniae stultitiaeque fastigio collocans creationis emendatorem, omnem Dei notitiam ex animis hominum, quam de suo iam expulit, delere nititur. Sed hactenus capitulatim disputata sufficiunt ad praetermissorum etiam, ut puto, refricandam

τῶν λόγων κεφαλαιώδη ἱκανὰ οἶμαι καὶ τῶν παραλελειμμένων εἰς ἔννοιαν ἀγαγεῖν· καὶ τοὺς ἀντιλέγειν πάλαι θρασυνομένους, ὡς βοῦς ἐπέβη (1) τὴν παροιμίαν, πεῖσαι μεταμαθεῖν.

QUAESTIO XXI.

Ἐπὶ τίνος παραλαμβάνεται παρὰ τοῖς ἱεροῖς ἡμῶν λογίοις ἡ τοῦ ΑΠΕΚΡΙΘΗ φωνή· αὐτή τε καὶ τὰ παρ᾽ ταύτην ἐκ τῆς αὐτῆς σχηματιζόμενα λέξεις.

α. Πολλῶν ὄντων φωνῶν πολυσήμων, ὥστε καὶ πραγματείαν ὁλόκληρον οὐκ ὀλίγους ἐπελθεῖν περὶ αὐτῶν ἐξεργάσασθαι, οὐδὲν ἀπεικὸς ἂν εἴη οὐδέ τινα παρέχον ἀπορίαν τοιαύτας φωνὰς ὁρᾶσθαι κἀν τοῖς ἱεροῖς ἡμῶν ἐνούσας λογίοις· καὶ γὰρ παρ᾽ οἷς ἡ ἀττικὴ σπουδάζεται γλῶσσα, οὐ μόνον ἐστὶν εὑρεῖν φωνὰς τῶν τοὺς ἐπιδεικτικούς τε καὶ ἱστορικοὺς τῶν λόγων τὸ πολύσημον ἐμποιουμένας, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἀντικειμένας διανοίας τὴν αὐτὴν φωνὴν ἀποσχιζομένων.
α. Αὐτίκα Πλάτων μὲν ἄλοχον τὴν παρθένον λέγει, καὶ δοκεῖ τι σοφὸν λέγειν, οὔπω γὰρ ἐπέβη λέχους· ἀλλ᾽ ὁ αὐτός τε πάλιν καὶ πολλοὶ ἄλλοι τὴν ἐν λόγοις δευτέραν οὐκ ἔχοντες τάξιν, τὴν συνιοῦσαν ἀνδρὶ πρὸς λέχος σημαίνουσι τῷ

memoriam; atque ut ii qui olim contradicere audebant, tamquam si bos irrupisset, ut ait proverbium, dediscere non recusent.

Quaenam in nostris sacris litteris subiecta notio sit vocabulo *respondit*; tum ipsi videlicet, tum aliis ad huius similitudinem conformatis dictionibus.

1. Quum multa sint multiplicis significationis vocabula, ita ut non pauci auctores integri operis argumentum de his elaborandum susceperint; nil mirum erit, nedum aliqua controversia dignum, siquae eiusmodi voces in nostris quoque sacris litteris contineantur. Nam et apud eos, qui attica lingua studiose utuntur, non solum occurrunt dictiones aliquot sive in epidictico sive in historico dicendi genere quae multifariam significantiam habent, verum etiam quae in contrarios sensus unum idemque vocabulum dispertiuntur. Exempli
1. pli gratia Plato ἄλοχον appellat virginem, videturque sapienter loqui, quia vocis etymologia feminam innuit tori adhuc expertem. Sed tamen idem Plato,

(1) Diog. prov. cent. III. 61: βοῦς ἐπέβη· ἐπὶ τῶν ἐξαίφνης σιωπώντων· τὸ γὰρ ἀργύριον βοῦν εἶχε τῶν Ἀθηναίων οἷον οἱ δωροδοκούμενοι ἐσιώπων: *bos irrupit, de iis dicitur qui repente tacent. Atheniesium enim pecunia bove insignita fuit. Silent autem donis corrupti.*

ἐνόματι. Πάλιν σοφιστὴν ἔστιν ἀκούειν τὸν τὰς λογικὰς τέχνας διδάσκοντα· δεύ- β.
τερον δὲ ᾧ τὸ λεκτικὸν εἶδος ἐπήσκηται· καὶ τρίτον ὅς τις τὴν ἐν τοῖς λόγοις
γυμνασίαν τῶν πλησιαζόντων πρὸς τὴν ἐπηρεάζουσαν ἔριν διέφθειρεν. Ἀλλὰ γὰρ γ.
καὶ τὸ σταθερὸν οὐ τὸ στάσιμον μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἰσχυρὸν, καὶ θερμὸν, καὶ
ὀξὺ σημαῖνον εὑρίσκεται. Καὶ δὴ καὶ τὸ φαῦλον, οὐ τὸ κακὸν μόνον, οὐδὲ τὸ
μοχθηρὸν, οὐδὲ τὸ ἀπρεπές· ἀλλὰ καὶ τὸ μέγα, καὶ τὸ μικρόν· ὡσαύτως δὲ καὶ δ.
τὸ ῥᾴδιον, καὶ τὸ ἁπλοῦν καὶ ἀπόνηρον, καὶ τὸ τυχὸν, καὶ τὸ ἁπλῶς περιείληφε.
Ναὶ δὴ καὶ τὸ πυνθάνεσθαι δοκοῦν πρὸς ἓν ἀναφέρειν, διαφόρων ἐστὶν ἀποφυά- ε.
δων ῥίζα· προβάλλεται γὰρ τότε μανθάνειν, καὶ τὸ ἱστορεῖν, καὶ ἐρωτᾷν, καὶ
τοιαῦθ' ἕτερα. Ὁ δὲ πελανὸς ἡ λέξις πέμμα τε ἐξ ἀλεύρου θυσίαις ἐπιτή- ς.
δειον δηλοῖ· δηλοῖ δὲ καὶ τὸν περὶ τῷ στόματι πεπηγότα ἀφρόν· ἀλλὰ καὶ τὸ
ὀπῶδες δάκρυον πεπηγός τε καὶ ἐξηραμένον, οἷον κόμμι, καὶ τὰ ὅμοια· καὶ
τέταρτον τὸν ὄβολον ὅσον τοῖς μάντεσιν εἴωθε διδόσθαι μισθός. Καὶ τὸ ὁμό- ζ.
σε δὲ τὸ ἐπίῤῥημα δηλοῖ μὲν τὸ ἐξ ἐναντίας· ἡ δὲ τῶν ἀρχαίων χρῆσις ἐπιδείκ-
νυσιν αὐτὸ καὶ ἀντὶ τοῦ σχεδὸν, καὶ ἀντὶ τοῦ ἐγγὺς παραλαμβανόμενον. Οὐ μὴν η.
ἀλλὰ καὶ τὸ νῦν δὴ, οὐ τὸ παρὸν ἤδη μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ μικρὸν ἔμπροσθεν
γεγονὸς ὑποβάλλεται. Ἤδη δὲ καὶ τὸ κομψὸν (a) εἰς πολλὰ μερίζεται σημαι- θ.
νόμενα· τό τε γὰρ περίτρανον καὶ τὸ τεχνικόν. Τὸ δὲ πολυθρύλλητον ἦ δ' ὅς,

aliique plures non inferioris subsellii auctores, eam quae viro societate tha-
lami coniuncta est hoc vocabulo indigitant. Item σοφιστὴν dicimus tum eum
qui logicas disciplinas tradit, tum etiam qui dicendi artem profitetur, ter- 2.
tio denique illum qui scholasticum auditorum suorum exercitium ad fallacem
contentionem vitiose traducere solet. Praeterea σταθερὸν, non solum stabile, ve- 3.
rum etiam validum et fervidum, et acre significare comperimus. Tum φαῦλον 4.
non pravum tantummodo et improbum et indecorum, sed etiam magnum,
immo et parvum; itemque facile et simplex et innoxium et fortuitum quod- 5.
libet aut incogitatum denotat. Et quidem verbum quoque συνθάνεσθαι, quod
unum sensum spectare videtur, complurium germinum radix est. Quandoque
enim exprimit discere, et explorare, et sciscitari, et alia eiusmodi. Iam di-
ctio πελανὸς valet placentam ex farina sacrificiis idoneam: sed tamen valet e- 6.
tiam spumam circa os adhaerentem: nec non crassam lacrimam concretam at-
que arefactam ceu gummi, et similia: quarto denique obolum, qui hariolis
mercedis ergo porrigi solet. Porro ὁμόσε adverbium significat ex adverso, quam- 7.
quam in usu veterum usurpatur etiam pro quasi et prope. Quin etiam νῦν non
pro nunc solum sed etiam pro nuper facto ponitur. Iamvero et κομψὸν in mul- 8.
tas tribuitur significationes; nam et perspicuum denotat et garrulum et ver- 9.

(a) De vocabuli κομψὸν apud ipsum Photium in bibliotheca significationibus variis disserui egomet in praefatione ad novas Dionysii halic. partes ed. Mediol. praef. cap. XIIII.

10. καὶ ἦν δ' ἐγὼ, ἡ τοῦ Πλάτωνος φιλοτιμία· ἀλλὰ γὰρ τὸ ἦ δ' ὅς, σημαίνει μὲν ὡς εἶπεν τὸ ἔφη δὲ οὗτος· ἀλλὰ καὶ τὸ ἔφη μόνον, τοῦ συνδέσμου καὶ τοῦ ἄρθρου παρέλκοντος ἐνταῦθα χώραν ἐχόντων. ἢ μὴ δὲ σύνδεσμον, μὴ δὲ ἄρθρον ὑπεμφαινόντων, ἀλλὰ τῆς ὅλης φωνῆς μερῶν ὑπαρχόντων, ἡνίκα μὴ δὲ γένος μὴ δ' ἀριθμὸν δύναιτ' ἂν παρεμφαίνειν ἡ λέξις· ἐξ οὗ καὶ καθορᾶται τὸ ἦ δ' ὃς οὐ μόνον ἐπὶ τοῦ θήλεος μεθελκόμενον, οἷον ἔφη αὕτη, ἀλλὰ καὶ πρὸς πλῆθος ἀπὸ τῆς ἑνικῆς φωνῆς περιτρεπόμενον· σημαίνει γὰρ καὶ τὸ ἔφασαν· εἰ δὲ καὶ τὸ ὦ φίλος δηλοῖ, οὔπω παρέχειν ἐστὶν ἀξιοπιστίαν Κριτόβουλος· ἀλ- *In lexico Photii Κριτόλαος.*
11. λὰ τοσαῦτα μὲν τέως παραδηλοῖ τὸ ἦ δ' ὅς. Τὸ δὲ ἦν δ' ἐγὼ καί τοι γε τὸν ὅμοιον σχηματισμὸν ἔχον, εἰς τρία τέμνεται ταῦτα. εἴς τε τὸ ἔφην δ' ἐγὼ, καὶ εἰς τὸ ἁπλῶς ἔφην, ὅπερ ὁμοίως ἐπί τε ἀῤῥένων παραλαμβάνουσι καὶ θηλειῶν.
12. Καὶ τὸ θράττειν δὲ, σημαίνει μὲν τὸ ταράσσειν καὶ τὸ ἐνοχλεῖν· σημαίνει δὲ
13. καὶ τὸ νύσσειν καὶ κινεῖν· ἀλλὰ καὶ τὸ δυσωπεῖσθαι, καὶ τὸ ὑφορᾶσθαι. Καί γε καὶ τὸ τευτάζειν εὑρήσεις κατὰ διαφόρων ὑποκειμένων φερόμενον· καὶ γὰρ ἀντὶ τοῦ πραγματεύεσθαι παραλαμβάνεται, καὶ ἀντὶ τοῦ σκευωρεῖσθαι, στρατεύεσθαί τε, καὶ διατρίβειν, καὶ φροντίζειν ἐνίοτε· ἐπιστρεφῶς δὲ πράττειν τι καὶ ἐνεργεῖν· καὶ μὴν καὶ σπουδάζειν, καὶ δεῖπνον παραθεῖναι· ὅρα δὲ καὶ τὰ συνήθη ταῦτα οὐχὶ μίαν
14.
15. ἐθέλοντα σημασίαν περιπτύσσειν· αὐτίκα δὴ τὸ ἐπιεικῶς καὶ ἐπὶ κόρρης· τὸ μὲν

10. sutum et aptum ad persuadendum, et denique artificiosum. Quid vero illud sollemne ἦ δ' ὅς, et ἦν δ' ἐγώ, qui Platonis ornatus est? ἦ δ' ὅς, quidem per se omnino significat dixit hic: sed etiam dixit simpliciter; ita ut copulativa particula et articulus relativus hoc loco frustra sint: immo vero neque coniunctionis neque articuli vice fungantur, sed integri vocabuli partes sint: quotiescumque haec dictio neque generis neque numeri rationem habet. Quare videre licet ἦ δ' ὅς non solum femineo genere adhibitum, ita ut sonet dixit ipsa, verum etiam ad multitudinem iudicandam hoc singularis numeri vocabulum aliquando conversum: nam dixerunt quoque significat. Porro utrum dicatur etiam pro o sodes, nondum satis credibile fecit Critobulus. Hactenus de
11. significationibus dictionis ἦ δ' ὅς. Iam dictio ἦν δ' ἐγώ, quae pari formae ratione utitur, in tres notiones tribuitur; nempe dixi ego; et simpliciter dixi;
12. quod rursus tam masculinis quam femineis personis assumitur. Age vero et θράττειν perturbare significat, et molestia adficere; vellicare item atque concutere; nec non pudorem ingerere, et revereri. Deinde et τευτάζειν non sine sen-
13. suum varietate prolatum videbis: nam et pro satagere capitur, et pro moliri aliquid, et pro militare, et pro diversari, et quandoque pro curam gerere, et pro sedulo aliquid agere atque effectum dare: nec non pro officium exhibere et caenam apponere. Praeterea familiaria haec videsis quam non unum
14.
15. evolvant significatum: exempli gratia ἐπιεικῶς et ἐπὶ κόρρης; illud quidem et abun-

εἴς τε τὸ ἱκανῶς καὶ μετρίως, καὶ εἰς τὸ ἀστείως ἐπιμερίζεται, τὸ δὲ ἐπὶ κόῤῥης
τὸ κατὰ κεφαλῆς τύπτεσθαι σημαίνει, καὶ μὴν καὶ τὸ ἐπὶ τῶν σιαγόνων· οὐδὲ τὸ
ἐπισκηπτόμενον δὲ εἰς ἓν περιγράφεται, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐναπερειδόμενον δηλοῖ, καὶ ιϛ.
τὸ ἐνδεικνύμενον, καὶ τὸ ἐπὶ τελευτῆς ἐντελλόμενον, καὶ πρὸς τούτοις τὸ ἐναν-
τιούμενον. Ὡσαύτως δὲ τῶν πολυσήμων ἐστὶ καὶ τὸ δυσωπεῖσθαι· ὑφορᾶσθαι γὰρ
ἀπαγγέλλει, καὶ τὸ φοβεῖσθαι μεθ᾽ ὑπονοίας, καὶ τὸ σκυθρωπάζειν· ἔνιοι δὲ τῶν ιζ.
ἑλληνικὴν γλῶσσαν ἐξακριβούντων, εἰ καὶ μὴ τῶν ἀττικῶν ἡ κομψία (a), καὶ
ἀντὶ τοῦ αἰδεῖσθαι τὴν φωνὴν παραλαμβάνουσιν· ἡ μέν τοι συνήθεια ἐπὶ τοῦ ἱκε- ιη.
τεύειν καὶ παρακαλεῖν κέχρηται. Καὶ τὸ δεῦρο δὲ μετὰ τοῦ σημαίνειν τὸ ἄγε, καὶ
τὸ ἐνταῦθα, οὐδὲ τὸ ἐνθάδε ἀποστρέφεται. Σκόπει δὲ καὶ τὸ γενναῖον, ὅπως τόν ιθ.
τε συγγενῆ δηλοῖ καὶ τὸν ἀγαθὸν, ἀλλὰ καὶ τὸν εὐγενῆ, καὶ τὸν ἀνδρεῖον, οὐκ ἔλατ-
τον. Ἴδοις δ᾽ ἂν καὶ τὸ ἄτοπον, οὐ μόνον τοῦ κακοῦ καὶ τοῦ μοχθηροῦ κατηγο- κ.
ρούμενον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τοῦ μὴ τόπον ἔχοντος· ἄτοπον γὰρ κἀκεῖνο λέγουσιν·
ὥσπερ καὶ τὸ ἀνυπονόητον, οἷον ὃ μὴ ἔστι τοπάσαι· ἀλλ᾽ ἔτι περιέχει καὶ τὸ
ξένον, καὶ παράδοξον, καὶ θαυμάσιον, καί γε καὶ τὸ παράλογον. Ἐπὶ τούτοις κα.
καὶ τὸ ἀρνύμενον πρός τε τὸ καταλλαττόμενον ἀποδίδοται, καὶ τὸ περιποιού-
μενον· περιλαμβάνοιτο δ᾽ ἂν ὑπὸ τῆς αὐτῆς φωνῆς καὶ ὁ φυλάττων (b). Οὐδὲ τὸ κβ.
ἀεὶ δὲ περιπτύσσεται τὸ ἀμέριστον, ἀλλὰ καὶ εἰς ἐναντίας ἀποσχίζεται μερίδας·
σημαίνει μὲν γὰρ τὸ διαπαντὸς, ὃ καὶ πάντες ἴσασι· σημαίνει δὲ καὶ τὸ ἀντικεί-

de valet et moderate et festive; hoc autem et verberari in capite significat,
et etiam in genis. Sed neque ἐπισκηπτόμενον unum significat, sed et firmiter 16.
menti infixum, et demonstratum, et quod a moriente mandatum est, et insu-
per quod adversatur. Pertinet ad varii significatus vocabula etiam δυσωπεῖσθαι: 17.
nam et revereri denotat, et metuere cum suscipione, et tetrico vultu esse.
Quidam vero linguae graecae apprime periti, quamquam atticus minime lepos
est, vocem hanc etiam pro pudore accipiunt. Et quidem vulgi consuetudo uti-
tur hac voce ad supplicandum atque ad exorandum. Vox δεῦρο, cum age signi- 18.
ficat et huc, tum ne ab adesdum quidem abhorret. Adde his γενναῖον, quod 19.
cognatum sonat, et bonum, et nobilem, et strenuum aeque. Similiter cernis
ἄτοπον non solum coarguere pravum et improbum, sed etiam quod alienum 20.
loco est; nam et hoc ἄτοπον dicitur; sicuti etiam non provisum, ceu de quo
suspicari non licuit: tum vero valet etiam peregrinum, inopinum, mirum et
rationi non consentaneum. Insuper ἀρνύμενον de permutato dicitur et de acqui- 21.
sito: sub eadem vero voce concludere licet etiam φυλάττων. Sed neque ἀεὶ non 22.
vult dividi; quin immo in contrarias scinditur partes: valet enim, quod om-
nes sciunt, semper: et tamen contrarium quoque denotat, id est usque ad

(a) Si vocabulum κομψία exiges ad regulam cognati κομψὸν, satis varium vel potius incertum hoc in loco significatum habebis. (b) Odyss. I. 5.

μένον, οἷον τὸ ἕως τινὸς, καὶ μέχρι τινός. Καὶ αὐτὸ δέ γε τὸ ἕως, ποτὲ μὲν
κγ. ὡρισμένον χρόνον περιγράφει, ποτὲ δὲ τὴν περιγραφὴν ἀπαρνούμενον, ἐᾷ τὸν χρό-
κδ. νον πρὸς τὸ ἀόριστον παρατείνεσθαι. Καὶ μὴν καὶ τὸ ἄντικρυς ἀποφύεται τότε
διαμπερὲς, καὶ εὐθὺ, καὶ ἐπ' εὐθείας, καὶ τὸ ἰσχυρῶς, καὶ σοφῶς, καὶ τὸ ἰθύς·
ἀλλὰ καὶ τὸ ἁπλῶς καὶ ἀκριβῶς. Εἰ δὲ τὸ τελευταῖον ἀποβάλλει σύμφωνον, τῆς
ἀρχῆς τὸν τόνον τοῦ τέλους ἀναλαμβάνοντος, καὶ τὸ κατέναντι, καὶ ἐξεναντίας ἀνα-
κε. βλαστάνει. Οὐχ ὁρᾷς δὲ καὶ τὸ ἄρα; οὐ λέγω δὲ ὃ τόνον τε διατέμνει, καὶ εἰς
δύο μέρη περιίστησιν, ἀλλ' ὃ κατὰ τὴν αὐτὴν προσῳδίαν ῥυθμίζεται, καὶ πρὸς τὸ
διαπορούμενον διαστέλλεται· σημαίνει μὲν σύνδεσμον τὸν συλλογιστικόν· σημαίνει
δὲ καὶ τὸν δὴ τόνον παραπληρωματικόν· παραλαμβάνεται δὲ καὶ ἀντὶ τοῦ ὡς ἔοικε
κϛ. καὶ ὡς φαίνεται. Ἐπισκόπει δὲ καὶ τὸ ἀτεχνῶς περισπώμενον, ὅσαις διανοίαις
ὑποτέμνεται· τῇ τε γὰρ σημασίᾳ τοῦ ἀληθῶς καὶ τῇ τοῦ ἁπλῶς καὶ τελείως καὶ
ἀδόλως, καὶ μὴν καὶ τῇ τοῦ ἰσχυροῦ καὶ καθάπαξ, προέρχεται πληθυνόμενον.
κζ. Εὕροις δ' ἂν καὶ τὸ ἄττα διαφόρως προαγόμενον· νῦν μὲν γὰρ τὸ ἅτινα, νῦν
δὲ τὸ τινά· ἄλλοτε δὲ τὸ ἃ ἄν· καὶ ἄλλοτε τὸ ποτὲ σημαίνειν ἐθέλοι, καὶ εἰς
κη. τοσαῦτα καταμερίζεσθαι. Ἐπὶ δὲ τοῖς εἰρημένοις καὶ ὁ σοφὸς τοῦτο δὴ τὸ πρό-
χειρον, σημαίνει μὲν τὸν μετεσχηκότα σοφίας τινός· ἰδίως δὲ καὶ τὸν λογικαῖς τέ-
χναις προσανακείμενον· ἔπειτα δὲ καὶ τὸν συνέσει τῶν ἄλλων προέχοντα· ἐφ' οἷς
καὶ ὃν ἀρεταὶ κοσμεῖν ἴσασιν· ἀλλά γε δὴ καὶ τὸν ἐπιτήδειον· καὶ πρὸς ὅ τι ἂν
ὁρμήσῃ, θεωρούμενον ἕτοιμον· ἐξ οὗ καὶ φασὶ σοφὸς ἦν τοῦ κακοποιῆσαι, καὶ

23. certum tempus et quadantenus. Tum et ἕως quandoque definitum tempus cir-
cumscribit; quandoque terminos indignatus, sinit tempus in infinitum exten-
24. di. Manant ex ἄντικρυς continuo directim, recta via, valide, sapienter, aper-
te: nec non simpliciter et accurate. Quod si extremam reiiciat consonam, at-
que accentus ab initio ad finem traiciatur (ἀντικρὺ) tum ex se gignit e re-
25. gione et ex adverso. Viden etiam vocabulum ἄρα? non illud aio quod accen-
tum distrahait atque in duas extendit partes, verum id quod eadem prosodia
metimur, et quod a dubitativo distinguitur. Hoc itaque significat coniunctio-
nem syllogisticam: exprimit etiam intensionem quandam expletivam: sumitur
26. denique loco dictionis ut videtur, ut apparet. Considera etiam ἀτεχνῶς circum-
flexum quot in sensus subdividatur. Significat enim vere, simpliciter, perfe-
27. cte, sincere; immo et valide et omnino. Ἄττα quoque varie explicatum inve-
nies: modo enim scribitur pro quae, modo pro quae quidem: modo etiam
pro aliquando, atque in similes abit significatus. Praeter hactenus dicta, hoc
28. quoque notissimum vocabulum σοφός, designat quidem eum qui aliqua sapien-
tia praeditus est: peculiariter tamen qui logicis doctrinis dat operam: item
qui prudentia ceteris antecellit: item virtutibus exornatum: item rebus ge-
rendis idoneum, et qui ad consequendum propositum bene instructus videtur:

σοφὸς ἀρετὴν μετελθεῖν. Συνταγείη δ᾽ ἂν οὐκ ἀπεικότως τούτοις καὶ τὸ θεσπέ-
σιον· καὶ γὰρ καὶ τοῦτο σημαίνει μὲν τὸ θεῖον· σημαίνει δὲ καὶ τὸ πρᾶον, ἀλλὰ κθ.
καὶ τὸ θαυμάσιον καὶ τὸ πολύ. Καὶ τὸ κομιδῇ δὲ εἴς τε τὸ λίαν διαιρεῖται καὶ λ.
εἰς τὸ παντελῶς καὶ εἰλικρινῶς τε δὴ καὶ τελείως. Ἀλλὰ καὶ τὸ τέως διαφόρους λα.
διανοίας περιέχει· καὶ γὰρ τάττεται μὲν καὶ ἐπὶ τοῦ τέως· τάττεται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ
πρίν· ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ ἕως τινός· δηλοῖ δὲ καὶ τὸ ἐπὶ τοσοῦτον. Καὶ ὁ ἀλάστωρ λβ.
δὲ σημαίνει μὲν ἁπλῶς τὸν κακοῦργον· σημαίνει δὲ καὶ τὸν αὐτοχειρίᾳ φόνον εἰρ-
γασμένον· ἀλλά γε δὴ καὶ τὸν ἐπεξιόντα τούτους ὡς τὰ ἄλαστα ἐπισκοποῦντος,
καὶ τοὺς εἰργασμένους εἰσπράττοντα δίκας· ἔνθεν παρ᾽ αὐτοῖς καὶ ὁ Ζεὺς ἀλά-
στωρ. Εὕροις δ᾽ ἂν καὶ τὸ πῦον εἰς πέντε διαιρούμενον σημαινόμενα· εἴς τε τὰς λγ.
πρὸ τοῦ γάλακτος ῥανίδας τῶν θηλῶν ἀποθλιβομένας· καὶ εἰς αὐτὸ τὸ γάλα· καὶ
μὴν καὶ εἰς τὸ μεταβεβληκὸς αἷμα· καὶ δὴ καὶ εἰς τὸ γαλακτῶδες ὑγρὸν, ὅπερ
καὶ ὀῤῥὸν καλοῦσι· τινὲς δὲ πῦον καλοῦσι καὶ τὸ νέον τῷ χθεσινῷ συνεψηθὲν γά-
λα. Οἶδε δὲ καὶ τὸ εἶεν διάφορα σημαίνειν· καὶ γὰρ παραλαμβάνεται μὲν ὡς ἀρ- λδ.
χὴ λόγου· παραλαμβάνεται δὲ καὶ ἐπὶ κατανεύσεώς τε καὶ συγκαταθέσεως· οἱ
δὲ συλλαμβάνοντες ἄμφω τὰ εἰρημένα, συγκατάθεσίν τε δηλοῦν αὐτὸ βούλον-
ται τῶν ἐν τῷ λόγῳ προειρημένων, καὶ ἀρχὴν τῶν μελλόντων εἰρῆσθαι· ἀλλὰ καὶ
ἀντὶ τοῦ ἄγε δὴ τῇ φωνῇ κέχρηνται· τοῖς δὲ παραλαμβάνεται καὶ κατὰ τοῦ ἐπαΐω
καὶ συνίημι. Καὶ πολύστιχον ἄν τις ἀπαρτίσῃ βίβλον, οὐκ ἐὰν ποθὲν τὰς πο-

unde et illud effatum, sciens erat et male faciendi, et aeque virtutem exer-
cendi. Cum his non absurde coacervabitur etiam θεσπέσιον, quod explicatur 29.
divinum, itemque mite et mirificum et copiosum. Iam et κομιδῇ dividitur in 30.
valde, et prorsus, et manifeste, et universim, et perfecte. Τέως quoque com- 31.
plures significatus complectitur: nam ponitur pro interim, et pro pius, et
pro usque dum, et pro in tantum. Atque ἀλάστωρ significat quidem simplici- 32.
ter maleficum; sed tamen significat etiam qui manu propria caedem facit:
insuper et eum qui huiusmodi scelestos persequitur, nempe qui in maleficia
animadvertit, poenasque a reis reposcit: unde etiam Iuppiter ab ethnicis di-
ctus ἀλάστωρ. Πῦον quoque senties in quinque significatus abire: nempe signi- 33.
ficat stillas papillarum ante lac expressas, lac ipsum, tum et sanguinem cor-
ruptum, tum denique subviridem humorem lacteum quod serum vocant. Im-
mo nonnulli πῦον appellant novum lac cum hesterno concoctum. Verbum quo- 34.
que εἶεν diversa significare solet: nam et initium orationis est; et ad conces-
sionem consensumque adhibetur. Nonnulli vero utrumque amplectentes prae-
dictum significatum, voce hac et adprobationem ante dictorum in sermone
demonstrari aiunt, et initium mox dicendorum. Utuntur hac voce etiam pro
age vero. Quidam denique accipiunt etiam pro audio et pro intelligo. Amplum
conficere liceret volumen, non dico ob coacervandas undique varii significa-

λυσίμους φωνὰς ἁπάσας περιλαβεῖν ἐθελήσοι, ἐργῶδες τὲ γὰρ τοῦτο καὶ πλησίον τῶν ἀνεφίκτων, ἀλλ' ἐὰν εἰς ἓν συναγαγεῖν βουληθείη τὰς ἐπὶ πλέον τῶν ἄλλων συνήθεις, καὶ τοῖς λόγοις μᾶλλον ἐπιπολαζούσας· οἷα δὴ καὶ ἡμῖν ἐπράχθη τὴν τῶν μειρακίων ἡλικίαν ὡς καὶ αὐτὸς οἶσθα παραλλάττουσι (1)· νυνὶ δὲ καὶ ὅσαι εἴρηνται, τὴν χρείαν αὐτάρκη παρέχονται· καὶ οὐδὲ ἐπὶ τοσοῦτον ἂν ὁ περὶ αὐτῶν προῆλθε λόγος· φίλον γὰρ ἀεί μοι διευλαβεῖσθαι τὸ ἀπειρόκαλον· εἰ μὴ πολλάκις περὶ ἐνίας τῶν διευκρινηθέντων λέξεων πολλοὺς οἶδα συζητοῦντας καὶ σπουδὴν εἰς μάθησιν συνεισάγοντας.

β. Ἀλλὰ γὰρ τοσαύτης ἀφθονίας εὑρισκομένης τῶν πολυσήμων ἐν τοῖς τῶν ἀρχαίων συντάγμασιν, ὧν ὁ βίος εἴπερ τι ἄλλο λογάδων λέξεων ἡ σοφία, τί κωλύει καὶ ταῖς ἡμετέραις ἱερολογίαις, αἷς τῶν σωτηρίων ἔργων σκοπὸς ἡ διδασκαλία καὶ ἡ παραίνεσις, διαφόρων ὑποκειμένων σήμαντρα παραλαμβάνειν ὀνόματα· διὸ καὶ τὸ ἀπεκρίθη, ὅπερ σε πολλάκις εἰς ἀμφιβολίαν ἔφης ἐμβαλεῖν· ἵνα νῦν ἐάσω τὸ διεχωρίσθη· καὶ ὃ μάλιστα παῖδες ἰατρῶν ἴσασι τὸ διεφορήθη τὲ, καὶ ἐξεκρίθη, καὶ ἐξεχύθη, καὶ εἰς τοῦτο κατέληξεν· ἀλλ' ἐφ' ὧν γε συνήθης ἐστὶ τῶν θεοσόφων ἡ χρῆσις λογίων, σημαίνει μὲν τὸ ἀπεκρίθη, καὶ ἣν οὐδεὶς ἀγνοεῖ διάνοιαν, ἥτις καὶ πρὸς τὴν ἐρώτησιν ἀποδίδοται· πολλάκις δὲ καὶ παραπληρώματος ἐπέχει τάξιν· ἄλλοτε δὲ καὶ ἀρχὴν ἀναπληροῖ λόγου· ναὶ δὲ

tus voces (nam id operosum et prope impossibile) sed si quis vel usitatiores tantummodo congerere vellet, et quae in sermonem frequentius incurrunt; cuiusmodi opus a me ipso confectum fuit, ut scis, quo tempore e pueris excedebam. Nunc tamen quae hactenus dixi, rei praesenti abunde sufficiunt. Immo ne tamdiu quidem sermonem produxissem (nam mihi ab insolentia cavendi mos perpetuus fuit) nisi saepenumero animadvertissem circa nonnullas ceteroqui probe exploratas voces, multos adhuc disputare, studiumque ad eas cognoscendas conferre.

2. Age vero quum tanta sit significationum variarum copia in scriptis veterum, quorum vitae curriculum in scientia praecipue deligendorum verborum consumptum fuit; quid ni nostrae quoque scripturae sacrae, quarum tamen finis est salutarium operum magisterium et suasio, quid ni, inquam, verba notionibus aliis atque aliis praedita complectantur? Quare et ἀπεκρίθη, quod tibi vocabulum saepe dubitationem iniecisse ais, (ut nunc omittam significantiam, separatum est; et quas medici apprime callent, sudoribus digestum, et excretum, et vasis effusum, et in hoc desivit) pro divinarum, inquam, litterarum usu ἀπεκρίθη significat id, quod nemo nescit, responsum ad interrogationem. Saepe etiam expletivum vocabulum est; interdum sermonis

(1) Hinc cognoscimus qua aetate lexicon suum confecerit Photius; quam lucubrationem antehac ineditam, nostra demum aetate vulgavit Lipsiae an. 1808. G. Hermannus, non sine tamen gravi lacuna inter A. et E.

καὶ τὸ διαδέξασθαι τὸν προῤῥηθέντα λόγον ὑποβάλλεται· καὶ μὴν καὶ τὸ ἱκέτευ-
σε καὶ ἐδέησε, εὕροις δ' ἂν σημαῖνον, καὶ τὸ ἠρώτησε· μαρτύρια δὲ τοῦ μὲν πα-
ρὰ πᾶσιν ἐγνωσμένου, πολλά τέ ἐστι καὶ λαβεῖν πρόχειρον, οἷον ἀποκριθεὶς
Matth. XVI. 16. Σίμων Πέτρος εἶπε· σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος· καὶ γὰρ πρὸς
τὴν δεσποτικὴν ἐρώτησιν τὴν προλαβοῦσαν, ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι, τὴν
Luc. III. 11. αὐτοῦ γνώμην ὁ κορυφαῖος καὶ τῶν συμμαθητῶν ἀποδίδωσι. Καὶ ἐν τῷ ἀπε-
κρίθη δὲ λέγων αὐτοῖς, ὁ ἔχων δύο χιτῶνας μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι, ἡ αὐ-
τὴ καθορᾶται γνώμη· τοῖς γὰρ ἐρωτήσασιν ὄχλοις ὅθεν καρπώσονται τὴν σω-
Matth. III. 11. τηρίαν, ὑποδείκνυσιν. Ὥσπερ καὶ τὸ ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰωάννης λέγων, ἐγὼ
βαπτίζω ἐν ὕδατι· μέσος δὲ ὑμῶν ἕστηκεν ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε· εἰς γὰρ τὴν
αὐτὴν καὶ τοῦτο χρείαν ἀναφέρεται· καὶ μυρία ἄλλα. Τὸ δὲ ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ
Matth. XI. 25. ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ
τῆς γῆς, δῆλον ὅτι τῆς μὲν προειρημένης ἐννοίας διέστηκεν, ἀρχῆς δὲ χώραν ἐπέ-
χει· οὔτε γὰρ ἐρώτησις προηγήσατο, ἀλλ' οὐδέ τινα λέγοντα διεδέξατο, ἀλλ'
αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀρχὴν ἐμβαλὼν τῷ λόγῳ, τὴν εὐχαριστίαν τῷ πατρὶ προσηνέγ-
κατο. Ὡσαύτως καὶ τὸ ἀποκριθεὶς ὁ ἀρχισυνάγωγος ἀγανακτῶν ὅτι τῷ σαβ-
Luc. XIII. 14. βάτῳ ἐθεράπευσεν ὁ Ἰησοῦς· καὶ ἔτι καὶ τὸ ἀποκριθεὶς ὁ ἀρχιερεὺς εἶπεν αὐ-
Matth. XXVI. 63. τῷ, ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ θεοῦ ζῶντος, εἰπὲ ἡμῖν εἰ σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ
Marc. VIIII. 36. θεοῦ. Ἀρχὴν δ' ἂν ἐπέχοι λόγου καὶ τὸ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, ὃς ἐὰν δέξ-

exordium est: tum etiam denotat eorum quae dicta fuerunt admissionem: item oravit, deprecatus est: tum denique interrogavit quoque significare comperies. Iam eius significatus, quem omnes norunt, multa atque obvia testimonia sunt. Veluti, respondens Simon Petrus ait, tu es Christus filius Dei vivi. Nam dominicae interrogationi quae praecesserat, vos autem quem me esse dicitis, suam et condiscipulorum sententiam princeps subdidit. Item in ea locutione: respondit dicens, qui habet duas tunicas, impertiat illi qui caret; idem sensus cognoscitur: erudit enim turbas, quae cum rogaverant quonam pacto salutem consequerentur. Sicuti etiam: respondit eis Iohannes dicens, ego aqua baptizo; medius autem vestrum est, quem vos nescitis. Namque verbum respondit eundem usum et hoc loco conservat. Sexcenta alia eiusmodi sunt. Sed enim locutionem: illo tempore respondens Iesus dixit, confiteor tibi pater caeli et terrae; hanc inquam constat a praecedente sententia diseretam esse, atque initii locum tenere. Nam neque interrogatio praecesserat, neque cuiquam loquenti subiungebatur; verum ipse Iesus sermonem exordiens gratias patri egit. Simile est etiam: respondens archisynagogus, stomachans quod sabbato medicinam fecisset Iesus. Item: respondens pontifex dixit ei, adiuro te per Deum vivum, dic nobis num tu sis Christus Dei filius. Rursus sermonis initium continent verba haec: respondens Iesus dixit, qui

ηται ὑμᾶς ἐπὶ τῷ ἐμῷ ὀνόματι, ἐμὲ δέχεται· καὶ ὃς ἂν ἐμὲ δέξηται, οὐκ ἐμὲ δέχεται, ἀλλὰ τὸν ἀποστείλαντά με.

γ. Ἐν μέν τοι γε, ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῇ, ὦ γύναι, μεγάλη σου ἡ πίστις, γενηθήτω σοι ὡς θέλεις, εἰς οὐδέτερον μὲν ἀναφέρεται τῶν εἰρημένων, διαδοχὴν δὲ λόγου παρεισάγει· τῆς γὰρ χαναναίτιδος ἐξομολογουμένης μὲν τὸ τῆς θυγατρὸς πάθος, τὴν θεραπείαν δὲ αἰτουμένης, καὶ πρὸς τὴν ἀποτρέπουσαν τὴν σπουδὴν αὐτῆς ὕβριν εὐγνωμονούσης καὶ λεγούσης, ναὶ κύριε, καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν, ἐπάγεται κατὰ διαδοχὴν ἐκεῖνον τὸν λόγον, τότε ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῇ, μεγάλη σου ἡ πίστις, γενηθήτω σοι ὡς θέλεις· δῆλον γὰρ ὅτι τοὺς τῆς εὐγνωμοσύνης καὶ δεήσεως λόγους δεξάμενος ὁ Ἰησοῦς τὴν πίστιν αὐτῆς ἐμεγάλυνε, καὶ τὴν θεραπείαν παρέσχετο. Εἰς τὴν αὐτὴν δὲ διάνοιαν ἀφορᾷ καὶ τὸ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, μακάριος εἶ Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι· διαδεξάμενος γὰρ τῷ λόγῳ τὴν ἀνακηρύξασαν αὐτὸν ὁμολογίαν χριστόν τε καὶ υἱὸν τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὑπολαβὼν (1) ἐπιφέρει τὸν μακαρισμόν. Τῆς αὐτῆς δ' ἂν εἴη συστοιχίας καὶ τὸ, ἀπεκρίθη δὲ αὐτῷ ὁ Ἰωάννης λέγων, διδάσκαλε εἴδομεν τινὰ ἐπὶ τῷ ὀνόματί σου ἐκβάλλοντα δαιμόνια, ὃς οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν· καὶ πολλὰ τοιαῦτα. Ἡ δὲ κατὰ τὴν μεταμόρφωσιν τῆς θεοφανείας

Matth. XV. 28. — *Matth.* XVI. 17. — *Marc.* VIIII. 37.

receperit vos in nomine meo, me recipit. Et, qui me recipit, non me recipit sed eum qui misit me.

3. Porro autem verba illa: respondens Iesus dixit illi, o mulier, magna est fides tua; fiat ut vis; ad nullum praedictorum usuum referuntur, sed praecedentis sermonis admissionem sistunt. Nam quum Chananitis miserabiliter exposuisset filiae suae morbum, medelamque petisset; quumque eadem asperiorem precum suarum repulsam patienter excepisset, dixissetque, utique Domine etiam catelli herilis mensae reliquiis vescuntur; hac admissa oratione subditur: tunc respondens Iesus ait illi, magna fides tua; fiat tibi ut vis. Constat enim Iesum bonae supplicisque feminae oratione admissa, fidem eius laude mactavisse, medelamque largitum esse. Eiusdem sententiae sunt etiam haec: respondens Iesus dixit illi, beatus es Simon fili Ionae, quia caro et sanguis non revelabit tibi. Namque his verbis Petri confessionem admittens, qua eum et Christum et Dei viventis filium praedicaverat, beatum illum vicissim edicit. Eiusdem generis est: respondit ei Iohannes dicens, magister vidimus quendam in nomine tuo daemonia eiicientem, qui in comitatu nostro non est. Et multa huiusmodi. Iam in divinae transfigurationis historia, in qua Moses atque Helias cum Domino loquentes sistuntur, quo tempore Petrus rogabat ut

(1) Vocabulum ὑπολαβὼν pro *respondens* late illustrat Wetstenius ad Luc. X. 30.

ἱστορία τὸν Μωϋσῆν καὶ τὸν Ἠλίαν παράγουσα συλλαλοῦντας τῷ δεσπότῃ, καθ'
ἣν καὶ ὁ Πέτρος ἐδεῖτο γενέσθαι αὐτοῖς σκηνὰς τρεῖς, ἐν τῷ ἀποκριθεὶς ὁ Πέ-
Matth. XVII. 4. τρος, τὴν ἱκεσίαν καὶ τὴν δέησιν σημαίνει· ὥσπερ πάλιν καὶ τὸ, ἀποκριθεὶς ὁ Πέ-
Matth. XIIII. 28. τρος εἶπε, κύριε εἰ σὺ εἶ, κέλευσόν με ἐλθεῖν πρὸς σὲ ἐπὶ τὰ ὕδατα· καὶ
γὰρ τῆς δειλιώσης γνώμης τοὺς μαθητὰς ἀπάγοντος τοῦ Ἰησοῦ καὶ λέγοντος, θαρ-
σεῖτε, ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε, δραξάμενος ὁ Πέτρος ἀφορμῆς εἰς ἱκεσίαν αὐ-
τὸν καθιστώσης, κύριε εἰ σὺ εἶ, φησὶ, κέλευσόν με πρὸς σὲ ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ὕδα-
τα· δῆλον γὰρ ὅτι τὸ ἀποκριθεὶς ἐνταῦθα ἱκεσίαν καὶ δέησιν σημαίνει· ὥσ-
Matth. XIII. 36. περ καὶ ἐν οἷς τὰ λόγια φησὶ, ἀποκριθεὶς ὁ Πέτρος εἶπε, φράσον ἡμῖν τὴν
παραβολὴν ταύτην· καὶ γὰρ καὶ τοῦτο χρείαν ἱκεσίας καὶ δεήσεως ἐμφαίνει. Τισὶ
δ' ἂν οὐκ ἂν γένοιτο δῆλον ὡς τὸ ἀπεκρίθη ἴσθ' ὅτε καὶ ἀντὶ τοῦ ἀπεδέξατο
καὶ συγκατέθετο τίθεται; τοῦ γὰρ σωτῆρος ἡμῶν τὰς ἐν τῷ νόμῳ δύο πρώ-
τας ἐντολὰς ἀπηγγελκότος, καὶ τοῦ γραμματέως συμφωνήσαντος τε καὶ τῇ τοῦ
δεσπότου συγκατεθεμένου κρίσει, ἐπάγει ὁ εὐαγγελιστὴς, καὶ ὁ Ἰησοῦς ἰδὼν
Marc. XII. 34. αὐτὸν ὅτι νουνεχῶς ἀπεκρίθη, εἶπεν αὐτῷ· οὐ μακρὰν εἶ ἀπὸ τῆς βασιλείας
τοῦ θεοῦ· καὶ γὰρ εὔδηλον ὡς τὴν ὁμολογίαν καὶ συγκατάθεσιν τοῦ γραμματέως
διὰ τοῦ ἀπεκρίθη τὰ λόγια παρεδήλωσε.

δ. Παρέλκοντος δ' ἂν εἴη δηλωτικὸν, ὁπηνίκα ὁ ἀρχισυνάγωγος ἀσθενοῦσαν ἐπιθανάτιον τὴν θυγατέρα καταλιπὼν, τὸν Ἰησοῦν μὲν ἐδεῖτο σωτῆρα γενέσθαι παραγεγονότα τῆς παιδός· ἐν δὲ τούτῳ τῆς φήμης αὐτῷ τὸν θάνα-

his tria tabernacula fierent, verbis illis *respondens Petrus* rogatio et preces significantur. Rursus illis similiter: respondens Petrus dixit, si tu es Domine, iube me ad te venire super aquas. Nam quum Iesus a timiditate consilii discipulos revocaret, diceretque, bono animo estote; ego sum, nolite timere; Petrus hinc captata obsecrandi occasione, Domine si tu, inquit, es, iube me ad te venire super aquas. Satis enim patet verbo respondens denotari hoc loco preces atque obsecrationem. Sicuti etiam ubi scriptura ait: respondens Petrus dixit, edissere nobis parabolam hanc: nam id etiam precum ac postulationis vice fungitur. Cui vero non est exploratum, vocabulum respondit usurpari etiam pro annuit et assensus est? Nam quum servator duo praecipua legis praecepta proposuisset, scriba autem in hanc sententiam pedibus iret, Dominique iudicium confirmaret; prudente Iesus responso cognito, ait illi: non magnopere abes a regno Dei. Hinc prorsus patet, verbo illo respondit designari a sacris litteris deditionem animi scribae atque consensum.

4. Insuper etiam redundans vox est *respondit*, veluti cum archisynagogus, qui reliquerat filiam mortali morbo conflictantem, Iesum rogabat ut puellam morte ereptum iret. Quum vero interim fama ad parentem esset allata

τον ἐπαγγελούσης, ἐπάγει ὁ εὐαγγελιστής, ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀκούσας ἀπεκρίθη αὐτῷ, μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε· ἐμφανὲς γὰρ ὡς εἰ καὶ μηδαμῶς παρεντεθείη τὸ ἀπεκρίθη, οὐδὲν ἔλαττον τὸ ὑπόλοιπον τοῦ λόγου τὴν αὐτὴν παρίστησι διάνοιαν· τοιοῦτον δὲ καὶ τό, ἀποκριθεὶς ὁ Πέτρος εἶπεν αὐτῷ, εἰ πάντες σκανδαλισθήσονται ἐν σοί, ἐγὼ δὲ οὐδέποτε· ὅτι μέν τοι παρέλκον ἐστὶν ἐνταῦθα τὸ ἀποκριθείς, καὶ ὁ εὐαγγελιστὴς Μάρκος ἐκδιδάσκει μάλιστα· καὶ γὰρ αὐτὸ τοῦτο διερχόμενος τὸ χωρίον ὑπὲρ ὃ Ματθαῖος σὺν τῷ ἀπεκρίθη διηγήσατο, αὐτὸς οὐδὲν ὅλως τῆς φωνῆς δεηθείς, ὁ δὲ Πέτρος ἔφη αὐτῷ, εἰ πάντες σκανδαλισθήσονται, ἀλλ' οὐκ ἐγώ· οὕτω δὲ σαφῶς ἐπιδείκνυται παρέλκον καὶ ἐν τῇ κατὰ τὸν Πιλάτον ἱστορίᾳ, ὅτε τὸν Ἰησοῦν ἐπεχείρει τῆς τῶν Ἰουδαίων ἀπολύειν μιαιφονίας· ἑκατέρου γὰρ τῶν δύο εὐαγγελιστῶν μετὰ τοῦ ἀποκριθεὶς τὴν τοῦ λόγου σύνταξιν προενεγκαμένου, ὁ θεόσοφος Λουκᾶς τὴν αὐτὴν ἀναγράφων πρᾶξιν, οὐδ' ὅλως χρησάμενος τῷ ἀποκριθείς, ἔδειξε τοὺς ἄλλους κατὰ τὸ παρέλκον χρησαμένους τῇ φωνῇ· ἔφη γάρ, πάλιν οὖν ὁ Πιλάτος προσεφώνησε θέλων ἀπολῦσαι τὸν Ἰησοῦν· καὶ πολλὰ ἂν εἴη τοιαῦτα· ἡμῖν δὲ οὐ συλλέγειν ἐστὶ πλῆθος μαρτυριῶν σκοπός, ἀλλὰ παραδείγματι μόνον ἐνδείξασθαι, κἂν τῷ ἑνὶ περιγράφοιτο, τοῦ σημαινομένου κατάδηλον τὴν διάνοιαν· ἐπεὶ καὶ τὸ ῥηθὲν μετὰ τὴν θεραπείαν τῆς συγκυπτούσης γυναικός, ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἀρχισυνάγωγος ἀγανακτῶν, εἴ τις περιέλοι τὸ ἀποκριθείς, τὸ ἄλλο μέρος τῆς φράσεως ἀκη-

Marc. V. 36. — *Matth.* XXVI. 33. — *Marc.* XIIII. 29 — *Luc.* XXIII. 20. — *Matth.* XXVII. 21. — *Marc.* XV. 12. — *Luc.* XIII. 14.

de illius obitu, subdit evangelista: audita re Iesus respondit illi, ne timeas, tantummodo crede. Constat enim, etiamsi verbum respondit minime fuisset interpositum, nihilominus reliqui sermonis eandem fore sententiam. Tale est et illud: respondens Petrus dixit ei, etiamsi omnes in te scandalizati fuerint, ego autem haudquaquam. Sane quod heic vox *respondit* redundet, Marcus apprime evangelista docet: namque in eadem narratione versans, in qua Matthaeus verbo *respondit* utitur, ipse huius vocis subsidio non invocato sic scribit: Petrus autem dixit ei, etsi omnes scandalizati fuerint, non tamen ego. Sic aperte demonstratur redundare hoc verbum in historia quoque rerum coram Pilato gestarum, quo tempore hic Iesum Iudaeorum caedi subducere nitebatur. Nam duobus evangelistis non sine verbo *respondit* orationem suam construentibus, divus tamen Lucas eumdem actum conscribens, neque omnino verbo respondit utens, satis demonstravit ceteros redundanter fuisse locutos. Ait quippe Lucas: rursus igitur Pilatus populum adlocutus est, dum Iesum liberare satageret. Permulta sane eiusmodi erunt: sed enim nobis non est propositum multitudinem testimoniorum colligere, verum exemplo tantummodo, etiamsi id unum esset, significatus huius veritatem palam facere. Sane et ab ea locutione, quae curationem inclinatae mulieris consecuta est, respondens autem archisynagogus cum stomacho, si quis verbum *respondens* subtrahat,

ρατον τὴν αὐτὴν ἀναπτύσσει διάνοιαν· οὕτω μὲν οἶμαι σαφῶς ἐπιδέδεικται ἀρχῆς τε λόγον πολλάκις ἐπέχειν τὸ ἀποκριθεὶς, καὶ διαδοχὴν ἡγησαμένων ῥημάτων, καὶ παρέλκοντος τόπον ἔχειν, καὶ ἱκεσίας ἀναπληροῦν χρείαν.

ε. Ὅτι δὲ καὶ τὴν ἐρώτησιν ὑπέρχεται, ἡ τοῦ κορυφαίου Πέτρου παρίστησιν ἐναργῶς φωνή· τὸ γὰρ κατὰ τὴν Ἀνανίαν καὶ Σάπφειραν πάθος ἀπαγγέλλων ὁ λόγος, καὶ τῆς ψευδολογίας τὸν εἰσπραχθέντα θάνατον, συνῆψε μὲν, καὶ ἡ γυνὴ
Act. V. 3. αὐτοῦ μὴ εἰδυῖα τὸ γεγονὸς, εἰσῆλθεν· ἐπάγει δὲ, καὶ ἀπεκρίθη αὐτῇ ὁ Πέτρος, εἰπέ μοι εἰ τοσούτου τὸ χωρίον ἀπέδοσθε; τί γὰρ ἂν ἕτερον οἰκειότερον εὑρεθείη ὑπὸ τοῦ ἀπεκρίθη νυνὶ δηλούμενον, ἢ τὸ ἠρώτησεν; ὥσπερ καὶ ἀπεκρίθησαν οἱ ἰουδαῖοι καὶ εἶπον αὐτῷ, τί σημεῖον δεικνύεις ὅτι ταῦτα ποιεῖς;
Ioh. II. 18. Ioh. VI. 71. καὶ δὴ καὶ τὸ, ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, οὐκ ἐγὼ ὑμᾶς τοὺς δώδεκα ἐξελεξάμην; φανερὸν γὰρ ἐπὶ τούτων, ὡς ἑκατέρα λέξις, τὴν τοῦ ἠρώτησε δύναμιν ἔχει. Οὐ ταῦτα δὲ μόνον τὸ ἀπεκρίθη σημαίνει, ἀλλ᾽ ἴσθ᾽ ὅτι μὴν καὶ πρὸς οὐδὲν τῶν προφορικῶν ῥημάτων ἐπιφέρεται, πρὸς δὲ τὴν ἐνδομυχοῦσαν τῶν ἀνθρώ-
Luc. VII. 39. πων διάνοιαν ἀπευθύνεται, ὡς ἐπὶ τοῦ, ἰδὼν δὲ ὁ φαρισαῖος ὁ καλέσας αὐτὸν, εἶπεν ἐν ἑαυτῷ, οὗτος εἰ ἦν προφήτης, ἐγίνωσκεν ἂν τίς καὶ ποταπὴ ἡ γυνὴ ἥτις ἅπτεται αὐτοῦ, ὅτι ἁμαρτωλός ἐστιν· ὅρα γὰρ μὴ δὲ μιᾶς ἐρωτήσεως προηγησαμένης, μὴ δ᾽ εἰς ἀρχὴν τοῦ ἑξῆς ἀναφερομένου λόγου, μὴ δ᾽ ἄλλό τι τῶν προειρημένων τῆς φράσεως συνεισαγούσης, ἐπάγει ὁ εὐαγγελιστὴς, καὶ ἀπο-

reliqua sermonis pars integram adhuc retinebit sententiam suam. Atque ita perspicue demonstratum existimo, verbum *respondens* et initii vice saepe fungi, et admittentis praecedentem sermonem, et expletivae quoque dictionis; et denique deprecationi inservire.

5. Quod vero etiam interrogandi vim habeat, evidenter cognoscitur e Petri principis locutione. Nam cum sacra historia Ananiae fata et Sapphirae exponit, poenamque mendacii mortem; mox attexit: et uxor eius eventus nescia supervenit. Tum pergit dicere: responditque ei Petrus; dic mihi utrum tanti agrum vendideritis? Nam quae nunc magis propria excogitari potest significatio verbi respondit, quam interrogavit? Veluti etiam illud: responderunt Iudaei, dixeruntque illi, quodnam signum ostendis, quia haec facis? Item illud: respondit eis Iesus, nonne ego vos duodecim elegi? Lectionem utroque loco vim interrogandi habere exploratum est. Neque eatenus significationes verbi respondit pertingunt; verum id aliquando ad nullum prolatum ore verbum refertur, sed occultis hominum cogitationibus occurrit. Veluti, cernens pharisaeus qui Iesum convivio exceperat, dixit intra se: hic si esset propheta, nosset utique quae quantaque mulier eum attingat; nempe peccatrix. Nunc certe, quamquam nulla interrogatio praecesserit, neque exordium consecutae orationis fiat, neque alii cuipiam e praedictis modis locutio accommo-

κριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπε πρὸς αὐτὸν, Σίμων ἔχω σοι τί εἰπεῖν· καὶ δι' ἐρωτήσεως προελθὼν, τό τε βλάσφημον τῶν διαλογισμῶν ἐπεῤῥάπισε, καὶ πρὸς τὸ θεοσεβὲς καὶ ἀδίςακτον, ὅσα τε τῇ αὐτοῦ φιλανθρωπίᾳ, μετερύθμισεν· οὐκ ἄδηλον γὰρ ὡς τὸ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπε πρὸς αὐτὸν, προταττόμενον τῆς προῤῥηθείσης ἑρμηνείας, πρὸς τὴν ἐν τῷ βάθει τῆς καρδίας κίνησιν τῶν διαλογισμῶν εἴη ἂν ἀποδιδόμενον. Ὁμοςοιχεῖ δὲ τῷ ῥηθέντι καὶ τὸ, ἀποκριθεὶς ὁ Ἰη-
σοῦς πρὸς τοὺς νομικοὺς, ἐπαγόμενον τῇ κατὰ τὴν διάνοιαν αὐτῶν ταραχῇ καὶ Luc. XIIII. 3.
ςάσει, ἡνίκα τὸν ὑδρωπικὸν ἔμπροσθεν αὐτῶν ἱςάμενον ἐθεώρουν· καὶ δέον τῷ πάθει πρὸς ἔλεον μεταβαλέσθαι, οἱ δὲ τῆς ἀπονοίας οὐ μεθίεντο. Τὴν αὐτὴν
δ' ἂν παρέχοιτο σημασίαν καὶ τὸ, ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, ἀμὴν Matth. XXI. 21.
ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν ἔχητε πίςιν καὶ μὴ διακριθῆτε, οὐ μόνον τὸ τῆς συκῆς ποιήσετε, ἀλλὰ κἂν τῷ ὄρει τούτῳ εἴπητε, μετάβηθι εἰς τὴν θάλασσαν, μεταβήσεται· καὶ γὰρ ὅσα γε κατά τι πρόχειρον τῆς συνεπείας, πρὸς τὴν ἐν τῷ βάθει τῆς καρδίας μελέτην ἀπεδίδοτο ἂν τὸ ἀποκριθεὶς, εἰ μὴ Μάρκος ὁ θεσπέσιος ἀπαγγέλλων τὸ χωρίον σαφέςερον, εἰς τὴν τοῦ λόγου διαδοχὴν τὴν σημα-
σίαν μεθίςησιν· εἰπὼν γὰρ, καὶ ἀναμνησθεὶς ὁ Πέτρος λέγει αὐτῷ, ῥαββὶ, Marc. XI. 21.
ἴδε ἡ συκῆ ἣν κατηράσω ἐξήρανται, εἰσάγει τὸν Ἰησοῦν διαδεχόμενον τὸν λόγον καὶ λέγοντα, ἔχετε πίςιν θεοῦ· ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ὅτι ὃς ἂν εἴπῃ τῷ ὄρει τούτῳ ἄρθητι καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ μὴ διακριθῇ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, ἀλλὰ πιςεύει ὅτι ὃ λαλεῖ γίνεται, ἔςαι αὐτῷ ὃ λέγει.

detur, addit evangelista : et respondens Iesus dixit illi; Simon habeo aliquid tibi dicere. Deinde interrogative prosequens, impias hominis cogitationes castigavit, eumque ad pietatem ac fidem pro sua clementia direxit. Neque enim dubitare licet, quin verba *respondens Iesus dixit illi*, eiusdem Iesu quam diximus expositioni praeposita, adversus animi arcanos motus intorqueantur. Paris insuper formae illud est : respondens Iesus legis peritis : quod item perturbatis seditiosisque illorum mentibus oppositum fuit, quo tempore hydropicum coram stantem videbant : qui quum ad misericordiam flecti deberent, non tamen de sua vesania quicquam remittebant. Eadem videretur significatio dictionis : respondens Iesus dixit illis, amen amen dico vobis, si fidem habueritis neque haesitaveritis, non solum ficus prodigium patrabitis; verum etiam si huic forte monti dixeritis, commigra in mare, commigrabit. Nam quod adtinet ad naturalem sermonis contextum, verbum sane *respondens* referretur ad mentis arcanam cogitationem, nisi divus Marcus qui locum hunc explicatius edisserit, verbi significatum ad sermonis praevii admissionem exprimendam traduceret. Etenim quum dixisset : recordatusque Petrus ait illi; magister, en ficus cui male precatus es exaruit; facit Iesum sermoni huic occurrentem sic : habetote Dei fidem. Amen quippe dico vobis, qui huic monti

ϛ. Εἰ μέν τοι γε τῶν λογίων ἡ αὐτὴ περικοπὴ μὴ ἐφ' ἑνὸς μόνου τῶν εἰρημένων ἐπιθεωρηθείη παράδειγμα, ἀλλὰ μεθελκυσθῆναι δύναιτο εἴς τε τὴν ἀπαρχὴν καὶ τὴν διαδοχὴν τοῦ λόγου, τάχα δὲ καὶ εἰς τὸ παρέλκον, οὐδ' οὕτως τῶν σημαινομένων ὁ ἀριθμὸς πρὸς τὸ βραχύτερον συσταλήσεται, ἀλλὰ τὴν ἴσως συνδιασώσει ποσότητα· ἀρκεῖ γὰρ τὸ πλῆθος μὴ καταβιβάζειν, κἂν ἔνια τῶν παραδειγμάτων εὑρεθείη μὴ πρὸς ἕν τι μόνον ἀλλὰ καὶ πρὸς διάφορα τῶν σημαινομένων ἀναφέρεσθαι δυνάμενα, ἐπειδάν τι τούτων ὅλως εὑρίσκοιτο τὴν τοῦ ἑνὸς σημασίαν ἐξοικειούμενον· τὸ γὰρ συνεμπίπτειν πως ἀλλήλοις ἐπ' ἐνίων ῥητῶν τὰ διάφορα σημαινόμενα, οὐκ ἔστιν αὐτῶν τοῦ πλήθους ἀναίρεσις· ἐπείπερ οὐδὲ ἐξ ὧν συμβαίνουσιν, ἀλλ' ἐξ ὧν παραλλάττουσι, χαρακτηρίζονται· οὐκοῦν ἀπὸ τῆς διαφορᾶς ἕκαστον προσήκει σκοπεῖν, καὶ τὸ εἶδος φυλάττειν ἀσύγχυτον· ἀλλ' οὐκ ἐξ ὧν εἰς κοινωνίαν συνάγονται, τὴν ἐν αὐτοῖς διαφθείρειν ἑτερότητα.

ζ. Οὐ μόνον δὲ τὸ ἀπεκρίθη διάφοροι σημασίαι, ὡς ὁ λόγος ἔδειξεν, ἀποφύονται, ἀλλὰ καὶ τὸ ἠρώτησε δύο τινῶν τὸ ἐλάχιστον ὑποκειμένων παρὰ τοῖς ἱεροῖς ἡμῶν λογίοις ἀπαγγέλλει διάνοιαν· ὧν ἡ μὲν καὶ τοῖς ἔξωθεν ἐπιπολάζει, ἡ καὶ τὴν ἀπόκρισιν ἀπαιτεῖν εἴωθεν· ἡ δὲ πόρρωθεν μὲν ταύτης τῆς διανοίας διΐσταται, σημαίνει δὲ τὸ παρεκάλεσε καὶ ἠτήσατο, ἥτις οὐκ ἔλαττον τῆς
Act. III. 3. προειρημένης ἐν τοῖς θεοσόφοις χρησμοῖς ἐπιφαίνεται πλεονάζουσα· τὸ γὰρ

dixerit, tollere hinc et in mare proiicitor, si modo in corde suo non dubitet, sed id fore, quod ait, credat, fiet ei secundum suam locutionem.

6. Quod si aliquando scripturae sacrae eadem pericope non ad unius e praedictis modis exemplum sumitur, verum et ad initium et ad admissionem sermonis trahi potest, fortasse etiam ad redundantiam; non idcirco tamen significationum numerus arctior fiet, sed quantitatem suam conservabit. Nam ne numero quicquam detrahatur, sufficit (etiamsi aliquot exempla sint, quae non ad unum sed ad varios significatus referri queant) sufficit, inquam, siquod in his omnino exemplum existat, quod unius rei significat[illegible]a sibi vindicet. Non enim quia nonnullarum vocum variae significationes invicem incurrunt, idcirco perimitur harum numerus: nam neque ideo quia congruunt, sed quia differunt, characterem accipiunt. Ergo cuiusque differentia spectanda est, et sua cuique species servanda: non autem idcirco quia alicubi congruunt, diversitas abolenda.

7. Sed enim variae significationes, ut sermo meus hactenus ostendit, non ex uno *respondit* verbo gignuntur; verum etiam verbum *rogavit* duorum saltem significatuum nostris in scripturis sententiam tuetur; quorum alter profanis quoque auctoribus familiaris est, responsionemque elicere solet; alter vero a praedicto vehementer differt, denotat enim precatus est et postulavit. At-

ἠρώτα ἐλεημοσύνην· καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν ῥαββὶ φάγε· καὶ ἐρωτῶ σε ἔχε με πα- Joh. IIII. 31.
ρῃτημένον· καὶ τὸ ἠρώτα τίς αὐτὸν τῶν φαρισαίων ἵνα φάγῃ μετ' αὐτοῦ· καὶ μυ- Luc. XIIII. 18.
ρία ἄλλα τὴν τοῦ ἱκετεύειν καὶ δεῖσθαι οὐδένα λανθάνει τὴν χώραν ἐπέχειν· πα- VII. 36.
ραλαμβάνεται δὲ καὶ τὸ ἠρώτησε καὶ ἀντὶ τοῦ προσέταξεν, ἐνετείλατο, καὶ εἶπεν·
ἐμβὰς γάρ φησιν ὁ Ἰησοῦς εἰς ἓν τῶν πλοίων ὃ ἦν τοῦ Σίμωνος, ἠρώτησεν Luc. V. 3.
αὐτὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον· οὐδὲ γὰρ ἀποκρίσεώς ἐστιν ἀπαίτησις
ἡ φωνὴ, οὐδὲ τὸ παρεκάλεσεν ἐνταῦθα σημαίνει, ἀλλ' ἐπιτάγματος καὶ ἐντο-
λῆς προβάλλεται χρείαν· καὶ τοῦτο μάλιστα τότε ἡγούμενον τοῦ λόγου καὶ τὸ
ἑπαγόμενον παριστᾷ· οὐχ ὅτι μόνον διδασκαλικῷ λόγῳ χρώμενος, καὶ τὸν ὄχ-
λον ἔχων ἡδέως προσέχοντα, καὶ τὴν προσήκουσαν διδασκάλῳ τιμὴν νέμοντα,
τοὺς λόγους ὁ σωτὴρ μετ' ἐξουσίας ἐποιεῖτο. ἀλλ' ὅτι καὶ μετ' ὀλίγον παρα-
πλησίῳ πράξει χρῆσθαι τὸν Σίμωνα κελεύοντος τοῦ Ἰησοῦ, ἀντὶ τοῦ ἠρώτησεν ὁ
εὐαγγελιστὴς τὸ εἶπε τῆς ὁμοίας χρείας προτάττει· εἶπε γάρ φησι πρὸς τὸν
Σίμωνα, ἐπανάγαγε πρὸς τὸ βάθος, καὶ χαλάσατε τὰ δίκτυα ὑμῶν εἰς ἄγ- Luc. V. 4.
ραν· προστακτικὴν γὰρ ἄμφω δύναμιν ἔχει. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὡς ἐν κεφα-
λαίῳ καὶ τὴν σὴν οἶμαι χρείαν ἱκανὰ πληρῶσαι· οὐ γὰρ ἄν σε λήσεται μνήμην
ἔχοντα τῶν εἰρημένων, ποίαις τῶν ἱερῶν λογίων περιόδοις τίνα τῶν τοῦ ἀπεκρί-
θη σημαινομένων ἐφαρμοσθείη· τῶν δ' ἄλλων ῥημάτων οἷς τὰ ἱερὰ γράμμα-
τα ἐπὶ διαφόρων πραγμάτων ἐχρήσατο, τὰ μὲν ἤδη λόγῳ διείλεπται, τὰ

que hic significatus haud minus altero in divinis oraculis frequens occurrit. Nam rogabat eleemosynam; et rogaverunt eum, magister manduca; et rogo te, habe me excusatum; et rogabat eum quidam pharisaeus, ut secum cibum caperet; et in plurimis aliis locis verbo huic notionem precandi subesse neminem latet. Immo vero rogavit sumitur etiam pro imperavit, in mandatis dedit, edixit. Conscensa, ait scriptura, Iesus Simonis navicula, rogavit eum ut a terra paullum subduceret. Etenim id verbum haud heic responsionem poscit; neque oravit significat; sed mandati nutusque vice fungitur. Idque maxime ex iis, quae hanc locutionem praecedunt et quae subsequuntur, cognoscitur: non solum quia, dum magistrali sermone uteretur, dumque populum avide audientem haberet, sibique ut doctori honores debitos exhibentem, par erat servatorem cum dignitate loqui; sed quia et paulo post, dum simili actione uti Petrum iuberet Iesus, pro *rogavit*, evangelista ponit simili vi *dixit*. Etenim *dixit*, ait, Simoni reduc in altum, atque in praedam retia vestra demittite. Scilicet utrumque verbum *rogavit* et *dixit* imperativam vim habent. Sed quae summatim hactenus dixi satis videntur necessitati tuae facere. Profecto enim te non latebit, dictorum huc usque memorem, quis quibusnam sacrae scripturae locis significatus verbi *respondit* idoneus futurus sit. Cetera autem vocabula, quorum varia significatione sacrae litterae utuntur, partim iam ora-

δὲ τῆς θείας φιλανθρωπίας εὐμενέστερον εἰς ἡμᾶς ὁρώσης τάχα ἂν ὑποβληθήσεται.

QUAESTIO XXIIII.

Πῶς θελητός τε καὶ ἀθέλητος τῷ πατρὶ ὁ θάνατος λέγοιτ' ἂν εἶναι τοῦ χριστοῦ· καὶ πῶς πάλιν ὁ αὐτὸς συνέλθοι τῷ πονηρῷ θελητός τε ἅμα εἶναι καὶ ἀθέλητος.

α. Ἡ μὲν οὖν ἀπορία γλαφυρωτέρας τινὸς θεωρίας ἀπαιτεῖ καὶ διακρίσεως λόγον· οὐκ ἔστι δ' ἀπρόσδεκτον ἐπικουρίας ἑκάτερον τῶν ἀπορουμένων, ἀξιόλογον ἐπιδειχθῆναι· δεῖ δ' οὖν ἐκεῖνα πρότερον εἰς τὴν ἐνισχύουσαν ῥοπὴν ἀναγαγόντας, οὕτω κατὰ τὴν προσήκουσαν τάξιν καὶ τὴν λύσιν ἐπάγειν πειρᾶσθαι· ἀλ-
Matth. XXVI. 39. λὰ γὰρ ὅτι μὲν θέλημα τοῦ πατρὸς ἦν ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ, αὐτὸς ἡμᾶς ὁ σωτὴρ διδάσκει ἐν τῇ τοῦ θανάτου παραιτήσει λέγων, πλὴν οὐχὶ τὸ ἐμὸν θέλημα, ἀλλὰ τὸ σὸν γενέσθω, ἡνίκα τὸ πάθος, τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τὴν ἀλήθειαν ἐπιδεικνὺς, ἀπηύχετό τε καὶ ἀθέλητον ὠνόμαζεν· οὐ μόνον δὲ τότε, ἀλλὰ καὶ ἡνίκα ἐπετίμησε τῷ Πέτρῳ, φρόνημα μὲν τοῦ θεοῦ εἰπὼν τὸν ἑκούσιον
Matth. XVI. 23. θάνατον αὐτοῦ· φρόνημα δὲ διαβόλου, ᾧ δὴ καὶ ὁ Πέτρος, ἐξ οὗ καὶ τὴν ἐκείνου κλῆσιν κατεδικάζετο, τηνικαῦτα συναπήγετο, εἰ καὶ μὴ ἐκ τῆς αὐτῆς δια-

tione mea comprehensa fuerunt, partim vero, divina nos clementia mitius respiciente, mox fortasse exponentur.

Quomodo et voluntaria et involuntaria patri mors Christi dici queat fuisse. Et quomodo rursus accidat ut eadem mors diabolo voluntaria simulque involuntaria fuerit.

1. Quaestio haec paulo altioris meditationis atque disceptationis orationem postulat. Neque argumenta desunt, quibus utraque dubitatio satis gravis demonstrari potest. Ergo opus est, ut primum dubia haec suis singula momentis corroborata exponamus; deinde ut convenienti ordine ad eorumdem solutionem adgrediamur. Sane quod patris voluntate crucem Christus pertulerit, ipse nos servator certiores facit, dum necem ab se deprecans ait, verumtamen non mea voluntas sed tua fiat: quo tempore scilicet ut humanae naturae veritatem confirmaret, mortem aversabatur sibique involuntariam aiebat. Neque tunc solum, sed etiam cum Petrum increpuit, Dei consilio mortem, quam sponte obiturus erat, decretam ait; diaboli autem molimine tunc pro-

θέσεως· ὁ μὲν γὰρ ἐκ φιλοστοργίας καιρὸν οὐκ ἐχούσης, ὁ δὲ τῆς ἡμετέρας ἐξ ὧν ἐκακούργει καὶ ἐνήδρευε σωτηρίας· ἀλλ' οὖν εἰς ἓν συνέρρεον, καί τοι γνώμης ἐκμαχομένης ὡρμημένοι, τὸ μὴ βούλεσθαι παθεῖν, οὗ τὸ πάθος τὰ πάθη τῆς ἀνθρωπίνης ἰάσατο φύσεως· ὁρῶν μὲν γὰρ ὁ τῆς κακίας γενεσιουργὸς τὸ παναχραντον ἐκεῖνο καὶ θεοπρεπὲς σῶμα τοῖς φυσικοῖς καὶ ἀδιαβλήτοις ὑποκείμενον πάθεσι, τὴν ἐπιβουλὴν ἐβούλευέ τε, καὶ εἰς ἔργον ἄγειν ἐσπούδαζεν· ὁρῶν δὲ πάλιν διὰ τῶν θεοσημείων τῆς θεϊκῆς ἀξίας τὴν αἴγλην ὑπεραστράπτουσαν, συνεστέλλετό τε καὶ ἀνεδύετο, καὶ πρὸς τὸ θέλειν τε ἅμα καὶ μὴ θέλειν τὸν δεσποτικὸν θάνατον ὑποφερόμενος, τὴν μηχανὴν εἶχεν εἰς ἀμηχανίαν καταστρέφουσαν· ὅμως ἐνίκα τὸ δειλὸν ἡ ἀπόνοια· τῷ γὰρ τῆς μιαιφονίας τεχνίτῃ μᾶλλον αἱρετὸν τὸ σύνηθες, ἢ φοβερὸν ὁ ἐπιφυόμενος φόβος· οὕτω γοῦν ἐμφανῶς τῶν ἱερῶν ἡμῶν λογίων θελητὸν εἶναι τῷ πατρὶ τὸν θάνατον ἀνακηρυττόντων τοῦ υἱοῦ, ἀθέλητον δὲ τῷ πονηρῷ· τὸ γὰρ ὅτι παντὸς αὐτῷ μᾶλλον ὁ διὰ σταυροῦ θάνατος ἠγωνίζετο, λαβεῖν ἔστι καὶ ἐκ πολλῶν ἄλλων καὶ ἔνθεν οὐκ ἄδηλον· καὶ γὰρ τὸ ἰουδαίων ἔθνος ἐκείνου κακουργεῖν ἀνακινοῦντος, τὸν κατὰ τοῦ σωτῆρος ἐπαλαμῶντο θάνατον· ἀλλ' ὁμοίως μὲν ἐπίδηλον καὶ ὡς οὐχὶ τῷ πατρὶ τὸ πάθος τοῦ υἱοῦ θελητόν· ἔτι δὲ τοῦ λόγου προϊόντος, ἐπὶ πλέον δηλωθήσεται.

β. Ἐπεὶ οὖν εἰς τάξιν ἤχθη ταῦτα διατυπώσεως, διαλογίζεσθαι προση-

hibitam, itemque a Petro, qui ob id diaboli nomine ad ignominiam notatus fuit. Neque tamen eodem animi instinctu uterque ciebatur; sed intempestiva benivolentia Petrus; salutis nostrae odio ac persecutione diabolus. Ceteroqui reapse eodem confluebant, quamquam diversa mente perciti, nempe ut ne Christus pateretur: cuius passio humanae naturae passionibus medicinam fecit. Nam quum cerneret princeps malitiae auctor inlibatum illud Deoque dignum corpus physicis, quae tamen dedecore omni carebant, passionibus obnoxium, insidias ei moliebatur, easque effectas dare studebat. Rursus in eo observans divinae dignitatis splendorem per prodigia coruscantem, cohibebatur ac pedem referebat: ac modo dominicam volens mortem, modo eamdem nolens, a versutia sua ad consilii inopiam transibat. Sed denique timorem vesania superavit. Nam caedium auctorem suus magis mos delectavit, quam timor inde oriens absterruit. Sic igitur evidenter sacrae nostrae scripturae praedicant voluntariam patri mortem filii fuisse, involuntariam autem diabolo. Et tamen quod idem diabolus crucis supplicium infligendum vel apprime curaverit, tum ex aliis coniecturis tum ex hac indubia colligere licet, quia videlicet iudaicam ipse gentem ad facinus concitavit, quo servatoris caedes peracta fuit. Atqui exploratum aeque est, filii passionem praeter patris voluntatem contigisse; id quod progrediente oratione luculentius declarabitur.

κι ἐστὶ σκοπεῖν, ὡς εἰ καὶ περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος τἀναντία λέγεται, τοῦ δεσποτικοῦ φημὶ θανάτου, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον· ἀλλὰ τὸ μὲν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πάθους ὃ πέπονθε λέγεται, τὸ δὲ ἐκ τοῦ ἐκβεβηκότος· τὸ μὲν γὰρ ἐκβεβηκὸς διὰ τοῦ θανάτου, ἡ σωτηρία τοῦ γένους ἐπράχθη τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῆς τοῦ διαβόλου τυραννίδος ἡ καθαίρεσις· ὃ δῆλον ὅτι θελητόν τε τῷ πατρὶ καὶ εὐδοκία, καὶ τῆς αὐτοῦ προνοίας συμπάσης περὶ τὸ ἀνθρώπινον γένος τὸ κεφάλαιον· τοῦτο δὲ πῶς οὐκ εὔδηλον ὅτι καὶ τῷ ἐχθρῷ ἀθέλητόν τε καὶ ἐσχάτη πληγή; τὸ μέν τοι γε σφαγιασθῆναι τὸν υἱὸν, ὅπερ ἦν ἡ διὰ τοῦ πάθους προϊοῦσα πρᾶξις, καθ' ἑαυτὸ μὲν οὔ τε ἡδὺ τῷ πατρὶ οὔ τε εὐπρόσδεκτον, ἀλλὰ καὶ λίαν ὀργῆς ἄξιον καὶ θυμοῦ· ὥσπερ δὴ τῷ πονηρῷ καταθύμιόν τε καὶ πάντων ἐρασμιώτατον τῶν τερπνῶν· διὸ καὶ ὁ φιλάνθρωπος ἡμῶν σωτὴρ ἐν τύπῳ μεθοδεύων προσευχῆς τὴν ἄφεσιν τῶν ἐξυβρισάντων εἰς αὐτὸν, πάτερ φησὶν ἄφες αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην· οὐ γὰρ οἴδασιν τί ποιοῦσιν· οὕτω μὲν ἀθέλητον τοῦ παιδὸς ἡ σφαγὴ τῷ πατρὶ, καὶ πολλὴν τὴν ἀγανάκτησιν ἀνακινοῦσα· ὡς καὶ αὐτῆς δεῖσθαι τῆς δεήσεως τοῦ ἠδικημένου, ἐφ' ᾧ διὰ μετανοίας καθηραμένους, μὴ δοῦναι δίκην τοὺς ἠδικηκότας· καὶ οὐκ ἐναντίον τὸ θέλειν καὶ μὴ θέλειν τὸν θάνατον τοῦ υἱοῦ τὸν πατέρα· τὸ μὲν γὰρ, ἐκ τοῦ ἐκβεβηκότος κατορθώματος· τὸ δὲ, ἐξ αὐτῆς τῆς προκαταρχούσης λέγεται πράξεως.

Luc. XXIII. 34.

γ. Καθάπερ γὰρ εἴ τις στρατηγὸς τὸν ἀριστέα βλέπων δεχόμενον τραύματα, καὶ

2. Age vero quaestionis iam statu proposito, sequitur ut mentis ratiocinio et consideratione noscamus, etiamsi forte circa eamdem rem, dominicam nempe mortem, contraria dicantur, haud haec tamen secundum modum eundem dici. Namque unum dicitur, quatenus aerumna est quam Christus patitur; alterum, quatenus fructus paritur. Fructus autem eius necis fuit, salus humani generis reconciliata, diabolique tyrannis deleta. Hinc patet hanc rem fuisse patri placitam ac voluntariam, atque eius totius erga homines providentiae summarium. Quid ni vero et illud perspicuum sit, Christi nimirum obitum ab inimici nostri voluntate alienum fuisse, eique cladem maximam intulisse? Nam filii caedes, qui erat naturalis passionis effectus, per se quidem patri neque iucunda erat neque grata, immo indignationis apprime merens atque furoris; sicuti e contrario nihil erat ex diaboli sententia magis, nihil eidem carius aut amabilius. Quamobrem clemens servator illa precum suarum formula veniam iis qui se laeserant curans; pater, ait condona illis hoc peccatum; non enim animadvertunt quid agant. Adeo filii caedes contra patris voluntatem fiebat, ut multam huic iracundiam commoveret; ac necesse fuerit laesum ipsum, deprecatorem fieri, quo rei paenitentia expiati poenas evaderent. Neque repugnat, patrem filii necem voluisse pariter ac noluisse: nam quod eam vellet, fructus praestantia in causa erat; quod vero nollet, id facinus per se spectatum faciebat.

τοῖς τραύμασι τῶν ἐναντίων τὰς παρατάξεις κινοῦντα, καὶ αὐτὸν τὸν ἀρχηγὸν τοῦ πολέμου καταβάλλοντα, χαίρει μὲν εἰς τὸ τρόπαιον κατὰ τῶν ἀντιπάλων ὁ ἀριστεὺς ἵστησι, καὶ τοῖς τραύμασι πρὸς τὸ παράδοξον βλέπων τοῦ κατορθώματος οὐκ ἀλγύνεται· καθ' ἑαυτὰς δὲ τὰς πληγὰς λογοθετῶν, καὶ ταύταις ἐπιστρεφόμενος, οὐχ' ἡδέως ὁρᾷ τραυματίαν τὸν τὴν νίκην ἀναδησάμενον· οὕτω δὴ καὶ ὁ πατὴρ, οἷς μὲν ἑώρα τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους τὸν πολέμιον τὸν ἐπὶ τοῦ σώματος πληγαῖς καταβάλλοντα, τῆς Θεῷ πρεπούσης εὐφροσύνης ἦν, καὶ ταῖς τοῦ παιδὸς ἀνδραγαθίαις ἐσεμνύνετο· οἷς δ' ὁ φίλτατος τετραυματισμένος ἦν ταῖς πληγαῖς καὶ τοῖς μώλωψι, καθ' ἑαυτό γε εἰς αἵρεσιν οὐκ ἀνέφερε· μᾶλλον δ' ἐνταῦθα πλέον τὸ τῆς θελήσεως, ἤπερ ἐν τῷ παραδείγματι· ἐκεῖ μὲν γὰρ ἀρχομένων τῶν τραυμάτων, ἐπείπερ ἄδηλος ἦν ἡ νίκη, πικρὸν τὸ θέαμα τῷ στρατηγῷ, τῆς τροπῆς τῶν ἐχθρῶν οὔπω παρούσης, κατεφαίνετο· ἐνταῦθα δὲ ἀπ' αὐτῶν τῶν τραυμάτων, μᾶλλον δὲ καὶ πρὶν ἢ τοὺς μιαιφόνους τὸν σωτῆρα τοῖς τραύμασιν ἐνυβρίσαι, λαμπρόν τε καθεωρᾶτο τὸ τρόπαιον, καὶ οὐδὲν ἔλαττον ἢ ὅτε τοῖς ἐναγεστάτοις ἐτολμᾶτο τὰ ἀτόλμητα· Θεῷ τε γὰρ καὶ τὰ μέλλοντα πάρεστι, καὶ ἡ γνῶσις ἀμφοῖν πρόεισι δι' ἴσου· οὐδὲν κατ' αὐτό γε τοῦτο τῶν ἐπιγινομένων, οὔτε τῶν πάλαι γεγονότων, οὔτε μὴν τῶν ἤδη παρόντων, τὸ ἔλαττον ἀποφερομένων· οὐδὲν οὖν ἄπορον ἔτι παραδέχεται, τὸ θελητὸν εἶναι τῷ πατρὶ τὸν θά-

3. Nam veluti imperator si fortem militem cernat vulnera excipientem, vulneribusque hostium ordines consumentem, ipsomet belli duce prostrato; laetatur equidem quod victoriam strenuus hic de adversariis referat, neque eius vulneribus, dum praeclarum facinus spectat, dolet; sed tamen postea plagas ipsas per se considerans, atque his commotus, cruentam victoriam haud laeto animo aspicit: sic pater quatenus gentis humanae hostem a filio suo acceptis in corpore vulneribus profligatum videbat, dignam Deo laetitiam capiebat, filiique fortitudine gloriabatur: quatenus vero carissimus ille plagis atque vibicibus onerabatur, id per se, inquam, aequo animo non ferebat. Ceteroqui plus voluntatis in passione Christi, quam in proposito exemplo versatum est. Nam quod adtinet ad exemplum, dum vulnera quidem imponuntur, incerta adhuc victoria, tetrum imperatori spectaculum est, nondum hostibus inclinatis; verum in Christi passione ipso vulnerum initio, immo priusquam cruenti illi servatorem plagis adficerent, splendidum coruscabat trophaeum: neque minore perspicuitate quam postea visum est, cum ii scelesti immane facinus iam perpetraverant. Quippe Deo futura quoque praesentium instar sunt, isque pari utriusque temporis scientia utitur: et seu quae adhuc eventura sunt, seu quae iamdiu praeterierunt, seu denique quae in praesenti adsunt, aequali apud Deum conditione fruuntur. Iam nullam itaque dubitationem patitur, quod filii obitus et voluntarius

νατον τοῦ υἱοῦ καὶ ἀθέλητον· οὐδὲ τὸ σπουδὴν μὲν αὐτὸν εἶναι καταπραχθῆναι τῷ ἀρχικάκῳ τῆς φύσεως ἡμῶν ἐχθρῷ, πάσης δὲ μᾶλλον χαλεπωτέραν πληγὴν φέρειν τὸ προελθὸν πέρας ἀπὸ τῆς σπουδῆς· ὁ μὲν γὰρ πονηρὸς τῷ αἵματι χαίρων καὶ περιχανὼν τοῦ σωτῆρος, οὔπω τῆς χαρᾶς τοῖς σπλάγχνοις ἐμβαθυναμένης, τήν τε ἀνίατον ἔσχε καταλαμβάνουσαν πληγὴν, καὶ τὸν ὄλεθρον ἀπαραίτητον· ὁ δὲ πατὴρ οὐκ ἀρεσκόμενος αὐτόθεν τῇ τοῦ αἵματος χύσει, ἠρέσθη τε μάλιστα συμπροϊὸν τὸ τέλος ὁρῶν, καὶ περιχαρῶς προσεδέξατο· οὐκ αὐτὸ τοῦτο φιλῶν τὴν σφαγὴν τοῦ παιδὸς, ἀλλ' ἐκ τοῦ τέλους ὡς εἴρηται καὶ ταύτην ἐξοικειούμενος, καὶ εἰς εὐδοκίας λόγον μεταποιῶν.

δ. Καὶ ἔχεις κἀντεῦθεν εἰ βούλει καὶ ἀπορήματος παλαιοῦ πρὸς λύσιν ὁρῶσαν ἀναφυομένην ἀφορμήν· τὸ δὲ ἀπόρημα εἰ καὶ τοῖς τὰ θεῖα φιλοσοφοῦσιν οὐκ ἄδηλον, ἀλλ' οὖν εἰς κοινὴν ἁπάντων γνῶσιν εἰπεῖν λυσιτελέστερον· εἰ λύτρον ἐδόθη τὸ σωτήριον αἷμα τὴν ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας ἀνάῤῥυσιν τοῦ γένους ἡμῶν μεθοδεῦον, τίς ὁ λαβών (1); πατρὶ μὲν γὰρ οὐχ ἡδὺ τοῦ παιδὸς ἡ σφαγή· τῷ δὲ λῃστῇ πῶς οὐ τολμηρὸν καὶ φονεῖ, δοῦναι κύριον αἵματος γενέσθαι τοῦ δεσποτικοῦ; πολλὰ μὲν γὰρ καὶ ἄλλα τὴν διάλυσιν παρασχήσει τοῦ ζητήματος, ὧν οὐκ ἄκαιρον ἴσως μετ' ὀλίγον ἐπιμνησθῆναι· τὸ δὲ διὰ τῶν ῥηθέντων προϊὸν, ὁ πατὴρ μὲν δέχεται τὸ αἷμα τοῦ παιδὸς πόθῳ τοῦ ἐκβεβηκότος· ὁ δὲ

patri fuerit et involuntarius. Rursus aeque indubitatum est, studiose id facinus ab antiquo naturae nostrae hoste fuisse curatum; itemque acerbissimam omnium cladem, re effecta, diabolum suo sibi studio intulisse. Etenim his qui servatoris cruore gaudebat eique inhiabat, gaudio suo visceribus nondum recepto, mortiferum vulnus atque ineluctabile exitium perpessus est. Contra pater, etsi sanguinis effusione ilico non est gavisus, nihilominus rei exitum spectans summopere delectabatur, atque hunc cum ingenti laetitia expectabat: haud sane quod filii caedem per se ipsam expeteret; sed ob eius fructum, ut diximus, hanc amplectens atque in rei placitae loco ponens.

4. Porro autem hinc potes veteris quoque quaestionis dissolvendae occasionem ultroneam, si lubet, capere: quae sane quaestio quamquam sacrae scientiae studiosis, non est incognita, nunc tamen non sine fructu ad communem omnium notitiam proferetur. Si pretii loco servatoris sanguis datus fuit, qui nostri generis a captivitate redemptionem curaret, quis eius receptor est? Patri certe haud erat grata filii caedes: latroni autem et homicidae diabolo quid ni sit nefarium dominici sanguinis potestatem tribuere? Aliae quidem multae quaestionis solutiones sunt, quas paulo post memorare non erit for-

(1) Super hac quaestione celebratum postea fuit apud Graecos multorum episcoporum concilium, sub Manuele imp. Comneno, quod accurate commemorat etiam Ephraemius a me editus in Caesaribus v. 4742. sqq. Ipsos praedicti concilii actus ego brevi editurus sum.

πονηρὸς ἐτόλμα μὲν καὶ ἐθρασύνετο λαβεῖν, ἀντέλαβε δὲ τῆς τυραννίδος αὐτοῦ τὴν καθαίρεσιν καὶ τὴν ἀπροσδόκητόν τε καὶ ἀνίατον πληγήν· ἣν καὶ ὑποιδόμενος, ἅμα τε ἐπεπήδα τῷ σταυρῷ, καὶ ἅμα συνεστέλλετό τε καὶ ἀφίστατο τῆς θεομαχούσης ὁρμῆς· καὶ οὐκέτι παρενοχλεῖν οἶμαι τὸ τῆς ἀπορίας ἰσχὺν ἕξει τὰς τῶν εὐσεβούντων ἀκοάς· πλὴν οὐδὲν κωλύει πρὸς τὴν ἐπαγγελίαν ἐλθεῖν· ὡς ἐπεὶ τὸ λύτρον πρὸς δύο τινὰ τὴν ἀναφορὰν ὡς ἐπίπαν ἔχει, ῥύσιόν τε τῶν κατεχομένων εἶναι, καὶ δῶρον ὁρᾶσθαι τῷ κατέχοντι· ὡς μὲν ῥύσιον τῶν κατεχομένων, λύτρον ἂν εἴη τὸ σωτήριον αἷμα, ὡς δὲ δῶρον τοῦ κατέχοντος, οὐδαμῶς· ἐπεὶ καὶ πολλὰ ἄλλα τῷ κυρίως λεγομένῳ προσόντα λύτρῳ τῇ ἀφράστῳ ταύτῃ καὶ ὑπὲρ λόγον οὐ πρόσεστιν οἰκονομίᾳ· καὶ γὰρ ὁ μὲν τὸ λύτρον διδοὺς, οὐκέτι δυνάμενος εἶναι κύριος ὧν παρέσχε, τὴν ζημίαν ἔχει κατὰ τὸ ἀπαραίτητον ἀκολουθοῦσαν· κερδαίνει δ' ὁ λαβὼν καὶ καθίσταται δεσπότης ὧν πρότερον τὴν ἐξουσίαν οὐκ εἶχε· ἐνταῦθα δὲ τοὐναντίον ἅπαν· ὁ μὲν καταθέμενος τὸ λύτρον (καὶ γὰρ πάντα ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ οὐδὲ τὸ Ἄβελ αἷμα, οὐ μὴν οὐδὲ τῶν μαρτύρων ἔξω τῆς αὐτοῦ καθέστηκε προνοίας καὶ χειρὸς) οὐδὲν μὲν δηλονότι ἐζημίωται· τίς γὰρ ἂν ὅλως εἰπεῖν ἐννοήσῃ, ὡς μὲν τῶν θεραπόντων αὐτοῦ, καὶ ὧν ἐκενώθησαν αἱμάτων ἔστι λόγος αὐτῷ, καὶ μετὰ θάνατον ὡς ἀθανάτων βοώντων ἀκούει; τὸ δὲ σωτήριον καὶ ζωοποιὸν αἷμα τοῦ

tasse intempestivum: sed haec sponte ex ante dictis fluit, quod nempe pater filii sanguinem boni fructus studio suscepit; diabolus autem quum furore et audacia ad accipiendum raperetur, tyrannidis suae vice versa perniciem retulit, atque inopinam et sine medela plagam: de qua pridem suspicans, partim quidem ad crucem ruebat, partim retinebatur atque a sacrilego impetu abstinebat. Atque adeo quaestio haec iam non poterit piorum auribus esse molesta. Ceteroqui nihil vetat, quominus nuper promissa faciamus. Redemptionis pretium duplici sub notione considerare licet, nimirum ut captivorum redimias, atque ut captivorum domino donum. Christi sanguis quatenus redimiarum vice fungitur, sane pretium redemptionis dici potest; verumtamen quatenus donum mangoni est, illo nomine uti nequit. Et quidem alia multa redemptionis proprie dicto pretio insunt, quae arcanae huic et inenarrabili oeconomiae non congruunt. Siquidem qui pretium dedit, quia rei eius deinceps dominus esse non potest, detrimentum necessarium patitur: contra qui accipit, lucro augetur, fitque rei dominus, quae in eius potestate antea non erat. Nunc omne contra est. Qui pretium obtulit (quandoquidem omnia in Dei potestate sunt, neque ipsius Abelis neque martyrum sanguis ab eius providentia dominioque abfuit) hic inquam nullum cepit detrimentum. Nam quis omnino dicere velit, ab eo qui famulorum suorum, et quorum sanguis exhaustus fuit, curam gerit, quique mortuorum ut viventium clamores audit;

κόσμου οὐκ ἐν τοῖς ἀθανάτοις τῆς αὐτοῦ προνοίας ταμείοις συνέχει ἀνώλεθρον αὐτῷ, καὶ φθορᾶς σωμάτων ἀνέπαφον συντηρούμενος (1); οὐκ ἐζημίωται τοίνυν οὐ μὲν οὖν ὁ τὸ λύτρον καταθέμενος, ἀλλὰ καὶ τοῦ γένους ἡμῶν παντὸς ὁ φιλάνθρωπος προσεκέρδησε τὴν σωτηρίαν· ὁ δὲ λαβεῖν νομίσας, ὅτι λαβεῖν μόνον ἐνόμισε, καὶ αὐτὴν προσαπώλεσεν, ἐφ' ᾗ τε μέγα ἐφρόνει καὶ ἣν ἐνισχύειν ἐνόμισεν αὐτοῦ τυραννίδα· ὥστε τὸ σωτήριον καὶ δεσποτικὸν αἷμα καὶ λύτρου χώραν ἂν ἐπέχοι, ἀνεκομίσατο γὰρ ἡμᾶς τῆς αἰχμαλωσίας, καὶ τοῦ λύτρου παραλλάσσει, ὅτι μηδὲ προσηνέχθη τῷ τὴν ἡμετέραν φύσιν ἀπάτῃ δουλωσαμένῳ· καὶ ὅτι ἐν μὲν τῷ λύτρῳ τὸ κέρδος ὁρᾶται μέγα, μηδὲ μιᾶς συνεπινοουμένης ζημίας· ἐν δὲ τῷ κατέχοντι τοὺς αἰχμαλώτους, διπλῆ μᾶλλον δὲ παντελὴς ἡ ζημία· εἰ βούλει δὲ καὶ διότι τῶν μὲν ἄλλων λύτρων συμβατήριοι προηγοῦνται λόγοι, ἐνταῦθα δὲ τοῦ λύτρου μελετωμένου, ἡ δικαία κρίσις ἐκ παλαιτάτου τῷ πολεμίῳ τὸ ἄσπονδον καταψηφιζομένη, ἔτι μᾶλλον τηνικαῦτα τὴν τοιαύτην ἐξ ὧν ἐκεῖνος ἔπραττεν ἐπιβάλλει καταδίκην· καὶ δὴ καὶ ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων, σπονδαὶ πάντως ἢ ἐπὶ πολὺν ἢ ἐπ' ὀλίγον συνίστανται χρόνον· ἐν δὲ τῷ παρόντι λύτρῳ, οὐδ' ἐπινοίᾳ λαβεῖν ἔστι ψιλῇ τοιοῦτόν τι προειρημένον, καὶ πόσα ἄλλα τοιαῦτα· ὥστε χώραν ὁ λόγος προτείνεσθαι ἀνάγκην οὐκ ἔχει, ὃν τρόπον ἐπὶ τῶν κυρίως δύναται προβάλλεσθαι λύτρων· ἐκ μεταφορᾶς γὰρ ἐνταῦθα, εἴπερ ἀλλαχοῦ, παρείληπται ἡ φωνή.

quis inquam dicat, salutarem et qui orbem vivificat sanguinem, in thesauris providentiae suae ab eo non fuisse incolumem conservatum, atque ab omni corporea corruptione protectum? Non igitur damnum pertulit qui pretium contulit: immo universi generis nostri clemens Iesus salutem lucratus est. Qui vero se accepturum putabat, dum de suo unice lucro cogitat, illam quoque amisit, cuius vires tantopere iactabat, tyrannidem. Quare dominicus salutaris sanguis pretium revera redemptionis est, quia nos captivitate expedivit: sed idem a redemptionis pretio differt, tum quia illi, qui naturam nostram fraudulenter servitio oppressit, non est oblatus; tum quia pretii quidem praeclarum lucrum esse solet, nullo damno comite: attamen diabolo captivorum hero duplicatum potius summumque damnum evenit. Praeterea redemptionibus aliis pacifica verba praeeunt: heic dum pretium redemptionis persolvitur, iustum Dei iudicium, quam firmissime olim decreverat in hostem poenam, eam hoc potissimum tempore facinoribus eius inflixit. Denique in ceteris redemptionibus foedera quaedam vel ad longum vel ad breve tempus feriuntur; in hac, de qua agimus, nihil tale suspicari licet. Atque eiusmodi aliae plurimae differentiae sunt. Quare fieri non potest ut oratio necessitatem prae se ferat, quem-

(1) Notandus hic Photii locus propter famosam de sanguine Christi fuso versatam inter catholicos theologos quaestionem.

ε. Καὶ δῆλον ὡς οὐ χρὴ βιάζεσθαι συνεφαρμόττειν τοῖς κατὰ μεταφορὰν λεγομένοις, ὅσα πάντως παρέπεσθαι εἴωθε τῷ κατὰ τὴν ἀπ' ἀρχῆς θέσιν τῆς φωνῆς ὠνομασμένῳ· δεῖ γὰρ εἰς κοινὸν ἀναγαγεῖν τύπον, ἃ νῦν ἐπὶ τοῦ προταθέντος ἐγυμνάσθη προβλήματος· ὡς ἂν πρὸς πολλὰ εἴη τῶν εἰς τὴν αὐτὴν ἀπορίαν συνάγεσθαι δυναμένων, ἐξ ἑτοίμου καὶ καθολικωτέρας ἐφόδου τὴν λύσιν ἐπάγειν, καὶ τὸ συνταράττον ἀποσκευάζεσθαι· οὐ τοῦτο δέ φημι, ἄπαγε, ὡς τοῖς τροπικοῖς τῶν ὀνομάτων οὐ δεῖ κεχρῆσθαι· σύντροφος γὰρ ἡμῖν οὐ πολὺ τῶν κυρίων ἔλαττον ἡ χρῆσις αὐτῶν· καὶ εἴ τις ἀφέλοι ταύτας ἔκ τε τῆς ἀνὰ χεῖρα ὁμιλίας, καὶ ἐξ αὐτῆς γε τῶν συγγραμμάτων τῆς ἑρμηνείας, καὶ μάλιστά γε τὰς πολλὴν ἐχούσας τὴν ὁμοιότητα καὶ ἐγγύτητα πρὸς τὰς οὐδὲν τετραμμένον παρεχομένας, οὐκ ἐπὶ πολὺ ἔλαττον εἰς στενὸν κομιδῇ τὴν τῶν λέξεων συγκλείσει χρείαν· ὡς πολλὰ τῶν πραγμάτων μηδ' ἔχειν ὀνόματι δηλῶσαι, ἢ εἴ τις τὴν κυριότητα τῶν ὀνομάτων τῆς ἡμετέρας χρήσεως ὑπερόριον ποιήσει· οὔκουν ἀχρηστίαν ἔτι καταγινώσκειν τῶν ἀπὸ τῆς τροπῆς τὴν γένεσιν ἐχόντων ὀνομάτων· ἀλλ' ἐκεῖνο φαίην ἂν ὡς εἰδέναι χρὴ λέξεως ἰδίωμα κυρίως τε λεγομένης καὶ κατὰ μετάθεσίν τινα τοῖς πράγμασιν ἐπιτιθεμένης· καὶ χρῆσθαι μὲν ταῖς φωναῖς ὡς ἐπιτρέπει τὸ ἔθος, μὴ μέντοι γε τὰ ὑπ' αὐτῶν σημαινόμενα εἰς τὴν αὐτὴν ἐξ ἀνάγκης συνάγειν τε καὶ συνδιαπλέκειν φύσιν· μεγάλων γὰρ γένοιτ' ἂν τοῦτο

admodum eam obtendere potest, cum vox redimiae primario sensu intelligitur. Nam figurate hoc loco, si umquam alias, vox accipitur.

5. Profecto constat non esse admittendum ut ad ordinem metaphoricorum trahamus ea, quae prorsus sectari solent id quod appellatum fuit secundum primam vocis positionem. (Nam me iam oportet ad generalem formam redigere id quod hactenus de proposito themate disputavi. Sic enim licebit et aliis multis, quae eandem perplexitatem creare possent, expedite et communiore ratione solutionem adhibere, atque obscuritatem avertere.) Cave autem putes, me verborum metaphoricorum usum interdicere: est enim nobis horum innata familiaritas, non minus propemodum quam eorum quae proprio sensu efferuntur. Ac si quis eius generis verba ex hoc ipso, qui in manibus est, tractatu, vel a scripturarum enarratione submoveat, praesertim valde similia ac proxima illis, quorum nullus tropus est; is haud multo secius arctis admodum finibus sermonis usum concludet. Quin adeo multae res sunt, quas ne nomine quidem appellare possumus, nisi proprietas nominum procul usu quotidiano submoveatur. Ergo non licet inutilitatis accusare nomina illa, quae a metaphora originem ducunt: sed vis potius cuiusque vocabuli cognoscenda est, sive proprie usurpati, sive cum aliqua translatione rebus impositi. Atque verbis utendum est prout consuetudo fert, non autem illorum significantiae ad eandem naturam necessitate cogendae et convolvendae sunt. Hinc enim

σφαλμάτων αἰτία, καὶ ἀπορίαι δόξουσι προκύπτειν, ἀπορίας μὲν τῇ ἀληθείᾳ λόγον οὐδένα προβεβλημέναι, τῇ δὲ μὴ κατὰ λόγον χρήσει τῶν σημαινομένων, οὐ πρὸς ἑτέρους μᾶλλον ἢ καθ' ἑαυτῶν τῶν οὕτω χρωμένων ταῖς φωναῖς τὴν ἀπορίαν ἐπινοούντων.

ϛ. Αὐτίκα μάρτυρας καλοῦμεν τοὺς ὑπεραθλήσαντας χριστοῦ, καὶ τὰ αἵματα αὐτῶν προσαγαγεῖν φαμὲν τῷ θεῷ καλῶς γε καὶ δικαίως· ἀλλ' ἐκ μεταφορᾶς τῶν ὀνομάτων ἑκάτερον λέγεται· ἀπὸ γὰρ οὓς ἡ πολιτεία μάρτυρας καλεῖν οἶδεν οἳ πάρεισιν ἐπὶ βεβαιώσει τῆς κατὰ τὸν βίον ἀληθείας, καὶ πίστιν δι' ὧν ἴσασιν ἐπάγουσι τοῖς προτεινομένοις, ἀπὸ τούτων καὶ τοὺς τῆς εὐσεβείας ἀγωνιστὰς ὀνομάζομεν μάρτυρας· καὶ γὰρ ὡς ἀληθῶς οὗτοι τὴν ἐνυπόστατον θεολογοῦντες ἀλήθειαν, ἐνώπιον τυράννων καὶ βασιλέων ἐμαρτύρησαν· καὶ προσενεγκεῖν αὐτῶν τὰ αἵματα τῷ χριστῷ φαμὲν, μετενεγκόντες τὴν προσφορὰν ἀφ' ὧν τε Ἄβελ ὁ δίκαιος τὰ τῶν ἀρνῶν ἐστεατωμένα, καὶ Ἀβραὰμ τὰ διχοτομήματα, καὶ τοὺς ἄρτους καὶ τὸν οἶνον ὁ Μελχισεδὲκ τῷ Ἀβραάμ· εἰ βούλει δὲ καὶ τὴν δεκάτην τῷ Μελχισεδὲκ ὁ προσδεξιωθεὶς προσενήνοχε· καὶ δῆλον ὡς ἕκαστος τῶν προσενεγκόντων, ἕτερον προσήνεγκε παρ' ἑαυτὸν, καὶ μηδὲν ἀνιαρὸν ὑφιστάμενος, οὐδέ τι τῶν μελῶν ἀποκοπτόμενος· οἱ δὲ τοῦ χριστοῦ μάρτυρες οὔτε τι κεχωρισμένον προσήνεγκαν, οὐδ' ἀπαθεῖς τὸ σῶμα προσφέροντες ἔμειναν· ἀλλ' οὐδὲ κληθέντες ὑπό τινος, μαρτυρεῖν ἐφεστήκασιν, ἀλλ' αὐτοκλήτῳ γνώμῃ

magni orientur errores, ac dubia passim emergent; quae quidem veram nullam perplexitatem exhibebunt, verumtamen ob obsurdum significatuum usum, hi qui ita vocabula usurpant, non tam aliis quam sibi dubitationes creabunt.

6. Exempli gratia testes (martyres) vocitamus eos qui pro Christo certamen subierunt, eosque sanguinem suum obtulisse Deo dicimus. Praeclare id quidem et merito: sed tamen sine metaphora neutra locutio est. Nam quia politica consuetudo testes appellat eos qui ad confirmandam quotidianarum rerum veritatem adsunt, fidemque quatenus sciunt suppeditant iudicio certantibus, horum inquam exemplo religionis quoque athletis testium nomen imposuimus. Etenim hi revera substantialem veritatem theologica oratione coram tyrannis ac regibus testati sunt. Hosque obtulisse Christo sanguinem dicimus, metaphora oblationis ex Abele iusto sumpta, qui arietum adipes; et ex Abrahamo, qui divisas carnes; nec non a Melchisedeco, qui Abrahamo panes et vinum obtulit; immo et ab hoc qui susceptarum rerum decimas Melchisedeco attribuit. Cernimus autem singulos hos rem a se ipsis diversam obtulisse, nihil molestum passos, nullisque suis membris amissis. Atqui Christi martyres nihil ab se alienum exhibuerunt, neque dum id sacrificium facerent, incolumia corpora retinuerunt. Sed neque ab aliquo postulati testimonio dicendo adfuerunt, verum ipsi spontaneo consilio mirum illud theologicumque testimonium prae-

τὴν θαυμαστὴν ἐκείνην καὶ θεόλογον μαρτυρίαν ἐμαρτύρησαν· εἴ τις οὖν μὴ διαστείλας τὰ τοῦ μάρτυρος σημαινόμενα, ἐπὶ θατέρου τὰ τοῦ ἑτέρου συμβιβάζειν φιλονεικήσει, ἆρ' οὐκ ἐμπλήσει ἀποριῶν τὰ ὦτα τῶν ἀπειρότερον ἀκουόντων; σφαλείη δὲ οὐδὲν ἔλαττον αὐτὸς ἀπορίαν οἰόμενος προκομίζειν, ἣν οὐχ ἡ τῶν πραγμάτων δυσκολία παρέσχεν, ἀλλ' ἡ ἐκείνου τῶν ὀνομάτων οὐκ ἐν γνώσει μεταχείρισις· ἐρεῖ γὰρ κἀνταῦθα ῥᾷον, τῶν μαρτύρων προσενεγκάντων τὸ αἷμα, τίς ὁ προσδεξάμενος; εἰ μὲν γὰρ ὁ χριστὸς, καὶ πῶς ὁ φιλάνθρωπος ἀνθρώπων αἵμασιν ἐπαγάλλεται; εἰ δ' ὁ πονηρὸς, καὶ πῶς ἠνέσχοντο τῷ ἐχθρῷ τὸ οἰκεῖον αἷμα σπείσασθαι; ποῦ δ' ὁ κριτὴς, ὃς τὴν ἴσην γνώμην τοῖς κρινομένοις διένειμεν; οἱ δὲ κρινόμενοι, ὧν ὁ μάρτυς θατέρῳ τὴν ἐπὶ νίκῃ ῥοπὴν παρασχεῖν ἐφίστηκε, τίνες;

ζ. Καὶ πόσα ἂν τις τοιαῦτα λαβὼν ἀπὸ τῶν κατὰ τὴν πολιτείαν μαρτύρων ἐπὶ τοὺς θεολόγους διαβιβάσειε μάρτυρας, ᾧ φορυτὸς ἔρως ἀποριῶν, καὶ μυθολογεῖν καὶ παίζειν κἂν τοῖς σπουδαίοις ἀνύβριστον; καὶ γὰρ οὐδὲν ἔργον πρὸς τὸ πρῶτον σχῆμα τῶν ἀπορημάτων εἰπεῖν, ὡς οὐχὶ τῷ αἵματι τῶν ἀθλητῶν, τῇ δὲ γνώμῃ συναρεσκόμενος ὁ χριστὸς, καὶ τὴν σφαγὴν καὶ τὸ κενωθὲν αἷμα προσεδέξατο· ὥσπερ οὐδὲ τὸ ἐπενεγκεῖν ὡς ἐσφάγησαν μὲν οἱ μάρτυρες ὑπὲρ χριστοῦ, καὶ τὸ αἷμα ἐξέχεαν, τοῦτο κυρίως ἐστὶ οὐ τροπικόν· τὸ δὲ προσήνεγκαν καὶ προσέφερον καὶ τὰ τοιαῦτα, ῥημάτων ἐστὶν ἐξοικειουμένων τὴν τροπήν· οὔκουν οὐδ' ἀναγκαῖον ἐπιζητεῖν τίνι προσήνεγκαν· ὥσπερ οὐδὲ ζητεῖν

buerunt. Si quis igitur indistinctis vocabuli *testis* significatibus, alterutri id accommodabit quod alterius est, nonne aures imperitiorum quaestionibus onerabit? Neque minus ipse se fallet, dum se quaestionem in medium proferre iudicabit, quam reapse non rerum difficultas exhibet, sed ipsius imperita vocabulorum usurpatio. Dicet enim heic etiam, ut facile puto, si testes sanguinem offerunt, quis hunc recepit? Si Christus, quomodo dici potest clemens hic sanguinibus hominum delectari? Si diabolus recepit, curnam ii voluissent suum hosti sanguinem libare? Ubinam vero iudex, qui aequo iure cum disceptantibus agat? Disceptantes autem, quorum alterutri testis ad victoriam testimonium dat, quinam sunt?

7. Innumera eiusmodi a forensibus testibus sumpta ad sacros transferet testes, quicunque inepto studio quaestionum tenetur, aut quem in re seria fabulas venditare aut iocari non pudet. Atqui perfacilis solutio est, si ad primam dubitationum speciem dicamus, Christum quidem haud athletarum cruore sed mente delectatum, caedem eorum sanguinemque exhaustum recepisse. Neque facile minus dicas, caesos fuisse pro Christo testes et sanguinem effudisse; id enim proprie dicitur, non figurate. Verum dictiones *obtulerunt* et *offerebant* et aliae eiusmodi, in verbis translatis numerandae sunt. Neque

πῶς οἱ νεκρωθέντες τὸ σῶμα τῇ κενώσει τοῦ αἵματος δύναιντ' ἂν προσενεγκεῖν λέγεσθαι· πῶς δὲ προσέφερον, οὐχ ἕτερον προσάγοντες, ὅπερ ἐστὶ τῶν κυρίως προσφερόντων; τὰ γὰρ τοιαῦτα τοσοῦτον ἀπέχει τοῦ διαπορητικοῦ τύπου, ὡς ἄμεινον ὑπεριδεῖν, μή ποτε ἄρα σοι δόξωμεν συμπλεκόμενοι τοῖς παίζουσιν, οὐκ ἔξωθεν τοῦ εἰκότος συνδιαβάλλεσθαι· ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς σπουδαίοις παίζειν ἀσύνετον, οὕτω πρὸς τὰ γελοιότερα σπουδάζειν καταγέλαστον· τὰ δὲ τῆς ἐμφανοῦς μὲν ἀτοπίας καὶ οἴκοθεν ἐχόντων τὸν ἔλεγχον ἀνακεχωρηκότα, ταραχὴν μὲν καὶ θόρυβον προτεινόμενα τῶν τῶν πολλῶν ἀκοαῖς, καὶ οἷς οὐκ ἔστι κρίσις διαστέλλειν τῶν ἄνευ τροπῆς προαγομένων φωνῶν, ἃς ὁ τῆς τροπῆς νόμος ἐσχημάτισεν· ἐπεὶ ῥᾷον ἐστὶ τοῖς τὸ διάφορον αὐτῶν ἐπεσκεμμένοις, ἀποκρούεσθαι καὶ διαλύειν τῆς δοκούσης ἀπορίας τὸ περίεργον· δεῖ δ' οὖν λέγειν μὲν τὰς φωνὰς καὶ τιθέναι ἐφ' ὧν φέρειν εἰώθαμεν· εἰδέναι δὲ τὰ ἑκάτερα παρεπόμενα, καὶ φυλάττειν αὐτῶν ἀσύγχυτον καὶ τὸ σημαινόμενον καὶ τὸ ἰδίωμα· ὁρᾷν δὲ ἐστι κἀντεῦθεν· ὁ μάρτυς ὁ πολιτικὸς ἕνα τῶν δικαζομένων συνιστῶν, τὸν ἕτερον συκοφάντην ἀπελέγχει τοῦ κριτοῦ τὴν γνώμην ἴσην διανέμοντος τοῖς προσώποις· ἐν δὲ τῷ θεολογοῦντι μάρτυρι, ποῦ σχέσις; ἢ πόθεν ἔχει παῤῥησίαν ἡ τοιαύτη; πάλιν ὁ ἀθλητὴς τὸν ἀντίπαλον χερσὶ καὶ πυγμαῖς παίων, καὶ καταχρατῶν εἰς τέλος, τοῦ νικητικοῦ τυγχάνει στεφάνου· ἐνταῦθα δὲ βαλλό-

igitur necessarium est exquirere cuinam obtulerint: sicuti nihil opus est quaerere, quonam ii pacto dici queant obtulisse, quorum corpora exhausto sanguine exanimata fuerunt. Quomodo enim offerrent, quum nihil a se distinctum adferrent, secus ac fit ab illis qui proprie offerunt? Haec, inquam, omnia tantopere absunt a forma dubitativa, ut negligere satius sit, ne forte tibi videamur non immerito reprehendendi, quia cum ludentibus dimicemus. Nam sicuti in re seria ludere insanum est, sic in ridiculis serio agere dignissimum risu est. Siquae vero locutiones absunt quidem a manifesta absurditate, neque semet ipsae refutant, sed tamen perturbationem confusionemque multorum auribus creant, hominibus videlicet qui discernere nesciunt verba tropo carentia, ab iis quae troporum legibus figurantur; facilius inquam, est si differentiae earum considerentur, propulsare ac dissolvere umbratilis controversiae subtilitatem. Deligendae igitur voces sunt, collocandaeque quo loco adhiberi solent. Scire etiam oportet utramque circumstantiam, ita ut distincti serventur significatus et proprietas. Hinc specimen esto. Forensis testis dum uni e disceptantibus favet, alterum iniquum coarguit: at iudex interim aequam sententiam hominibus reddit. Verum in sacro teste ubinam hic rerum status? vel undenam libera dicendi copia? Rursus athleta adversarium manibus pugnisque verberans, ac denique superans, victoriae coronam impetrat: heic autem qui percutitur ac vulneratur, flammaque aut fer-

μένός τε καὶ τιτρωσκόμενος, καὶ πυρὶ θανατούμενος ἢ σιδήρῳ, ἢ δι' ὧν ἄλλων ἐπενόησεν ἡ δήμιος ὠμότης κατὰ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως πρὸς ἀνθρώπους ἐξαγαγεῖν τῆς ζωῆς, τὰ τῆς νίκης ἐστὶν ἀναδούμενος διαδήματα· καὶ ἐπὶ μυρίων ἄλλων ἡ διαφορά· πῶς οὖν οὐ παράλογον ἐν ἑκατέρῳ τῶν σημαινομένων τὰ αὐτὰ ζητεῖν ἐπιθεωρεῖν; καὶ ἃ προσῆν τῷ ἑτέρῳ, τὰ αὐτὰ θατέρῳ περιάπτειν ἐκβιάζεσθαι;

η. Πολλὰ μὲν οὖν τῶν ἐπὶ διαφόρων πραγμάτων ταττομένων ὀνομάτων ἐμφανεστάτην ἔχει τὴν διαφοράν· ὡς μὴ δέ τινα τῶν εἰς ἄκρον ἀναισχυντίας ἢ ἀσθενείας ἡκόντων χωρὶς αἰσχύνης ἢ εὐλαβείας μετενεγκεῖν ἐπὶ θάτερον ἃ τῷ ἑτέρῳ διωμολόγηται· πολλὰ δὲ κρύφιον φέρει τὴν ἑτερότητα, ὡς ὁ μάρτυς, ὡς ὁ ἀθλητὴς, ὡς τὸ λύτρον, ὡς τὸ τρόπαιον, ὡς τὰ τοῦ ᾅδου βασίλεια, ὡς μυρία ἄλλα· ἐφ' ὧν ἐστι ῥᾷον καὶ αὐτὸν πολλάκις ἀπάτης λαβεῖν τὴν ἀπορίαν παραδυόμενον, ἢ ἑτέροις τὴν ἀπάτην προάγειν ἐν τῷ λανθάνοντι. δεῖ δ' οὖν ἐκ τῶν ἐμφανεστάτην ἐχόντων τὴν παραλλαγὴν καὶ παντελῶς ἐπιπόλαιον τῶν προτεινομένων τὴν διάλυσιν, τὸν κανόνα λαβεῖν, καὶ ἀπευθύνειν τῇ κοινῇ μεθόδῳ καὶ ἃ πολλὴν τὴν ἐγγύτητα πρὸς ἄλληλα κεκτημένα, τὸ τῆς ἀπάτης σχῆμα πιθανώτερον προβάλλεται, καὶ οὕτως ἀπ' ἐκείνων τὴν κρίσιν ἀπλανῆ καὶ ἐπὶ τούτων συνδιασώζειν· αὐτίκα τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ· τὸ δὲ πτερύγιον οἷς μέλει τῆς ἀττι- Dan. VIIII. 26.
κῆς γλώττης, οἱ μὲν ἀετὸν, οἱ δὲ καὶ ἀέτωμα καλοῦσι, καὶ στέγασμα φασὶν

ro interficitur, vel aliis cruciatuum generibus, quae carnificum contra humanam naturam crudelitas ob enecandos homines excogitavit, hic inquam victoriae corona insignitur. Atque aliae praeterea innumerae differentiae sunt. Quid ni itaque sit absurdum, in utraque re significata easdem circumstantias exquirere? et quae uni congruunt, easdem ad alteram vi pertrahere?

8. Multa igitur ex iis nominibus, quae diversis rebus imponuntur, manifestissimam differentiam habent: quare nec ulli homines quamquam apprime impudentes vel ingenio imbecillo praediti, sine pudore aut metu transferre solent ad rem alteram quod alterius proprium est. Multa tamen suboscuram diversitatem continent, ut testis, ut athleta, ut redimiae, ut trophaeum, ut inferorum regnum, ut alia plurima: in quibus facilius est ipsum falli qui quaestionem ingredietur, quam aliis fucum facere in re latente. Oportet itaque ex iis quae manifestissimam transmutationem habent, atque omnino tritam contradictionis suae solutionem, normam sumere: atque ad communem methodum illa quoque exigere, quae quia valde invicem propinqua sunt, erroris speciem credibilioris suppeditant: atque ita ex his certum iudicium de aliis quoque facere. Exemplo sit πτερύγιον (pinnaculum) templi. Πτερύγιον atticae linguae studiosi, alii aquilam, alii fastigium (aquilae figura praeditum) atque tectum esse aiunt sacrorum aedificiorum, cuius figura volantem avem

Matth. IIII. 5. εἶναι τοῦτο τῶν ἱερῶν οἴκων, τῷ σχήματι τὴν πτῆσιν τοῦ ζῴου μιμούμενον, ὃ δὴ καὶ πτερὸν ἔνιοι καλοῦσιν· οἱ δὲ διαστέλλουσι τὸ πτερὸν καὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἀετοῦ τε καὶ τοῦ ἀετώματος· φασὶ γὰρ εἶναι τὸ δηλούμενον ὑπ' αὐτῶν, τὸ πρὸ τῶν ἱερῶν ἐκ λίθου πρὸς ὕψος ἀνατεινόμενον μᾶλλον κατεσκευασμένον οἰκοδόμημα· πλὴν ἀλλὰ γὰρ εἴ τις προτείνας τὸ πτερύγιον, διερωτώη πότερον ἐξήπλωτο τῷ ἀέρι καὶ ὑπηρέτει κινούμενον τῷ ὄρνιθι τὴν πτῆσιν, ἢ συνέσταλτο τε καὶ συνεπτύσσετο, καὶ εἰς τὸ σχῆμα τῶν ἠρεμούντων τὸ πτηνὸν συνῆγεν, οἶμαι ἂν ἀντὶ τοῦ λύσιν αἰτεῖν τῆς ἀπορίας, γέλωτα παρασχεῖν· καί τοι γ' ἂν ἴσως καὶ ἐπινεωτερίσαιτο, ὡς ὁπότερον ἄν τις δοίη, ἀδύνατα λέγων φωραθήσεται· οὔτε γὰρ ἐκτεταμένον τὸ πτερύγιον ὄγκον σώματος καὶ βάρος ἐπιβαῖνον ἀνέχειν δύναται, οὔτε τὴν κατὰ συστολὴν θέσιν ἔχον· πολλῷ μᾶλλον οὐδὲ τὴν ἐπίβασιν ὅλως παραδέχοιτ' ἄν· ἆρα γὰρ οἱ τὰ τοιαῦτα προάγοντες ἀντὶ τοῦ συνάγειν εἰς ἀπορίαν ἑτέρους, οὐ πολὺ πρότερον ἑαυτοὺς εἰς χλεύην ἀπάγουσιν; ἐρεῖ γὰρ οἶμαι ῥᾳδίως καὶ τῶν ἐπιτυγχανόντων ἕκαστος, ὡς ὦ βέλτιστοι ταῦτά που τὰ δριμέα διαπορήματα ἐπὶ μὲν τοῦ ἑτέρου σημαινομένου ἀπορίαν ἐμποιήσειεν, ἐνταῦθα δὲ καὶ οὐδ' ἕτερον ἔνεστιν εἰπεῖν, καὶ οὐδεμία φαίνεται πρόφασις ἀπορίας ἀνακύπτουσα· ἀπὸ γοῦν τῶν οὕτω περιφανεστάτην τὴν διαφορὰν ἐχόντων, εὐχερέστερόν ἐστι καὶ οὐδὲν ἐργῶδες, καὶ ἐπὶ τῶν ἐγκεκρυμμένην ταύτην φερόντων, τῷ κοινῷ χρωμένους κανόνι, τὰς ἀπορίας εἰς εὐπορίαν μεταβάλλειν.

imitatur: quam aedificii partem nonnulli etiam pinnam appellant. Alii distinguunt pinnam et pinnaculum sive aquilae sive fastigii. Aiunt enim his significari partem illam aedificii lapideam, altiusque elatam, quae sacrarum aedium frons est. Si quis tamen pinnam seu pinnaculum inculcans, rogaret utrum id expanderetur in aëre, commotumque avis volatui faveret? an potius contraheretur atque complicaretur, avisque quiescentis speciem exhiberet? credo equidem excitatum iri potius ab hoc risum, quam curatum ut quaestio solvatur. Fortasse etiam novo alio argumento utetur, nempe quod alterutrum quis concedat, impossibilia dicere deprehendetur. Nam neque extensa pinna gravitatem corporis pondusque impositum sustinere potest, neque item cum est complicata. Illud vero praecipuum, quod adscensum in aëra non patitur. Nonne qui talia in medium ferunt, nedum aliis dubitationes haud creant, sed ipsos se multo citius ludibrio obiiciunt? Existimo enim quemvis facile sic dicturum: o boni, hae peracutae dubitationes cum aliis fortasse significatibus quaestionem conflabunt; heic tamen neutrum dici potest, nullaque ansa dubitandi hinc exsistit. Ex his igitur, quae tam exploratam differentiam habent, facilius est nulliusque laboris, eorum etiam quorum differentia abstrusior est, communi regula adhibita, perplexitatem perducere ad liquidum.

θ. Τρόπαιόν ἐστιν ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ κατὰ τοῦ διαβόλου ἱστάμενον· καὶ τροπαίων τὸ λαμπρότατον, ὅπου γε καὶ αὐτὸς ὁ τύπος αὐτοῦ τῷ ἀέρι χαρασσόμενος, πᾶσαν αὐτῷ συμφυγαδεύει τὴν δύναμιν· καὶ οὐδήπου δεῖται βαθυτέρας περινοίας, εἴτις εἰς ἀπορίαν διαπλάσαι τὸ ῥῆμα προέλοιτο· ἐκ γὰρ τῶν προειρημένων, εὐφορώτατον ἔχει τὴν διάκρισιν· οἷον εἰ τρόπαιον ὁ σταυρὸς, τίς ὁ στήσας τὸ τρόπαιον; εἰ μὲν ὁ νικήσας, τί μάτην τὸ ἰουδαίων ἔθνος εἰς χριστοκτονίαν διαβάλλεται; εἰ δ' αὐτοὶ τοῦτον ἐπήξαντο· οὐδὲ γὰρ ἀμφισβητήσιμον τοῦτο· πῶς ὁ χριστὸς κατὰ τοῦ διαβόλου τρόπαιον στῆσαι λέγεται; ὡσαύτως δὲ καὶ εἴ τις λαβὼν τῷ λόγῳ τὰ τοῦ ᾅδου βασίλεια, δηλονότι τὴν βασιλέα συνεπάγεται· λέγει δέ που ὁ Παῦλος ὁ τῆς ἀληθείας κῆρυξ, ὡς ἐβασίλευσεν Rom. V. 14.
ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωϋσέως. οὐ μόνον ὧν ἦν τὸ ἁμάρτημα καθ' ὁμοιότητα τοῦ Ἀδὰμ, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοὺς κατ' ἐκείνην τὴν μίμησιν ἁμαρτήσαντας· εἰ δὲ βασιλεὺς, τῷ δὲ βασιλεῖ νόμος τε τὸ ἀξίωμα καὶ ἡ τῶν ὑπηκόων ἐγχειρίζεται ψῆφος, ᾧ δὲ ταῦτα περίεστι, πῶς ἂν εἴη λόγον ἔχον τῆς ὅτι δικαίως ἐβασίλευε τιμῆς, ἀντὶ τοῦ γέρας προσλαμβάνειν, ὑπέχειν τὴν στέρησιν; καὶ γὰρ ἑκάτερον τῶν εἰρημένων, ἴσως μὲν καὶ αὐτόθεν, τὴν ἀπορίαν τοῖς ἀκριβέστερον ἐρῶσιν οὐδὲν ἧττον ἢ τὴν λύσιν προβάλλεται· μάλιστα δὲ ἐκ τῶν προειρημένων, ῥᾳδίαν ἔλκουσι τὴν ἀπάντησιν· καὶ γὰρ ἐπίδηλον τρόπαιον μὲν λέγεσθαι τὸν σταυρὸν, ἀπὸ τοῦ κατὰ τοὺς πολέμους τροπαίου τῆς φωνῆς μετενεχθεί-

9. Trophaeum est contra diabolum Christi crux excitatum ; et quidem splendidissimum , quandoquidem vel eius typus in aëre impressum quamlibet cum illo potestatem fugat. Neque tamen altiore certandum est acumine , si quis forte de hoc vocabulo quaestionem aliquam conflandam susceperit : namque e superius dictis solutionem deprehendere perfacile est. Si crux , inquit aliquis , trophaeum est , quis id erexit ? nam si ipse victor , cur iam temere iudaico populo Christi caedes imputatur ? Quod si illud Iudaei statuerunt (quod reapse extra aleam contentionis est) quonam pacto Christus contra diabolum constituisse trophaeum dicitur ? Item si quis de regno inferorum sermonem iniiciens , pergat porro dicere : si est inferorum regnum , sine dubio intelligitur quoque rex. Et quidem ait Paulus veritatis praeco , regnavisse mortem ab Adamo ad Mosem , non in eos solum quorum peccatum secundum Adami similitudinem erat , verum in eos quoque qui eius exemplo peccaverunt. Quod si rex est , regi autem lege et subditorum suffragio dignitas attribuitur ; cui haec dignitas suppetit , quomodo consentaneum sit, eum honoris loco perpeti iusti muneris abdicationem ? Nam utraque locutio , et quidem ex eodem fortasse fonte , rem studiose pensantibus et dubitationem suppeditat et explanationem. Praecipue vero ex ante dictis prona responsio manat. Est enim satis exploratum , trophaei nomine dici cru-

σις· ἐπεί γε λαμπρῶς καθεῖλεν ὁ χριστὸς δι' αὐτοῦ τὸν ἐχθρόν· οὐ διότι δὲ τὸν σταυρὸν ἔστησεν· οὐδὲ γὰρ αὐτὸς ἔστησεν, ἐπήξατο μὲν γὰρ αὐτὸν τὸ θεομάχον ἔθνος, οὐχ ὡς τρόπαιον δὲ κατὰ τοῦ ἐχθροῦ, ἀλλ' ὡς τοῦ κοινοῦ σωτῆρος κολαστήριον· ὁ δὲ τὴν ἐκείνων κακουργίαν εἰς τὴν κατὰ τοῦ ἐχθροῦ νίκην ἀντιστρέψας, οἷα δὴ τροπαίῳ τῷ σταυρῷ προσεχρήσατο· οὔτε γοῦν τὸ τῶν ἰουδαίων ἄγος τὸ τρόπαιον ἔστησεν, οὐ μὴν ἀλλ' οὐδ' ὁ σωτὴρ τοῦ γένους ἑαυτῷ τὸν σταυρὸν συνεπήξατο, ἀλλ' ἐκείνων ἐπὶ κολάσει τοῦ δεσπότου πηξαμένων, αὐτὸς ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἡμετέρας φύσεως εἰς τρόπαιον μετετάξατο· καὶ ᾅδου δὲ βασίλεια λέγεται, καὶ βασιλεὺς ὁ θάνατος, οὐχ ὅτι θεσμοῖς καὶ γνώμῃ τῶν ἀρχομένων τὴν κατ' αὐτῶν ἴσχει κυριότητα, ταῦτα γὰρ τῷ κυρίως σημαινομένῳ διὰ τῆς τοῦ βασιλέως φωνῆς ἕπεται, ἀλλ' ἐπειδήπερ τῶν ἐπὶ γῆς ὁ βασιλεύων τὸ κράτος ἀδιέσποτον φέρει κατὰ τῶν ὑπὸ χεῖρα· τοῦτο δὲ ὁ θάνατος διὰ τῆς παραβάσεως ἥρπασεν· ταύτῃ δὲ καὶ βασιλεὺς εἶναι, καὶ τὰ τούτου βασίλεια λέγεσθαι μεταθεμένοις τὸ ὄνομα δύναται· καὶ ἦν μὲν αὐτῷ πρὸ τοῦ σταυροῦ καθ' ἡμῶν, ἄμαχος ἡ τοιαύτη ἀρχὴ, πᾶσαν ἀναστάσεως ἐλπίδα περικόπτουσα τε καὶ νεκροποιοῦσα, τοῦ δὲ δεσποτικοῦ πάθους τὸ ἰσχύος αὐτὸν παντελῶς ἀφελομένου, εἰκότως καὶ κατὰ λόγον φαμὲν ἐσκυλεῦσθαι τὰ τούτου βασίλεια.

ι. Ἔνεστιν οὖν οἶμαι, γνώμῃ τε χαιρούσῃ καὶ παῤῥησιαζομένῃ γλώσσῃ λέγειν, ὅπως τε θελητὸν ἐστι καὶ ἀθέλητον ὁ θάνατος τοῦ υἱοῦ τῷ πατρί· καὶ ὅπως ἑκάτερον αὐτῶν περὶ τὸν πολέμιον ὁρᾶται λεγόμενον· καὶ ὡς μὲν ὑπὲρ

cem, a trophaeo bellico voce translata : siquidem Christus praeclare hostem vi propria superavit ; non autem quod ipse crucem constituerit : hanc enim sacrilega gens defixit ; neque uti trophaeum de hoste, verum ut communis servatoris supplicium. Sed tamen ille malitia eorum in victoriam de hoste versa, cruce tamquam trophaeo usus est. Neque igitur Iudaeorum impietas trophaeum statuit, neque rursus servator hominum crucem sibi defixit : sed quod illi lignum ad Domini supplicium defixerant, hic ad salutem naturae nostrae trophaei forma donavit. Item inferorum regnum dicitur, reginaque mors; non quod decretis suffragioque subditorum dominatum in eos impetraverit ; haec enim regis vocabulo proprie dicto conveniunt ; sed quia quam rex terrenus liberam potestatem in subditos suos exercet, eandem sibi mors peccati causa vindicavit : atque ob id et regina mors et inferorum regnum translatis appellationibus dici possunt. Et sane mortis erat in nos ante crucem potentia invicta, omni spe resurrectionis praecisa et extincta : verum enimvero quum dominica passio vim illius omnino abstulerit, iure meritoque dicimus regnum eius esse direptum.

10. Ergo licet, ut arbitror, alacri animo confidentique lingua dicere, voluntariam simul et involuntariam patri accidisse filii necem : et id utrum-

ἡμῶν τὸν σταυρὸν ὑπέστη, καὶ τὸ οἰκεῖον ὁ φιλάνθρωπος αἷμα ἐξέχεεν· οὐ προσήνεγκε δὲ τοῦτο τινί· οὐ γὰρ αὐτῷ σκοπὸς ἦν προσενεγκεῖν, ἀλλ᾽ ἐν τῷ πάθει τὸ ἀπολωλὸς ἀνασώσασθαι· οὐ προσήνεγκεν οὖν, εἰ μή τινι κατὰ μεταφορὰν τὸ ὑπὲρ ἡμῶν παθεῖν αὐτὸν, φίλον ἐστὶν ὀνομάζειν προσενεγκεῖν· ἀκώλυτος γὰρ διὰ τὴν ὁμοιότητα τῆς φωνῆς ἡ χρῆσις ἐν σχήματι λεγομένης τροπῆς· ὥσπερ κεκωλυμένον τὸ τὸ κύριον ἐχούσης προσηγορίας τὸ ἰδίωμα ἐπὶ ταύτης ἀπαιτεῖν· καὶ φανερὸν ὡς οὔτε προσήνεγκεν οὔτε προσέφερεν (1) ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου τὸ σωτήριον καὶ καθάρσιον αἷμα τοῦ γένους ἡμῶν· εἰ καὶ ὁ πατὴρ διὰ τὸ ἀπὸ τοῦ πάθους ἐκβεβηκὸς τερπομένῃ καὶ χαιρούσῃ γνώμῃ τὸ αἷμα τοῦ παιδὸς ὑποδέξασθαι λέγεται· ἀλλὰ ταῦτα μὲν εἰ καὶ τῆς ἐλπίδος ἣν ὤδινεν ἡ ἐξαίτησις ἴσως μὲν ἐντελέστερον, πλήν γε κατὰ τὸ ἐπίτομον προσενήνεκται τύχον· ἐπεὶ μηδ᾽ ἐπιλέλησμαι κατὰ τὰς σχολαζούσας μελέτας τοῖς ἱερωτάτοις ἡμῶν δόγμασι πολλάκις ἀκοῦσαι τὴν σὴν ἀρετὴν φυλοκρινουμένην τὰ τοιαῦτα· καὶ ῥᾷόν ἐστιν ἐκ τῶν παρόντων εἴ τι καὶ λήθη τῶν λογισμῶν ἀφείλετο, εἰς τὴν τῶν παραλελειμμένων συνάγεσθαι μνήμην.

que de hoste quoque diabolo pronunciari posse videmus. Dicimus insuper cruci Christum pro nobis subiacuisse, suumque sanguinem clementiae instinctu profudisse: neque tamen cuiquam obtulisse: non enim ei propositum erat sanguinem offerre, sed passione sua quod perierat conservare. Non igitur obtulit: nisi forte cuipiam placet, passionem eius pro nobis, figurate oblationem appellare. Nihil enim vetat ob vocabuli similitudinem, quominus eo utamur ex forma praedicti tropi: at vetitum contra est, propriae strictaeve appellationis characterem in eadem locutione exquirere. Sine dubio itaque neque offerebat neque obtulit Dei agnus, qui mundi peccatum abstulit, sanguinem suum salutarem nostrique generis purgatorem: quamquam pater, ob passionis utilitatem, lubenti laetoque animo filii sanguinem suscepisse dicitur. Iamvero etsi haec forte supra spem postulationis tuae paulo plenius disputata fuerunt, nihilominus eadem a summario dicendi genere non recedunt. Neque enim non recordor, tuam saepe virtutem per scholasticas de augustis nostris dogmatibus exercitationes, haec accurate digesta audivisse. Est autem facilius, siquid oblivio de cogitationibus nostris detrivit, ope eorum, quae coram sunt, praetermissorum memoriam recuperare.

(1) Hosti scilicet et mangoni generis humani; ut in praecedentibus Photius dixit. Nisi enim ita intelligatur, pugna quodammodo fiet cum iis quae dicuntur a Paulo in ep. ad Hebr.

QUAESTIO XLIII.

Matth. XXVIII. 19. Τί δή ποτε τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ εἰς ὄνομα πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος βαπτίζειν μυσταγωγήσαντος, οἱ ἀπόστολοι καὶ μαθηταὶ αὐτοῦ οὐχ οὕτως, ἀλλ᾽ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἐβάπτιζον.

α. Τινὰς μὲν οὖν τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν ἔστιν ἰδεῖν ἱσταμένους πρὸς τὸ ἄπορον, οὐ δι᾽ ὧν τὸ ζήτημα διαλύεται, ἀλλὰ δι᾽ ὧν συγγνώμη τοῖς μὴ δυναμένοις φυλάξαι τὰ προστεταγμένα λύει τὸ ἔγκλημα· ὁμολογοῦσι μὲν γὰρ τοὺς μαθητὰς, μὴ καθ᾽ ὃν ἐδιδάχθησαν τρόπον βαπτίζειν· βαπτίζειν δὲ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, οἰκονομίας τινὸς καὶ προνοίας λόγῳ χρωμένους· καὶ τῷ καιρῷ καὶ τῷ κατεπείγοντι ἔτι μᾶλλον τὴν γνώμην ἁρμόζειν, πρὸς τὸ συμφέρον καὶ εὐπαράδεκτον τοῖς τῷ κηρύγματι προσιοῦσι τὴν μυστικὴν ταύτην καὶ ἱερὰν πρᾶξιν μεθοδεύοντας· ὃ γὰρ τῶν ἄλλων μᾶλλον ἑώρων τοῖς πλήθεσι προϊστάμενον καὶ θόρυβον τοῖς λογισμοῖς αὐτῶν παρεχόμενον, τοῦτο δὴ τοῦτο προθεραπεύειν τε καὶ προκαταρτίζειν ποιεῖσθαι σπούδασμα· προΐστατο δὲ καὶ δυσπαράδεκτον ἐνομίζετο ὁμολογεῖν τε σωτῆρα τὸν χριστὸν καὶ μάλιστα υἱὸν θεοῦ καὶ θεὸν, καὶ τοῖς ἐκείνου πειθαρχεῖν παραγγέλμασιν· ὃ τοίνυν ἑώρων

Curnam quum dominus et servator noster Iesus Christus in nomine patris et filii et sancti spiritus baptizare docuisset, apostoli atque horum discipuli non sic, sed in nomine domini Iesu baptizabant.

1. Sanctorum patrum nonnullos video ita in hac quaestione versantes, ut non tam illa argumenta proferant, quibus controversia solvitur, sed ea potius quibus veniam impetrent iis qui mandato obtemperare non potuerunt, eosdemque crimine absolvant. Quippe fatentur, discipulos non illo modo quo eruditi fuerant baptizavisse, sed in nomine domini nostri Iesu Christi baptismum impertivisse, secundum oeconomiam quandam ac providentiam hac formula utentes: temporique et in primis instanti necessitati sententiam accommodavisse, dum ex utilitate et placito neophytorum mysticum hunc sacrumque ritum administrabant. Nam quod prae ceteris cernebant in vulgi animis antestare, eorumque cogitationibus perturbationem iniicere, hoc apprime procurandum sibi studioseque praemuniendum putabant. Iamvero antestabat atque omnium difficillima videbatur haec adfirmatio, servatorem scilicet esse Chri-

μάλιστα διδασκαλίας δεόμενον, ἐκεῖνο τῶν ἄλλων προυτίθεντο, καὶ κατ' ἐκεῖνο μυσταγωγεῖν τῶν προσιόντων τὸ πλῆθος ἐδοκίμαζον· διὸ καὶ βαπτίζοντες οὐκ εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον ἐβάπτιζον, ἀλλὰ τὸν κύριον Ἰησοῦν ἐπικαλούμενοι, τῷ λουτρῷ τῆς παλιγγενεσίας τῶν μολυσμάτων τοὺς λελουμένους ἐκάθαιρον· ἱερουργοῦντες μὲν τῇ τοῦ διδασκάλου κλήσει καὶ ὀνομασίᾳ τὸ δῶρον· δι' αὐτοῦ δὲ εἰς υἱοθεσίαν τοὺς ἀξιωμένους τῆς καθάρσεως διδάσκοντες καταλέγεσθαι· υἱοὺς δὲ θεοῦ κατὰ χάριν ἐκεῖνον μόνον δύνασθαι ποιεῖν, ᾧ κατὰ φύσιν τε καὶ ἐξ ἀϊδίου τὸ τῆς υἱότητος καὶ θεότητος ἐνυπῆρχεν ἀξίωμα· δι' οὗ καὶ τὸ ὁμογενὲς πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι συνθεωρεῖται καὶ συναναφαίνεται· οἱ τοίνυν τὴν υἱοθεσίαν διὰ τοῦ υἱοῦ πιστεύσαντες δέξασθαι, οὐδ' ὅτι θεός ἐστιν ὁ ταύτην δωρούμενος βραδεῖς ἂν ὀφθεῖεν συγκατατίθεσθαι· οὕτω μὲν οὖν ἐπῆλθε τισὶ τὴν ἀπορίαν ἐπιλύεσθαι.

β. Ἐγὼ δὲ οὐκ εἰμὶ δυνατὸς συνορᾶν πῶς ἄν τις μᾶλλον δι' ἑτέρων ἢ διὰ τούτων ἀντὶ τοῦ λύειν, δεσμὸν ἐπιβάλλειν πειραθείη, οὐκ ἀσθενέστερον τοῦ προτέρου συμπλέκειν τὸ ἄπορον (1)· κατασκευὴ γὰρ μᾶλλον ἂν εἴη τοῦτο καὶ αἰτία τῆς τῶν μαθητῶν διαφωνίας πρὸς τὸν διδάσκαλον· ἡ γὰρ αἰτία τοῦ διαφωνεῖν, οὐ μὲν οὖν οὐκ ἔστι τῆς διαφωνίας ἀναίρεσις, ἀλλὰ καὶ κρίσιν ταύτῃ συν-

stum, praecipueque Dei filium et Deum eiusque mandatis esse obediendum. Quod itaque magis indigum magisterii videbant, id ceteris praevertebant, atque ex huius norma initiandam sacris multitudinem proselytorum existimabant. Quare baptismum haud in patris et filii et spiritus sancti nomine impertiebant, verum domino Iesu invocato, regenerationis lavacro lotos culpis purgabant: administrantes quidem cum Domini invocatione et appellatione sacrum munus, simulque docentes qui digni hac purgatione fuissent, eos per illum adoptionem consequi: quippe filios Dei per gratiam eum tantummodo posse arrogare, cui naturaliter atque ab aeterno filii atque Dei dignitas inest: qua ex re naturae quoque unitas patris et filii ac spiritus sancti conspicitur atque patescit. Iam qui adoptionem se per filium consecutos credebant, eos par erat de eius quoque divinitate, qui id donum contulerat, haud gravate adsentiri. Sic itaque nonnullis visum est controversiam hanc dirimere.

2. Ego vero haud potis sum intelligere, quicquam aptius esse aliud, quod nedum nodum haud expediat, sed potius laqueum iniiciat, et quidem non infirmiorem, eo qui supra memoratus est, ad constringendam controversiae difficultatem. Immo vero demonstratio haec erit atque accusatio dissidentium a magistro discipulorum. Nam causa dissidendi, haud est equidem dissonantiae abrogatio, sed iudicium de re interpositum, et proprii arbitrii do-

(1) Nos Itali dicimus *scusa peggiore della colpa*.

ἅπτειν, καὶ τοῦ δεσποτικοῦ φρονήματος διὰ μελέτης τὸ οἰκεῖον ἀνθαιρεῖσθαι· τί δ' ἂν καὶ ἕτερον τῶν κατεπειγόντων μᾶλλον εἴη τῆς θεολογούσης ἐκφαντορίας καὶ τὸ τῆς τριάδος ὁμοφυὲς καὶ ὁμοδύναμον συνεπτυγμένοις ἀνακαλυπτούσης ὀνόμασι; καὶ τότε μυσταγωγουμένοις οὐκ ἐν ἀρχῇ, οὐ τῶν μαθητῶν ἐν τῷ ἀτελεῖ διακειμένων ἔτι, οὐδὲ τῶν ἑκουσίων καὶ σωτηρίων παθῶν ἐπιτελεῖσθαι μελλόντων, καὶ συσκιάζεσθαι τῷ καιρῷ τῆς ἀκριβείας τῆς ἐν κρίσει διδασκαλίας ἀπαιτούσης· ἀλλὰ μετὰ τὸν σταυρὸν, μετὰ τὴν ταφὴν, μετὰ τὸ σκυλευθῆναι τὰ τοῦ ᾅδου βασίλεια, καὶ δεσμοῖς ἀλύτοις παραδοθῆναι τὸν πολέμιον τοῦ γένους ἡμῶν, ἡνίκα τοῦ τάφου ἀνέστη καὶ τὴν κοινὴν ἀνάστασιν ἐνεκαίνισε, τότε δὴ τότε τὴν ἐξουσίαν ἁπάντων τῶν ἐπιγείων καὶ τῶν οὐρανίων ὁ φύσει ταύτην ἔχων τῇ θεικῇ καὶ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον ἀναδεξάμενος, τότε τὸν βασιλικὸν τοῦτον καὶ σωτήριον νόμον, οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλ' ἐν πλαξὶ κρείττοσιν ἢ μετέχειν ὕλης ἐπιγείου, ταῖς τῶν ἀποστόλων διανοίαις ἐνεχάραξεν· οἱονεὶ προθέματά τινα δι' αὐτῶν καὶ προγράμματα ἀνὰ πᾶσαν ἁπλῶς τὴν οἰκουμένην, καθ' ἃ καὶ μυεῖσθαι καὶ τελειοῦσθαι τοὺς προσιόντας ἔδει τὴν εὐσέβειαν· πορευθέντες γάρ φησι μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίσαντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν (δηλονότι καὶ πρὸ τῶν ἄλλων τὸ νῦν εἰσφερόμενον) πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν.

γ. Τούτου δὴ τοῦ ἱεροῦ καὶ σωτηρίου προστάγματος, τί ἂν εἴη κατεπει-

minicae voluntati praemeditata praelatio. Quaenam autem gravior necessitas est, quam ut sacra scientia manifestetur, atque ut trinitatis natura una visque una coniunctis nominibus reveletur? Et quidem discipuli haud recenter initiati fuerant, neque imperfecta adhuc conditione erant, neque voluntaria servatoris passio non fuerat peracta, neque tegi usque ad tempus idoneum summa controversae doctrinae notitia iam postulabat: sed post crucem, post necem, post sepulturam, post inferorum regnum direptum, post gene[r]is nostri hostem insolubilibus vinculis traditum, postquam Christus sepulcro evaserat, communisque resurrectionis auspicium dederat; tum demum terrestrium omnium atque caelestium potestatem, is qui divina natura iam eam tenebat, humana quoque natura recipiens; tunc, inquam, regalem hanc salutaremque legem haud in tabulis lapideis, sed in aliis terrenae materiae vilitatem excedentibus, nempe in apostolorum mentibus scripsit: edicto veluti quodam atque programmate universo orbi proposito, cuius verbis initiari et consecrari oportebat quicumque ad religionem accederent: nam euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris et filii et sancti spiritus: erudientes ut omnia (nempe in primis quod in praesenti mandaverat) quaecumque praecepi vobis observent.

3. Sane hoc sacro servatoris praecepto quidnam urgentius esse potest?

γον μᾶλλον; τί δὲ κρίσεως ἀνθρωπίνης δεόμεθα, τῆς δεσποτικῆς φωνῆς ἱερολογούσης τὸ δόγμα, καὶ σφραγῖδος πάσης ἀσφαλέστερον τὴν ψῆφον αὐτῷ περιτιθεμένης; καί τοι γε εἰ καὶ ἄμφω τὸ κατεπεῖγον ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ διενείμοντο χρείᾳ, ὅ τε σωτήριος φημὶ νόμος, καὶ τῶν μαθητῶν ἡ γνώμη, οὐδ' ἕτερον διεφέρετο νόημα, οὐδ' οὕτως ἦν ἀνεκτὸν τῆς δεσποτικῆς μυσταγωγίας τὴν ὑπερετοῦσαν γλῶσσαν ἔμπροσθεν ποιεῖν· εἰ δὲ τῇ θέσει τῶν μαθητῶν ἡ τοῦ διδασκάλου ἀναίρεσις ἕπεται, πῶς οὐκ εἰς τόλμαν ἥκει δι' ἧς ὑβρίζεται τῆς συγγνώμης ἡ χάρις; τὴν μὲν δεσποτικὴν κρίσιν μὴ τῶν κατεπειγόντων εἶναι νομίζειν, τὴν δὲ τῶν δούλων ἐπίνοιαν τῶν κατεπειγόντων· καὶ παρορᾶν μὲν οὗ μὴ ἔστι χωρὶς ἀπονοίας ὁμολογεῖν τὴν παρόρασιν, στέργειν δὲ καὶ προτιθέναι, ἧς ἡ κρίσις δίκη τοῦ κρίναντος· ἀλλὰ γὰρ αὐτοί γε περιφανῶς οὕτω τοσαύτης καὶ τηλικαύτης ἐντολῆς ἰσχὺν παρορῶντες καὶ παραβαίνοντες. εἰ ὡς ἀληθῶς ἦσαν τῆς παραβάσεως, πῶς ἂν ἠδύναντο τοὺς τῶν ἱερῶν μαθημάτων ἀκροατὰς παραινεῖν ταῖς δεσποτικαῖς ἐντολαῖς πειθαρχεῖν καὶ καταῤῥυθμίζεσθαι, καὶ τῆς οἰκείας πολιτείας κατὰ ταύτας ποιεῖσθαι τὴν ἐπιμέλειαν; ἴσον γάρ ἐστι διὰ τῆς τῶν ἐντολῶν ἀθετήσεως πειρᾶσθαι φύλακας τῶν προσταγμάτων ποιεῖν, καὶ ἀθετεῖν αὐτοὺς ἀπαιτεῖν τὸ ἐν παραβάσει ἀπαράβατον· οὗ τί ἂν ὁ ἐχθρὸς εὑρήσει μᾶλλον, δι' οὗ καὶ τὴν διδασκαλίαν ἐπαρθήσεται νοθεύειν, καὶ τὴν ἐσχάτην ὕβριν προσάψασθαι τῷ κηρύγματι;

quonam autem iudicio hominum opus est, quandoquidem vox dominica doctrinam hanc tradit, omnique sigillo tutiorem sententiam suam illi circumponit? Atqui si forte lex servatoris et discipulorum opinio formula aliqua necessaria ad par ac simile officium uteretur, neque illae duae sententiae inter se dissiderent, attamen ne tum quidem ferendum videretur, servilem linguam herili de re sacra doctrinae anteponi. Quod si reapse discipulorum decreto magistrale ipsum antiquatur, nonne haec gravis audacia est, quae veniae gratiam contumelia adficit? nempe si iudicium dominicum in rerum necessariarum numero nequaquam habeatur; servorum autem excogitationes in necessariis reputentur: sique negligatur id, cuius neglectum sine vesania fateri non possumus, ametur autem atque anteponatur id, cuius electio damnatio eligentis est. Iam vero discipuli si talis tantique praecepti vim neglexissent ac violavissent, quum se reapse contumaciae eius reos praestitissent, num sacrae doctrinae asseclas hortari poterant ut mandatis dominicis obedirent, ad eaque se conformarent, suamque vitam ex horum praescripto regerent? Nam qui per ipsam praeceptorum violationem, obedientes mandatis homines facere nititur, idem sibi licentiam aufert postulandi ab aliis ne quod iam peccatum fuerit peccent. Quo quidnam opportunius inveniet hostis, unde et magisterium adulterare ausit, et extremam ignominiam evangelio aspergere?

δ. Ταῦτα τοίνυν καὶ πολλὰ τοιαῦθ' ἕτερα διὰ τῶν εὐσεβῶν καὶ ἀδεκάστων προϊόντα λογισμῶν, καὶ τὴν νομισθεῖσαν λύσιν αἰτιώμενα ἄλλην τινὰ θεωρίαν τοῦ ζητήματος ἀνιχνεύειν ὑποτίθεται, δι' ἧς καὶ τὸ τῆς ἀπορίας δυσπρόσοδον ἐπὶ τὸ λεῖον καὶ ὁμαλὸν τῆς καταλήψεως ἀνευρύνεται, καὶ ὁ τῶν διαβουλίων ὄχλος διασκεδασθήσεται· ὅτι μὲν γὰρ τῶν ἱερῶν ἀποστόλων αἱ παναγεῖς καὶ τελεστικαὶ τῆς εὐσεβείας πράξεις ἱερουργοῦσαι τὸ βάπτισμα ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ λέγονται τοῦτο τελεσιουργεῖν, οὐδεὶς τῶν ἀκοὴν ὑγιαίνουσαν ἐχόντων ἀντιλέγειν ὑποστήσεται· τίνα δὲ διάνοιαν τὰ τοιαῦτα ῥήματα καὶ ὀνόματα ἀναπτύσσει καὶ διερμηνεύει, οὐκέτι παντός ἐστι συνιέναι· λέγει μὲν οὖν ὁ κορυφαῖος
Act. II. 38. X. 48. Πέτρος εἰς μετάνοιαν τοὺς ἰουδαίους ἐπαλείφων καὶ συγγνώμην εὐαγγελιζόμενος τῆς μιαιφονίας, βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· καὶ πάλιν ἐκ θείας ἐπιπνοίας τὸν ἑκατόνταρχον βαπτίσασθαι προτραπεὶς, αὐτόν τε Κορνήλιον καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ τῆς παλιγγενεσίας ἀξιοῖ, τὸ δῶρον αὐτοῖς τῆς ἀφέσεως ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου ἱερουργῶν· καὶ κατὰ τὴν Ἔφεσον δὲ ἦσαν μαθηταὶ οἳ μόνον τῷ τοῦ Ἰωάννου βαπτίσματι ἐβαπτίσαντο· οὓς
Act. XVIIII. 5. καὶ ἀκούοντας τοῦ Παύλου διδάσκοντος, ἡ ἱστορία ἀναγράφει ἐπιθέντος αὐτοῖς τοῦ ἀποστόλου τὰς ἱλαστηρίους χεῖρας εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ, τὸ οὐράνιον τῆς υἱοθεσίας δῶρον δέξασθαι, καὶ τῆς ἐπιφοιτήσεως ἀπολαῦσαι τοῦ παναγίου πνεύματος· καὶ μυρία δὲ ἄλλα τοιαῦτα κατὰ τὸν ὅμοιον τῶν ῥημάτων τύπον τοῦ βαπτίσματος ἐξενηνεγμένα ἀναλαιπώρως ἔστι καταλαμβάνειν· πλὴν

4. Hac atque aliae huiusmodi a piis profectae incorruptisque ingeniis contradictiones, quae iustam postulant solutionem, impellunt nos ad indagandam aliam quaestionis explanationem, qua dubii asperitas ad intelligentiae laevitatem atque planitiem dilatetur, et ambiguitatum molestia dispellatur. Profecto quod sancti religionisque suasores divorum apostolorum actus baptismum in Christi nomine administratum dicant, nemo sana audiendi vi praeditus, negare audebit. Verumtamen quinam horum verborum ac nominum sensus significatusque sit, haud aeque omnes intelligunt. Ait igitur princeps apostolorum Petrus dum Iudaeos ad paenitentiam hortaretur, veniamque iis patratae caedis offerret: baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum. Rursumque divino adflatu ad baptizandum centurionem instinctus, Cornelium ipsum et qui cum eo erant regeneratione dignatus est, donum eis remissionis in nomine Domini impertiens. Praeterea Ephesi quidam erant discipuli, qui Iohannis tantum baptismo loti fuerant: atque hi post auditam Pauli praedicationem, quum iis piaculares ab apostolo manus in nomine domini Iesu Christi fuissent impositae, caeleste adoptionis donum exceperunt, et sanctissimi spiritus afflatum experti sunt. Saepenumero alias secundum hanc formulam baptismum administratum haud aegre invenies.

ὡς εἴρηται πολλάκις τὸ πρόχειρον τῆς ἑρμηνείας τῷ βάθει καταδυόμενον τῆς ἱερᾶς διανοίας, ἂν μὴ προσλάβῃ τὴν φιλολογοῦσαν βάσανον καὶ μελέτην. τῆς ἀσαφείας καὶ τῆς κατὰ τὴν ὑπόληψιν στάσεως οὐκ ἐθέλει ἀπαλλάττεσθαι· καὶ γὰρ ἡ κατὰ τὰς φωνὰς ἀδιάκριτος συγκατάθεσις, καὶ ἡ κατὰ τὴν ἀπήχησιν τῶν ῥημάτων παραδοχὴ, ἄλλα τε πολλὰ τῶν ἀτόπων ἐν πολλοῖς πολλάκις ἀπέτεκε· καὶ νῦν ἂν οὐκ εἰς δύο τελετὰς μόνας τὸ φρικτὸν τῆς παλιγγενεσίας διακόψειεν, ἀλλὰ καὶ μυρίας ἄλλας τῇ κατατομῇ προβαινούσας ἐπιδείξει, τὴν πρώτην προσθήκην ἀφορμὴν εὑροῦσα τῶν μετὰ ταύτην· καὶ εἰς πλῆθος ἀπολεπτύνουσα τὸ ἑνιαῖον καὶ ἄτμητον τῆς εὐσεβείας, καὶ τὸ τῆς μυσταγωγίας μονοειδὲς καὶ μονότροπον· ἃς οὐκέτι παραγραφόμενον, οὐδὲ τὴν πρώτην ἐπεισελθοῦσαν, καὶ τὸ προνόμιον τῆς δεσποτικῆς ἐντολῆς νοθεύσασαν, μὴ οὐχὶ συμπαραχαράττεσθαι.

ε. Ὅρα δὲ εἰς πόσα κατατέμνει καὶ καταμερίζει τὸ θεῖον καὶ οὐράνιον χάρισμα τῆς υἱοθεσίας ἡ τῶν ῥημάτων ὡς πολλάκις ἔφημεν ἀβασάνιστος προσοχή, καὶ τὸ μὴ βούλεσθαι πρὸς τὸ βάθος τῆς ἀληθείας καταδύεσθαι· ἡ μὲν γὰρ κατὰ τὴν ὑπόθεσιν τῶν πρὸς τὰς λέξεις κεχηνότων, ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ βαπτίζει, ἄλλη δὲ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου μόνον· τίνι οὖν τῶν εἰρημένων ἐν τῇ τοῦ δώρου τελεσιουργίᾳ χρησόμεθα; οὐκ ἔχουσι γὰρ τὸ παραλλάττον οὐδὲ τὸ προκεκριμένον κεχρῆσθαι τοῖς βουλομένοις αἱ φωναί· καὶ ὁ μίαν τῶν εἰρημένων παραγραφόμενος, ἔδωκεν ὁδὸν δι' ἧς ἕξουσι τὸ κράτος καὶ τῶν ἄλλων αἱ παρα-

Verumtamen, uti iam dictum est, saepe facilis interpretatio in sacrae mentis sinibus condita, nisi eruditum iudicium ac meditationem nanciscatur, neque obscuritate neque apparente repugnantia liberabitur. Namque inconsultus vocibus ipsis adsensus, ac verborum prout sonant admissio, et alias multas multoties absurditates peperit, et nunc etiam non in duos solos ritus verendum regenerationis mysterium divideret, sed alios multos e divisione pullulantes exhiberet: siquidem ex incremento primo originem alia traherent; ita ut in multitudinem diduceretur unica atque individua religio, et uniformis atque unimoda sacrorum institutio: quae rituum varietas minime auferri potest, nisi prima invecta diversitas, quae divini praecepti praerogativam pessumdedit, simul auferatur.

5. Cerne autem sodes quot in partes dividat atque dispertiat divinam caelestemque adoptionis gratiam inconsiderata, ut diximus, verborum observantia, apud eos qui nolunt ad penetrale veritatis permeare. Quippe secundum eorum institutum, qui verba plus aequo suspiciunt, alter quidem ritus in nomine Iesu Christi baptizat, alter tantummodo in nomine Domini. Quamnam igitur ex his formulis in sacri muneris ministratione usurpabimus? Neque enim alternis et pro libito his dictionibus uti licet: et qui alterutram praedictarum abolet, is viam munit ad alias quoque abolitiones constabiliendas. At-

γραφαί· καὶ οὕτω πάσας κατὰ πασῶν παρατάττεσθαι συνελάσουσιν οἶμαι κατὰ τὴν δεσποτικὴν μυσταγωγίαν τελοῦντες τὸ βάπτισμα· καὶ εἰ δέδοται κατὰ τὰς ἐκφωνήσεις τῆς μυστικῆς υἱοθεσίας τὸ μὲν ἀφελεῖν, τὸ δὲ προσθεῖναι, τί κωλύει πάλιν τοὺς βουλομένους καὶ παρὰ τὰς εἰρημένας ἑτέρας ἐπινοεῖν τελετάς; πόσῳ δὲ μᾶλλον ἀντὶ τῶν οὐκ εἰρημένων ἣν ἡ τῆς ἀληθείας αὐτῆς ἀπεθέσπισε γλῶσσα ταύτην κρατύνειν, καὶ κατὰ ταύτην ἐκτελεῖν τὴν παλιγγενεσίαν ὅσιόν τε καὶ αἰτίας πάσης ὑπερανεστηκός;

ϛ. Καὶ οὔπω εἶπον τῶν ἐλέγχων τὸ ἄμαχον ὅτι δώσουσι κἂν μὴ θέλωσιν οἱ τὴν δεσποτικὴν μυσταγωγίαν ἀπ' ἀρχῆς λιπόντες, ἀπείρους τὰς τῆς μιᾶς υἱοθεσίας τελετὰς, καὶ εἰς χλεύην τὸ χάρισμα παρεισήσουσι· βαπτίσουσι δὲ καὶ οὐκέτι τοῦ ἱερέως τὰς θεοπρεπεῖς μυσταγωγοῦντος κλήσεις, ἀλλ' αὐτοῦ γε τοῦ μυουμένου πρὸ τοῦ μυηθῆναι τὴν μυσταγωγὴν πρᾶξιν ἁρπάζοντος, καὶ τότε οὐχ ἑτέρους ἀλλ' ἑαυτὸν καθαίροντος τῷ λουτρῷ τῆς παλιγγενεσίας· καὶ γὰρ ἐν αὐ-
Act. VIIII. 10. 447. ταῖς ἔστι τῶν ἀποστόλων εὑρεῖν ταῖς ἁγιοπρεπέσι πράξεσιν, ὡς τῶν μαθητῶν εἷς ὑπάρχων ὁ Ἀνανίας, καὶ θείας ὄψεως προσταττούσης εἰς τὸν χορὸν τῶν ἀποστόλων συναγαγεῖν τὸν διώκτην καὶ δεινὸν πολέμιον τῆς εὐσεβείας τὸν οὔπω Παῦλον γεγονότα, ἡνίκα καὶ τὸ σωματικὸν σκότος τῶν ὄψεων τῇ τῆς χειρὸς ἀφῇ ὁ μυσταγωγὸς τοῦ μυουμένου παρεῖλε, τότε δὴ τότε ὁ Ἀνανίας πρὸς τὸν ἐκ σκότους εἰς τὸ φῶς καὶ τὸν νοῦν καὶ τὰς ὄψεις μεταβεβλημένον, καὶ νῦν φησὶ τί μέλλεις; ἀναστὰς, βάπτισαι καὶ ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας σου ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνο-

que ita ritus cunctos inter se quasi proelio committent ii qui baptismum ex dominica institutione celebrant. Quod si in mysticae adoptionis formulis libera sit facultas hoc auferendi, illud adiiciendi; quis iam impediat, quominus alii alias, praeter dictas, excogitent initiationes? Quanto igitur iustius atque extra omnem controversiam est, eam stabiliter prae arbitrariis formulam retinere, quam ipsius veritatis lingua pronunciavit, atque huius verbis regenerationem peragere?

6. Nondum tamen invictam protuli opinionis huius refutationem; nempe quod qui dominicum initiationis ritum deserere coeperint, ii vel inviti innumerabiles unius adoptionis rationes procudent, gratiamque hanc ludibrio obiicient. Baptizabunt enim haud iam sacerdote divinas praeeunte invocationes verum ipso neophyto, antequam initietur, mystagogicum actum sibi vindicante: ita ut haud alios sed ipse se lavacro regenerationis expiet. Etenim in sanctis ipsis apostolorum actibus Ananias ex discipulis unus, caelesti viso iussus in apostolorum coetum adscribere persecutorem illum acremque religionis hostem, nondum Paulum effectum; postea quam corporeas tenebras manu imposita initiator initiato eripuit, tunc demum Ananias homini, qui mentis simul et oculorum visum receperat, quid moraris ait? surge, bapti-

μα τοῦ κυρίου· σὺ ἐπικαλεσάμενος, ἀλλ' οὐχὶ τινὸς ἑτέρου μυοῦντος οὐδὲ ἐπᾴδοντος τὰς θεολόγους κλήσεις· τί λέγεις, ὁ μυούμενος πρὶν ἢ τυχεῖν τῆς μυήσεως ἐμυσταγώγει; ὁ τῆς παλιγγενεσίας δεόμενος, αὐτὸς ἐνήργει τὴν παλιγγενεσίαν; ὁ ταῖς ἱερέως χερσὶ καὶ χείλεσι τελειούμενος, αὐτὸς τὸ ἐκείνου ἁρπάζων ἀξίωμα ἑαυτῷ τὴν τελειότητα περιτίθησι; τὸ γὰρ τοῦ γράμματος ἐπιπόλαιον, ᾧ πεποιθότες τὴν δεσποτικὴν ἐντολὴν παραγράφονται, τοῦτο νομίζειν αὐτοὺς καὶ μὴ βουλομένους ἀπαιτεῖ· τρόπος οὖν οὗτος ἄλλος μυήσεως μηδε νὶ τῶν προειρημένων συμφερόμενος· ὅταν δὲ ὁ κορυφαῖος τὰς καθολικὰς παρ- I. Petr. III. 21.
αινέσεις γράφων τοῖς τῶν ἰουδαίων ἐν διασπορᾷ, τῷ δρόμῳ τῆς γλώττης καὶ τῷ τάχει τῆς γραφῆς χερσὶν ἀμφοῖν καθυπάτευε (a), τὸ βάπτισμα συνειδήσεως ἀπεθέσπισεν ἀγαθῆς, οὐκ ἐκ τρίποδος χρώμενος μαντικοῦ, ἀλλ' ἐκ θεολήπτου ψυχῆς ἱερολογῶν· ἀλλ' ἆρα οὐχὶ σὺ πάλιν ἁρπάσαις τὴν λέξιν, καὶ μυσταγωγίας ἑτέρας εἰσήγησιν οὐκ ἀνακηρύξαις, καὶ λουτρὸν ἐγκαινίζειν ἁμαρτημάτων καθάρσιον, οὐκ ἐπ' ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ τελούμενον, οὐδὲ κατ' ἄλλον τινὰ τῶν εἰρημένων λόγον μυσταγωγούμενον, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς θεὸν ὑπάρχον ἐπερώτημα; ὁρᾷς ὅσοις ἀτόποις ἑαυτοὺς ἐκδιδόασιν, οἷς ἡ τῶν ὀνομάτων ἀβασάνιστος προφορὰ τῆς ἐν τοῖς πράγμασιν ἀληθείας προτετίμηται; ἀλλὰ τί φημι καὶ ἕτερόν τι τῶν εἰρημένων οὐδενὸς ἀνεπαχθέστερον, ἵνα μὴ λέγω πάντων βαρύτερον; ἡ τοῦ πνεύματος μεγαλόφωνος σάλπιγξ Παῦλος ὁ Rom. VI. 3.

zare, et tuas culpas elue, nomen Domini invocans: tu, inquam, ipse invocans, non alius initians neque divinas invocationes praecinens. Quid ais? tyro nondum initiatus, iam tamen mystagogus erat? regenerationis indigus, auctor fiebat regenerationis? qui sacerdotis manibus labiisque initiandus erat, ipse huius dignitatem invadens, consecrationem sibimet circumponebat? Nam litterae superficies, qua freti dominicum praeceptum abrogant, sic eos statuere, etsi praeter voluntatem, cogit. Alius igitur hic est initiationis ritus, nullique superiorum similis. Quid vero cum princeps apostolorum generales adhortationes dispersis Iudaeis scribens, linguae cursu scripturaeque celeritate manibus scilicet ambabus gubernans, baptismum conscientiae bonae nunciarit, haud sane fatidico insistens tripodi, sed adflato divinitus animo loquens? nonne tu hac protinus dictione arrepta, consecrationis alterius inventionem praedicabis, novum nempe lavacrum peccata expians, neque id in domini Iesu nomine peragendum, neque alio quovis praedictorum modorum concelebrandum, sed quod conscientiae bonae in Deum interrogatio sit? Hem quantis se absurditatibus implicant hi, qui inconsultam verborum pronunciationem veritati rerum anteponunt! Cur porro iam memorem exemplum aliud minus molestum, ne dicam omnium gravissimum? Clarissima sancti spiritus

(a) Eleganter hoc utitur Photius ignoto nostris fortasse lexicographis consulari verbo: quia sermo est de ecclesiae supremo gubernatore Petro, quasi christianae reip. consule.

μετάρσιος ἄνθρωπος μέγα καὶ περιφανὲς ἀπεσάλπισεν, ὡς εἰς τὸν θάνατον χριστοῦ ἡμεῖς ἐβαπτίσθημεν· ἀκούεις ἄνθρωπε, ἀλλὰ προεῖπεν αὐτὸς, ὅσοι εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθημεν· οὐκοῦν ἅμα δύο μυσταγωγίαι κατὰ τὴν ὑπόθεσιν τῶν ἀδιακρίτως κεχρῆσθαι δογματιζόντων τοῖς ὀνόμασι.

ζ. Τί οὖν δεῖ λέγειν; ἡ γὰρ τῶν ἐλέγχων ἀδέκαστος συνεξέτασις, οὐκ ἐκείνους μόνους ἐξελέγχειν ἔσχε τὸ ἀπαράγραπτον, οἳ διαφόρους μυσταγωγίας παρὰ τὴν δεσποτικὴν τερατολογοῦσι τοὺς μαθητὰς ἐπιδείξασθαι, ἀλλά γε δοκεῖ παρενείρειν ὅλως τῆς δεσποτικῆς ἱερολογίας προκειμένης ἑτέρας φωνὰς, αἳ μὴ κατὰ πάντα πρὸς αὐτὴν τὸ ἀπαράλλακτον διασώζουσιν (a) ἀποφαίνειν οὐκ ἀναίτιον· τὸ δὲ, οὐδὲν τοιοῦτόν ἐστιν· οὐ γὰρ ἀντινομοθετοῦσι πράττειν παρὰ τὸν ἐκείνης ὅρον καὶ τὸ θέσπισμα, οὐδ' εἰς ἑαυτὰς περιιστῶσι τὸ ταύτης προνόμιον, εἰς αὐτὴν δὲ μόνην ἀναφέρουσι τὸν τῆς παλιγγενεσίας λόγον, καὶ ταύτην ἐν τῇ ποικιλίᾳ τῶν ὀνομάτων διασημαίνουσί τε καὶ ἀπαγγέλλουσι· τί οὖν δεῖ λέγειν; τί δὲ ἄλλο παρ' ὃ εἴρηται; καὶ παραδειγματικῶς εἰπεῖν ὅτι πάντα ὅσα τὴν παλιγγενεσίαν ἐπισημαίνονται, οἷον λαμπάδες εἰσὶ τινὲς φωταυγοῦσαι, καὶ πρὸς τὸ θεῖον καὶ πηγαῖον ἐκεῖνο καὶ ἀκήρατον καὶ ἀένναον ἀναχεόμεναι· οὐ μὴν αὗταί γε εἰσὶ τὸ καθάρσιον πῦρ, οὐδὲ κατὰ ταύτας τελεσιουργεῖται ἡ ἀναγέννησις· ἀλλ' ἓν μέν ἐστιν ἐκεῖνο τὸ τὴν ὑπὲρ λόγον χάριν καὶ υἱοθεσίαν χαριζόμε-

tuba Paulus, ille mortalis adhuc in caelum sublatus, valide perspicueque personuit, nos in Christi morte fuisse baptizatos. Audin homo? Atqui idem Paulus antea dixerat, quotquot in Christo baptizati sumus. Ergo duae iam sunt initiandi formulae, secundum eorum opinionem qui sine iudicio ullo vocabulis utendum esse pronunciant.

7. Quid ergo dicendum est? Profecto harum convictionum aequa consideratio non solum coarguit eorum hominum indefinitam rationem, qui varias praeter dominicam initiandi formulas a discipulis traditas incredibiliter fingunt; sed eadem quoque videtur inserere dominico effato alias voces, quas indifferentiam erga illud haud satis tueri, non absurde causari licet. Atqui revera negotium non ita se habet: non enim voces illae quicquam fieri statuunt, praeter dominicae locutionis terminos atque oraculum; neque sibi praerogativam huius vindicant; sed ipsae potius ad praedictam illam regenerationis formulam referuntur, atque eandem tota suorum varietate verborum significant ac designant. Quid igitur dicendum est? quid, inquam, aliud praeter id quod iam dictum est? nimirum generali notione dicendum est, omnia quae regenerationem significant nomina, vice fungi facularum quarumdam lucentium, quae in divinum illum et originalem et immortalem ac perennem ignem refunduntur. Neque sane ipsae ignis ille purgatorius sunt, neque per ipsas regeneratio fit:

(a) Num scribendum ὡς — διασώζειν ?

νον, ἐκεῖνα δὲ τοῦτο παραδηλοῦσι· τὰ μὲν σαφέστερον, τὰ δὲ αἰνιγματικώτερον καὶ τὴν αὐτὴν ἡμῖν καὶ μίαν μυσταγωγίαν μυστικῶς τε καὶ συνεπτυγμένως ὑποσημαίνονται· ὡς γὰρ τοῖς μὲν φιλοθεάμοσι καὶ νοῦν ὀνομάτων καὶ ῥημάτων κατανοεῖν χάριν παρὰ τοῦ πνεύματος εἰληφόσιν, ἕκαστον τῶν ἀνὰ μέρος εἰρημένων τὸ εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον ἀπαγγέλλουσι βάπτισμα· τοῖς δὲ μέχρι τῆς πύλης τῶν ἀκοῶν τὸν ἦχον παραδεχομένοις τοῦ ῥήματος, τὸ δ' ἔνδον κωφὸν προϊεμένοις κριτήριον, μυρίοις ἂν εἴη περιπταίειν τοῖς παραπτώμασιν.

η'. Οὐκ ἐπὶ μόνης δὲ τῆς παρούσης ὑποθέσεως ψιλαῖς ταῖς λέξεσι πολλοὶ τῶν πραγμάτων ἀποστάντες προσεκάθηνται· ἀλλὰ καὶ ἐπὶ μυρίων ἄλλων, δι' ὧν τὰ αἱρετικὰ τῆς ἐκκλησίας παραφύεται ζιζάνια, καρπὸν μὲν οὐδένα τρόφιμον γεωργεῖ, δηλητηριώδη δὲ βλαστάνει φάρμακα· ἀλλ' οὐχ οὕτως ἡ εὐσέβεια, πανταχοῦ δὲ μᾶλλον τοῦ πνεύματος ἢ τοῦ γράμματος γινομένη, καὶ τὸν καρπὸν τῆς εὐσεβείας τρυγᾷ, καὶ τροφῆς ἀπολαύει, οὐδεμιᾶς ἐπιγνυμένης αὐτῇ δρακοντείας ἐπισπορᾶς, ἀλλ' οὐδὲ ἴχνος οὐδὲν ὑποφαινούσης τοῦ παλαιοῦ ὄφεως· ἐπεὶ πῶς ἂν εἴη λέγειν ὡς τὸ εἰς χριστὸν βαπτίζειν, ἕτερος νόμος βαπτίσματος; πῶς δ' ἄλλος τὸ εἰς τὸν τοῦ χριστοῦ βαπτίζειν θάνατον; εἰ γὰρ τῆς μυσταγωγίας νόμος ἦν τούτων ἑκάτερον, ἀλλήλοις ἀντενομοθέτουν ἄν· καὶ δι' ὧν τις ἀνατρίπειν ἐπιχειρεῖ θάτερον, τὸ λοιπὸν συνανέτρεπεν. ὡσαύτως δὲ καὶ εἰ νόμων εἰσφορᾶς προνόμιον εἶχον τὰ τοιαῦτα, οὐκ ἀλόγως ἂν καὶ ἡ δεσποτικὴ μυσταγω-

nam unus est qui inenarrabilem gratiam atque adoptionem confert ignis, illae autem faculae hunc ostendunt, aliae quidem clarius, aliae paulo obscurius, ita tamen ut unam eandemque initiationem mystice atque arcane nobis significent. Profecto considerandi studiosis, atque iis qui ad cognoscendum nominum verborumque sensum gratia spiritus adiuvantur, cuncta quae supra singillatim dicta fuere, baptismum in patre et filio et spiritu sancto praedicant. Verum ii qui in aurium tantummodo limine vocabuli sonum excipiunt, caeco autem interiore iudicio utuntur, innumeris circumferri erroribus solent.

8. Neque in hoc solum, quod nunc versamus, proposito multi re omissa nudis vocibus haerent: verum etiam aliâs saepissime: quo fit ut haeretica exoriantur zizania, quae nullum utilem fructum adferunt, immo vero exitialia venena generant. Aliter se gerit pietas, quae sane ubique spiritum potius quam litteram consectatur, et religionis fructum percipit, eiusque alimonia fruitur, sine ulla serpentini seminis insitione, immo draconis veteris ne vestigio quidem usquam obvio. Nam cur dicere liceat, baptizare in Christo, aliam esse legem baptismi? item cur alia lex sit, baptizare in Christi morte? Nam si utraque locutio lex initiandi est, profecto leges invicem repugnant. Porro quibus argumentis alterutram convellere machinaberis, iisdem reliquam simul evertes. Similiter si hae locutiones vim latae legis haberent,

γία εἰς τὸ περιττόν τι καὶ ἄχρηστον παρεδύετο· κἀκείνη πάλιν τούτων ἁπάντων εἰσηγεῖτο μετὰ λαμπροτέρας τῆς ἰσχύος καὶ τοῦ ἀξιώματος τὴν ἀναίρεσιν· οὐκοῦν καὶ ἀπὸ τῶν ἄλληλα τῶν πολλάκις εἰρημένων ῥημάτων ἀποσκευάζεσθαι· ἀλλὰ τί ποτε ἦν ὃ λέγει, ἢ ὅτι διὰ τοῦτο μὴ προηγούμενον ἔργον ἐθέμην τὸ
1. Cor. I. 15. βάπτισμα; ἵνα μὴ τῷ πλήθει τῶν βαπτιζομένων, δόξαν ἐμαυτῷ περιάπτειν τοῖς βασκάνοις λέγειν, καὶ τὰ κάλλιστα τῷ φθόνῳ βάλλειν βίον ποιουμένοις, πρόφασιν ἐπὶ διαβολῇ παρέξω, καὶ τὴν σωτηρίαν τῶν ἀναγεννωμένων καπηλεύειν, ἐπαίνοις ἰδίοις τὸ δῶρον τοῦ πνεύματος ἐνυβρίζων· καὶ δι' ἄλλων δὲ μυρίων ἔστι συνιδεῖν, ὡς ἡ δόξα καὶ ὁ ἔπαινος καὶ ἡ τιμὴ σημαίνεται τῷ ὀνόματι.

θ. Καὶ δὴ διὰ τούτων ἡ τοιαύτη θεωρία, καὶ ἐπ' αὐτὰ τὰ καθέκαστα τῶν ὀνομάτων διαβαίνει· ἃ δὴ τὸν διαφορισμὸν καὶ τὴν διαστολὴν ποιεῖται τῶν προσώπων· καὶ νῦν μὲν μίμησίν τινα καὶ ὁμοίωσιν τοῦ κατάρξαντος προσώπου πράξεώς τινος μεγαλοπρεποῦς ἀπαγγέλλει· νῦν δὲ φυλακὴν καὶ συντήρησιν τῶν παραγγελ-
1. Cor. X. 2. μάτων ὑπογράφει· ταύτῃ γὰρ καὶ εἰς τὸν Μωσῆν οἱ ἰσραηλῖται βαπτίσασθαι (1) λέγονται· οἷον ἐκεῖνον μιμούμενοι τὴν ὑγρὰν φύσιν πεζοποροῦντες ποσὶν ἀβρόχοις διέβησαν· καὶ τῆς πράξεως ἡγεμόνα ποιησάμενοι, καὶ πρὸς αὐτὸν ὁρᾶν ὅλην τὴν ἐλπίδα ἀναθέμενοι, τῶν αἰγυπτίων τῆς ἐπιβουλῆς ὤφθησαν κρείττους· καὶ οἷς αὐτοὶ ῥεέθροις οὐδὲ τοὺς πόδας ἐνοτίζοντο, τούτοις ὑποβρυχίους γινομένους τοὺς

illa iam dominico ore pronunciata initiandi formula non immerito videretur inutilis ac supervacanea: vel potius haec ipsa praedictarum omnium pro sua luculentiore vi ac dignitate abrogationem inveheret. Quare formulae iam saepe memoratae invicem expungerent. Quid autem Pauli illud dictum? se nimirum haud praecipuam dedisse operam ut baptizaret: ne, inquit, multitudine baptizatorum gloriam mihimet me quaerere dicerent invidi: neve iis calumniandi ansam praeberem, qui optima quaeque livore suo insectari solent: atque ita salutem renatorum lucro haberem, dum laudibus propriis adversus spiritus donum iniurius fierem. Demum ex innumeris aliis locis cognoscere possumus, gloriam et laudem et honorem vocabulo *nomen* significari.

9. Quin adeo doctrina huiusmodi per singula nomina hoc pacto deducitur. Etenim nomina apprime quidem personarum discrimen distinctionemque efficiunt: et modo quidem imitationem quandam similitudinemque denotant personae alicuius, quae facinus illustre adgreditur; modo autem mandatorum curam atque observantiam significant. Sic enim et Israëlitae in Mose baptizati dicuntur: quippe qui huius exemplo humidum elementum siccis pedibus permearunt: quem dum sequuntur ducem, dumque in eius respectu spem omnem collocant, Aegyptiorum laqueis evaserunt: et quibus ipsi fluctibus

(1) In concilio generali quinto ed. Colet. T. IX. p. 209. quidam reprehendit Theodorum mopsuestenum quia locutionem *baptizari in nomine Christi* comparaverat cum hac *baptizari in Mose*.

διώκτας ἔβλεπον· καὶ διπλαῖς εὐφροσύναις ἐνετρύφων, τῆς τε τῶν ἐχθρῶν παραδόξου πανωλεθρίας, καὶ τῆς ἰδίας ὑπὲρ λόγον σωτηρίας· τοιαύτης τινὸς ἀκολουθίας ἔχεται, καὶ ὅπερ τῆς οἰκουμένης ὁ διδάσκαλος φησίν· ὅσοι εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθημεν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν· διὰ μὲν γὰρ τοῦ εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθημεν, τὸ κατὰ τὴν ἐκείνου μυσταγωγίαν καὶ τὴν παραδεδομένην τελετὴν ἀπαγγέλλει καὶ ἡμᾶς τὴν ἀναγέννησιν ἐπιτελεῖν· διὰ δὲ τοῦ εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ, οὐχ ὅτι τὸ λουτρὸν τῆς παλιγγενεσίας τῇ τοῦ δεσποτικοῦ θανάτου ἐπικλήσει τελεσιουργοῦμεν· μὴ γένοιτο· Εὐνομίῳ γὰρ τῷ ἀνομοίῳ τὸ τοιοῦτον ἐτολμήθη παρανόμημα (1)· ἀλλ' ὅτι οἱ βαπτιζόμενοι εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὡς ἐν ἱεροῖς συμβόλοις καὶ κρυφιομύστοις αἰνίγμασι τὸν τοῦ σωτῆρος ἐκμιμοῦνται θάνατον, καὶ ὑπογράφουσι καὶ διατυποῦσιν ἅπερ ἑκὼν ἐκεῖνος ὑπέμεινε· τὴν μὲν τριήμερον ἐν τῷ ᾅδῃ διατριβὴν ἐξεικονίζοντες τῇ τριπλῇ καταδύσει· τῇ δὲ ἴσῃ πάλιν ἀναδύσει, τὴν τριήμερον ἀνάστασιν, δι' ἣν καὶ ἡ ἀποκατάστασις ἡμῖν τοῦ παλαιωθέντος Ἀδὰμ καὶ ὁ ἀνακαινισμὸς συνεξεικονίζεται· ἐπεὶ δὲ αὐτὸ τὸ εἰς χριστὸν βαπτίζεσθαι, καὶ τὸ εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ, καὶ εἰς ἓν σῶμα, καὶ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ χριστοῦ, καὶ τὰ τοιαῦτα, τῷ μὲν σχήματι τῶν ὀνομάτων καὶ ῥημάτων οὐδὲν ἐπιδείκνυται μέγα παραλλάττοντα· ἐν δὲ τῇ σημασίᾳ τοῦ νοήματος, καὶ διακρίσει καὶ ἀπαγγελίᾳ τοῦ πράγματος, μεγίστην ὅσην τὴν διαφορὰν ἐμφανίζουσιν.

ne pedum quidem tenus humectati sunt, iisdem obrutos persecutores suos viderunt: duplicique gaudio elati sunt, nempe et hostium insperato exitio, et suae salutis miraculo. In hanc ferme sententiam conspirant etiam quae mundi doctor ait: quotquot in Christo baptizati fuimus, in eius morte sumus baptizati. Nam verbis *in Christo baptizati sumus*, utique docet, iuxta illius ritum mandatamque initiandi formulam, a nobis fieri regenerationem. Verbis autem *in eius morte*, haud sane ait nos lotionem regenerationis cum dominicae mortis invocatione peragere; quod absit: namque anomoeus Eunomius hoc crimen ausus fuit: sed ait baptizatos in nomine patris et filii et spiritus sancti, quasi sacris symbolis arcanisque mysteriis dominicum obitum imitari; atque oculis subiicere et deformare quae ille sponte perpessus est: scilicet triduanam apud inferos moram triplici mersione repraesentare: rursusque totidem emersionibus resurrectionem tertia die peractam; cuius beneficio redintegratio nobis veteris Adami renovatioque conficitur. Siquidem et locutiones in Christo baptizari, et in morte eius, et in uno corpore, et in nomine Christi, et aliae huiusmodi, quod quidem adtinet ad nominum verborumque figuram, haud magnopere discrepare inter se videntur; verumta-

(1) Veterum auctorum testimonia, qui huius criminis Eunomium postulaverunt, profert Ursus cardin. in dissert. de baptismo in Christi nomine part. II. p. 64. sqq. Legatur etiam Harduinus in dissertatione item de baptismo in Ch. nom. thesaur. theolog. tom. X. part. I. p. 104.

1. Ὅτι μέν τοι τὸ ὄνομα καὶ τρόπον ἄλλον τὴν τοῦ κηρύγματος δύναμιν ἀπαγγέλλει (1), ὁ τοῦ Παύλου μυσταγωγὸς Ἀνανίας, ἡνίκα φόβῳ τοῦ παθεῖν ἅπερ ἦν εἰκὸς ὑπονοεῖν τὸν Σαῦλον ποιεῖν, σαφῶς παριστᾷ· πρὸς γὰρ τὸν χρηματίζοντα αὐτῷ μυσταγωγῆσαι τὸν διώκοντα, κύριε ἀκήκοα φησὶν ἀπὸ πολλῶν περὶ τοῦ ἀνδρὸς τούτου ὅσα κακὰ ἐποίησε τοῖς ἁγίοις σου ἐν Ἱερουσαλήμ· εἶτα καὶ ὧδε ἔχει ἐξουσίαν παρὰ τῶν ἀρχιερέων δῆσαι πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου· καί τοι τῶν πιστῶν οὐκ ἦν ἔργον οὐδὲ σπούδασμα οὐδενὶ ψιλὸν τὸ τοῦ χριστοῦ ὄνομα ἀναβοᾷν· οὐδὲ χωρὶς τῆς δογματικῆς ὀρθότητος καὶ τῆς πίστεως ἣν ἐκεῖνος ἐμυσταγώγησε, τὴν κλῆσιν ἀπαγγελίαν διὰ τῶν χειλέων ποιεῖν· ἀλλά γε νῦν ἐπικαλουμένους ἐκείνους τὸ ὄνομα λέγει τοῦ χριστοῦ, ὅσους ἡ εἰς αὐτὸν ἐκόσμει πίστις, καὶ τῆς κατ' αὐτὸν μυσταγωγίας ἐκεῖνων ὁρᾷν ἐραστὰς, καὶ τῆς εὐσεβείας ἀγὼν αὐτοῖς ἡ ἀκρίβεια· τί γὰρ τοῦτο ἄλλο ἦν, ἢ τὸ φρονεῖν καὶ κηρύττειν υἱὸν μὲν τοῦ θεοῦ τὸν σωτῆρα εἶναι, καὶ τῷ πατρὶ ὁμοούσιον; ἐγὼ γάρ φησι καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν· καὶ μὴν καὶ τὸ πανάγιον πνεῦμα ὡς ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον (2), καὶ τῆς αὐτοῦ δόξης τε καὶ θεότητος οὐκ ἀλλοτριούμενον· τὸ

Ioh. X. 30.

men sententiae vi, et ipsius rei definitione ac notatione, mirum quantum inter se differunt.

10. Quod autem alio etiam sensu nomen significet praedicationis vim, Pauli initiator Ananias manifeste docuit, quum ea se passurum timeret quae non temere ex Saulo expectanda erant. Divino enim recepto oraculo ut persecutorem sacris imbueret; audivi, inquit, Domine a multis de viro hoc, quanta is mala sanctis tuis intulerit in urbe Hierosolymis. Tum addidit: et quidem huc etiam accepta a sacerdotibus potestate venit vinciendi omnes qui hoc nomen invocant. Atqui fidelium nemini negotium studiumque erat, ut nudum Christi nomen inclamaret, neque ut absque dogmatum rectitudine traditaque ab illo fide, hanc labiorum tenus invocationem, salutiferi nuncii loco haberet. Sed reapse nomen Christi invocantes dicit illos, quos fides in eum ornabat, et qui evangelicorum sacrorum studium prae se ferebant, quique ad pietatem summo conatu enitebantur. Hoc autem quid aliud erat praeter quam credere ac praedicare servatorem nostrum Dei esse filium, patrique consubstantialem? (ego enim, inquit, et pater unum sumus) nec non sanctum spiritum a patre procedentem, atque ab eius gloria ac divinitate mi-

(1) Sic v. gr. apud Livium *nomen latinum* pro *latina rep. seu potentia*.

(2) Dum spiritum *a patre* procedere ait, neque *a filio* addit, oblique saltem heic quoque errorem suum de filii a solo patre processione Photius prodit, quem alibi plurimis verbis inculcat, nempe ep. II, seu libello encyclico. Legenda vero sunt quae Montacutius copiose disputat contra illam Photii epistolam, nec non cl. A. Schottus ad amphiloch. quaest. XXVIII. Et quidem res satis ventilata fuit in florentino concilio, et a catholicis passim theologis; quos inter vide certe Allatium.

γὰρ κατὰ φύσιν μᾶλλον δὲ ὑπερφυεστάτῳ καὶ ἀφράστῳ λόγῳ τῆς πατρικῆς οὐσίας προϊὸν, τοῦ προβαλλομένου τὴν δόξαν καὶ τὴν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν ἐν ἑαυτῷ φέρειν οἶδε, καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς ὑπὲρ λόγον οὐσίας ἀπαραχάρακτον συντηρεῖν· δῆλον δὲ ὅτι καὶ ὁ υἱὸς ἀπαύγασμα ὢν τοῦ πατρὸς, ἅπαντα φέρειν ἐν ἑαυτῷ ὅσα γεννῶν ὁ πατὴρ ταῖς ἀκτῖσι τῆς θεότητος τὴν μορφὴν ὡράϊζε τοῦ γεννήματος, καὶ τὸ συγγενὲς ἀνεκήρυττε· τῇ τοιαύτῃ τοίνυν θεολόγῳ μυσταγωγίᾳ τῶν πιστευόντων ἐτελεῖτο τὰ πλήθη· καὶ δικαίως ἂν λέγοιντο τὸ ὄνομα τοῦ σωτῆρος ἐπικαλεῖσθαι, διότι τοῦ δόγματος οὗ διδάσκαλος ἐχρημάτιζεν, αὐτοὶ διέσωζον τὴν ὀρθότητα.

ια. Οὐδὲν δὲ ἧττον προϊὼν ὁ λόγος καὶ δι' ἑτέρων παραστήσει τῆς τοιαύτης δόξης τὸ ἀκόλουθον· λέγει γὰρ ὁ χρηματίζων τῆς πολλῆς ἀγωνίας καὶ τοῦ δέους ἀνακαλούμενος τὸν μυσταγωγὸν τοῦ Παύλου, ὅτι περ ὃν τέθηπας καὶ δέδοικας ὡς πολέμιον τοῦ σωτηρίου κηρύγματος, οὗτος μοι σκεῦος ἐστὶν ἐκλογῆς· εἰς τὸ βαστάσαι τὸ ὄνομά μου ἐνώπιον ἐθνῶν τε καὶ βασιλέων υἱῶν τε Ἰσραήλ· ἀντὶ τοῦ, οὐ μόνον αὐτὸς τῶν ἐχθρῶν τῆς φάλαγγος ἀπεπήδησεν, ἀλλὰ καὶ προασπιστὴς τῆς πολεμουμένης εὐσεβείας ἀναδειχθήσεται· καὶ γὰρ ὑπὸ τῶν δυσσεβούντων πολιορκούμενόν τε καὶ κατασειόμενον, αὐτὸς ἀναβαστάσει καὶ ὑποστηρίξει καὶ ἀκράδαντον παραστήσει τὸ θεοσεβὲς κήρυγμα· τοῦτο γὰρ ἐνταῦθα ἡ τοῦ ὀνόματος ἀπαγγέλλει δύναμις, τὴν ἀληθῆ πίστιν, τὸ τῆς εὐσεβείας φρόνημα,

nime alienum? Nam qui naturaliter, immo vero supernaturali maxime et inenarrabili ratione a paterna substantia procedit, hunc oportet producentis gloriam et potestatem et vim secum deferre, atque inlibatum inenarrabilis substantiae characterem retinere. Constat insuper, filium qui patris splendor est, omnia secum ferre quibus gignens pater per radios divinitatis formam geniti convenustavit, coniunctamque naturam patefecit. Hac igitur theologica initiatione multitudo credentium imbuebatur. Iure autem servatoris nomen dicuntur invocavisse, quia doctrinae, cuius ipse antecessor erat, rationem veram hi retinebant.

11. Sed enim progrediens sermo aliis quoque argumentis sententiae huius probabilitatem adstruet. Quippe Christi oraculum, ut a metu atque consternatione initiatorem Pauli revocet; quem exhorres, ait, ac veluti inimicum salutaris praedicationis extimescis, is est mihi vas electionis. Addit: ut portet nomen meum coram gentibus et regibus atque Israëlis filiis. Nempe dicit non solum ab hostili exercitu eum transfugisse, verum etiam in prima acie vexatae fidei propugnatorem versari. Divinam, inquit, praedicationem ab impiis oppugnatam atque concussam sustinebit ipse atque firmabit immotamque statuet. Ita videlicet hoc loco vocabulum *nomen* sonat veram fidem, piam sententiam, divinae doctrinae praedicationem, verbi incarnati mysterium.

τῆς θεολογίας τὸ κήρυγμα, τῆς τοῦ λόγου σαρκώσεως τὸ μυστήριον· ἐπεὶ τί Matth. VIII. 29. χαλεπὸν ἦν, τίνων δὲ στηριγμάτων δεόμενον, ἁπλῶς οὕτως καὶ μιᾷ φωνῇ προσαγορεύειν τὸν κύριον; καὶ αὐτῶν ἐνίοτε τῶν δαιμονίων ἀναβοωμένων καὶ μετὰ προσθήκης τινὸς τὸ δεσποτικὸν ὄνομα· ἀλλὰ δῆλον ὡς νῦν ὄνομα, τὸ διὰ Παύλου καταγγελλόμενον κήρυγμα λέγει, καὶ τὸ πρὸς θεὸν ἀναφερόμενον σέβας, ὑπὲρ οὗ μυρίους καθ' ἑκάστην θανάτους ὁ πρὶν διώκτης ἡδέως ἔφερε, διδάσκων, παραινῶν, μυσταγωγῶν, κηρύσσων τὴν πίστιν, καθ' ἣν αὐτῷ μυσταγωγίαν ὁ σωτὴρ ἀπεκάλυψεν· ἐγὼ γάρ φησιν ὑποδείξω αὐτῷ ὅσα δεῖ αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου παθεῖν.

16. Καὶ ὅρα συνεχὴς ἡ χρῆσις τοῦ ὀνόματος· διὰ τί; ἵνα ἡ ἐπιμονὴ τῆς φωνῆς τὸ αὐτὸ πρᾶγμα πολλάκις σημαίνουσά τε καὶ κατάδηλον ποιουμένη, ὥσπερ διὰ τῆς ἀκοῆς ἐντυπώσειε τοῖς λογισμοῖς τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, καὶ οἷα βασιλικὸν ἐκσφράγισμα ταῖς διανοίαις τοῦτο φέροντες καὶ πρὸς αὐτὸ ἀφορῶντες, μὴ πρὸς πολλὰς εἰημένας ὁδοὺς διαφόροις φωναῖς σχηματιζομένας ἐκτρεπόμενοι· ὑπὲρ τοῦ μυστηρίου τούτου καὶ τῆς περὶ τὴν πίστιν ἀκριβείας ὁ Παῦλος ἔπασχε τὰ ἀνήκεστα· οὐ γὰρ περὶ ὀνόματος ψιλοῦ, οὐδὲ συλλαβῶν βραχείᾳ συνθέσει, τὸ φρικτὸν καὶ μέγα τῆς πίστεως περιγράφοντος· διὸ καὶ ἀκούειν ἔξεστι τῶν ἱερῶν πάλιν ἐκδιδασκόντων ῥημάτων· οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ πορθήσας ἐν Ἱερουσαλὴμ τὸ ὄνομα τοῦτο; πῶς γὰρ ἐπορθεῖτο λέξις πληγῇ ἀέρος βραχείᾳ περιγραφο-

Secus enim cur ardua fuisset, vel quibus adminiculis indiguisset simplex nec unius vocabuli fines excedens Domini appellatio? Certe et ipsi aliquando daemones cum aliquo etiam epitheto dominicum nomen pronunciaverunt. Sed prorsus exploratum est, nunc vocabulo *nomen*, praedicandam a Paulo doctrinam dici, devotumque Deo cultum, cuius gratia innumeras quotidie mortes is, qui antea persecutor fuerat, libenter perferebat, docendo, hortando, initiando, praedicando fidem, secundum quam servator sacra eum religione imbuerat. Ego enim, inquit, ostendam illi, quanta ipsum oporteat mei nominis causa pati.

12. Atque adeo vide sis perpetuum vocabuli *nomen* usum. Cur autem? nempe ut constantia vocabuli, quod eandem rem multoties denotat atque ostendit, vel ipso auditu menti insculpat religionis mysterium; atque ut id ceu regium signaculum pectore impressum ferentes, et ad hoc respicientes, haudquaquam in vias multiplices varietate vocabulorum patefactas divertamus. Huius causa mysterii atque accuratae fidei Paulus acerbissimas molestias pertulit: non enim nudo nomine tenus, neque intra brevem syllabarum compositionem, venerandum magnumque mysterium circumscribebat. Quare rursus audire expedit sacrorum magisterium verborum: nonne is est, qui vastabat Hierosolymis nomen hoc? Quonam autem pacto dictio, quae brevi aëris per-

μένη, καὶ πρὸς μηδένα νοῦν τό γε ἐπ' αὐτῇ, μὴ δὲ δόξαν θεολόγων ἀναπλουμένη, μὴ δ' ἀνθρώπων ψυχαῖς ἐνεῖναι δογμάτων ἀκρίβειαν δυναμένη, καὶ τὴν ὕπαρξιν χρονικωτέραν οὐκ ἔχουσα τῆς γενέσεως; ἀλλὰ γὰρ δῆλον ὡς νῦν ὄνομα, οὐ τὸ σύνηθες καὶ πᾶσι παραφερόμενον ἐννοεῖν δεῖ, ἀλλὰ τὸ τῆς εὐσεβείας ὅλης ἀπαγγέλλον τε καὶ διασημαῖνον μυστήριον, καὶ τὴν τοῦ κηρύγματος διὰ πάσης ἡμῶν τῆς θεολογίας προϊοῦσαν ἀκρίβειαν· καὶ γὰρ τὸ τοιοῦτον ὄνομα, ἤτοι τῆς πίστεως ἡ τελείωσις, καὶ ταῖς διανοίαις ἡμῶν ἐμβαθύνεται, καὶ θεμέλιον λαμβάνει ἑδραζόμενον τῇ τῶν πιστευόντων φιλοθέῳ γνώμῃ καὶ τῇ στεῤῥότητι τοῦ φρονήματος· τοῦτο τὸ ὄνομα ὁ πρὶν μὲν Σαῦλος ἐπολιόρκει, ὁ δὲ μετὰ ταῦτα Παῦλος ἐνώπιον ἐθνῶν καὶ βασιλέων ἐβάσταζεν, ἀπερίτρεπτον τοῦτο καὶ ἀκαταγώνιστον ἰδίοις ἐπιδεικνύμενος ἀγωνίσμασι, καὶ πολλὰ τῶν ἐθνῶν ἀπὸ τῆς δυσσεβείας εἰς ταύτην μεθαρμόσας καὶ μυσταγωγήσας τὴν εὐσέβειαν· δεῖ τοίνυν ἐπειδὰν τὰ λόγια λέγῃ ὡς ἐβάπτιζον οἱ μαθηταὶ ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ, ἢ κατ' ἄλλην τινὰ συνθήκην παραπλησίαν λέξιν συμφερομένην, τῷ προκειμένῳ τῆς ἐκφωνήσεως τύπῳ ἀκολούθως τε καὶ θεοπρεπῶς ἐννοεῖν· καὶ τῶν μαθητῶν μηδὲν ἀνάξιον ὑπονοεῖν, ἀλλὰ κατὰ τὸ κήρυγμα τοῦ σωτῆρος καὶ τὴν διδασκαλίαν, ὁμολογεῖν τοὺς ἀποστόλους τελεσιουργεῖν τὴν ἀναγέννησιν, καὶ τοὺς ἄλλους πράττειν ὁμοίως μυσταγωγοῦντας, μηδὲν ἔξωθεν τῆς δεσποτικῆς ἐντολῆς μήτε ἐννοοῦντας μήτε λέγοντας μήτε πράττοντας.

cussione finitur, vastitatem fecisset? dictio, inquam, quae nullum per se sensum continet, neque theologicam aliquam sententiam exprimit, neque in hominum animis definitum aliquod dogma imprimere potest; quae denique exsistentiam haud longaeviorem nativitate habet. Perspicuum est itaque, nunc in vocabulo *nomen* haud consuetam illam pervulgatamque significantiam esse intelligendam, sed mysterium potius quo religio universa innuitur ac denotatur, nempe exquisitam evangelii scientiam quae ex omni nostra theologica disciplina manat. Hoc nomen, seu potius fidei summa, et mentibus nostris insculpitur, et fundamentis utitur pia credentium mente constantiaque sententiae firmatis. Hoc Saulus nomen vastabat; atque idem postea Paulus coram gentibus regibusque portabat; insuperabile id atque invictum suis ipsis facinoribus exhibens, multasque gentes ab impietate ad veram religionem pertrahens, sacrisque imbuens. Igitur quotiescumque apud sacras litteras dicuntur discipuli baptizavisse in Christi nomine aut secundum aliam locutionis similis formulam, id intelligendum est digne ac convenienter prout fert propositus tesserae typus, neque indignum aliquid contra discipulos suspicandum; sed fatendum potius, iuxta doctrinam servatoris ac magisterium, apostolos sacram regenerationem perficere solitos, aliosque pariter ad id faciendum erudivisse; ita ut praeter dominicum praeceptum cogitarent, dicerent, facerentve nihil.

ιγ. Ἀλλὰ γὰρ ἴσως ἄν τισιν ἐπέλθοι λογοθετεῖν, ἵνα μὴ λέγω φιλονεικεῖν, ὡς εἴ γε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐβάπτιζον οἱ μαθηταί, τί δή ποτε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ χριστοῦ λέγονται βαπτίζειν ἢ εἰς τὰ ὅμοια; καὶ γὰρ τοῦτο μὲν διὰ τῶν εἰρημένων ἤδη ἀποχρώντως ἐπιδείκνυται· ἤρκει γὰρ ἀντὶ πολλῶν ἄλλων τὴν αἰτίαν ταύτην εἰς τὸ τῆς ἱερᾶς ἡμῶν γραφῆς ἔθος ἀνάγειν, καὶ παραστῆσαι ταύτην οἰκειούμενον, μὴ ἢ μᾶλλον τοῦ φιλοσοφεῖν τὸ πολυπραγμονεῖν ἀνταλλάττεσθαι· καὶ γὰρ ἄλλα τε πολλὰ καθ᾽ ἕκαστον εἶδος λόγου δι᾽ ὧν χαρακτηρίζεται καθορᾶται ἰδιώματα· καὶ οὐδεὶς ἐπιγνοὺς τὸ ἰδίωμα, πρὸς ἑτέραν ἀποπλανᾶσθαι τὸν νοῦν ἀφίησι ζήτησιν· καὶ τοῦτο οὐ μόνον ἐπὶ τῶν θεοσόφων λόγων ἐστὶν ἀναθεωρεῖν, ἀλλὰ καὶ ἃ κοσμεῖν φιλοτιμεῖται γλῶσσα ἡ ἀττικίζουσα· πλὴν οὐδὲν κωλύει καὶ τὸ ἰδίωμα πλατύτερον συνεκδιδάσκειν· καί τοι γε οὐδὲ τοῦτο παρεῖδεν ἔμπροσθεν ὁ λόγος, ὅτι μὴ ἐστέρηται τοῦ αἰτιολογεῖσθαι· καὶ γὰρ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ εἰς τὰ παραπλήσια, ὧν ἐν τῷ διαφόρῳ τῶν φωνῶν ἀδιάφορος ἡ διάνοια καὶ μία, δικαίως ἂν ἀναφέροιτο ἡ παρ᾽ αὐτοῦ μυσταγωγηθεῖσα τοῖς μαθηταῖς, καὶ διὰ τῶν μαθητῶν τῷ κόσμῳ, πίστις, τοῦ ὀνόματος τοῦτο παραδηλοῦντος, διότι αὐτὸς ἀρχηγὸς κατέστη τῆς εἰς τὸ θεῖον εὐσεβείας· καὶ διότι ἐν τῇ τοῦ Ἰησοῦ καὶ κυρίου μνήμῃ διδασκόμεθα συγκεφαλαιοῦσθαι καὶ συνεμφανίζεσθαι τὸ μυστήριον ὅλον τῆς τοῦ λόγου δι᾽ ἡμᾶς οἰκονομίας· ἀναπλοῦσθαί τε δύναται τῶν εὐσεβούντων ἕκαστος, καὶ ἀπευθύνεσθαι δι᾽ αὐτοῦ πρὸς τὸ τέ-

13. Sed fortasse aliquis ratiocinari pergens, ne dicam altercari, si in nomine, inquit, patris et filii et sancti spiritus baptizabant discipuli, curnam in nomine Christi aut aliis eiusmodi formulis baptizare dicuntur? Atqui huius rei notio in supra dictis iam satis exposita est. Sufficit enim, complurium instar, si haec controversia mori sacrarum litterarum imputetur; et si is qui hanc sibi tractandam sumit, non tam curiose agere, quam veritati studere, velit. Nam et alia singula orationis genera pro sua quodque forma idiotismos habere compertum est: nemoque idiotismi gnarus, in alias vestigationes pervagari mentem sinit: quae res non in divinis solum sermonibus usuvenit, verum in iis etiam quos attica lingua studiose exornat. Nihil tamen vetat quominus hunc idiotismum paulo fusius exponamus. Quamquam hanc partem ne in superiore quidem oratione neglegimus, in qua rerum causas evolvere non omisimus. Nimirum in locutione *in nomine domini Iesu Christi* atque in aliis huiusmodi (quarum etsi dissimilis sonus, non absimilis tamen neque multiplex sententia est) iure meritoque intelligi fides potest qua Christus discipulos, atque hi vicissim mundum imbuerunt: nam haec a nomine denotari potest, quia Christus ipse pietatis erga Deum auctor est; et quia in Iesu dominique mentione docemur contineri summatim conspicique verbi pro nobis incarnati mysterium,

λειον τῆς θεογνωσίας· οὐ τῇ βραχύτητι τῆς λέξεως συναποθλίβων καὶ συστενοχωρῶν τὸν νοῦν τῶν δογμάτων, τοῦτο γὰρ ἂν εἴη ψιλὴν τὴν φωνὴν προφέρειν, ἀλλ᾽ ἐμπλατυνόμενος καὶ καταρτιζόμενος τῇ πίστει καὶ τῇ τελειότητι τῆς εὐσεβείας· εἰ βούλει δὲ, ἀχώριστός ἐστι καὶ ἀδιάστατος ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ καὶ τῷ πνεύματι· ὡς τῆς αὐτῆς ὑπερουσίου οὐσίας καὶ δυνάμεως καὶ ἐξουσίας ὑπάρχων· ὠράθη δὲ καὶ ἐψηλαφήθη σάρκα τὴν ἡμετέραν ἀναλαβὼν ὁ υἱὸς, καὶ γέγονεν ἡμῖν ὄμμασί τε ληπτὸς, ἁφῇ τε ψηλαφητός· ὃ γὰρ ἐθεασάμεθα φησὶ καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν [I. Ioh. I. 1.] ἐψηλάφησαν περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς· καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη· ἐξ ἑνὸς οὖν τοῦ μᾶλλον ἡμῖν διὰ φιλανθρωπίας ἄφατον πέλαγος ἐν γνώσει καθεστῶτος, καὶ τὰ ὑπὲρ λόγον μυσταγωγήσαντος τοῦ ὁμοουσίου, καὶ παντοκρατορικῆς τριάδος τὸ ὑπερούσιόν τε καὶ ἑνιαῖον ἐλλαμφθέντες, πρός τε τὴν ἄλλην τοῦ μυστηρίου θεωρίαν δι᾽ αὐτοῦ χειραγωγηθέντες. εἰκότως ἄρα καὶ ἐπειδάν τινα πράττωμεν κατὰ τὸ παραδιδόμενον δόγμα τελοῦντες, εἰς τὸν παραδεδωκότα ταῦτα δικαιούμεθα ἀναφέρεσθαι.

ιδ. Ὅπως μέν τοι γε καὶ ὁ Παῦλος κατήγγελλε τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ, καὶ κατὰ ποῖον σημαινόμενον τοῦ ὀνόματος, κἀντεῦθεν δῆλον· μᾶλλον δὲ τῶν ἐκείνου λόγων ἡ χάρις ὧν ἥψατο τῆς καρδίας, ἄδηλον οὐδενί. νῦν μὲν γὰρ τὸ φρικτὸν καὶ φιλάνθρωπον τῆς σαρκώσεως, καὶ μυσταγωγῶν καὶ κηρύττων ἐδείκνυτο· νῦν δὲ θεολογῶν τὴν τριάδα ἐπαῤῥησιάζετο, συνανακηρύττων καὶ τὴν ἄλλην

Porro pius quisque hoc duce mysterio tendere dirigique potest ad perfectam Dei cognitionem; haud equidem contrahendo constringendoque intra brevem hanc vocem dogmatum sensu (id enim fieret, si nuda vox proferretur) immo potius dilatando ac perficiendo per fidem ac pietatis consummationem. Quod si denique et hoc audire libet, indivisus et inseparabilis filius a patre spirituque est, quia scilicet eiusdem incomprehensibilis substantiae et virtutis ac potestatis particeps est. Sed tamen visus fuit atque palpatus postquam carnem nostram assumpsit filius, factus nimirum oculis nostris conspicabilis tactuque palpabilis: quod enim vidimus ait [Iohannes] et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae; et vita apparuit. Quum igitur ab uno, qui nominatim nobis ob suae charitatis infinitum pelagus cognoscendum se obtulit, quique ineffabilia nobis mysteria aperuit, a consubstantiali inquam filio, omnipotentis quoque trinitatis incomprehensibilitatem atque unitatem edocti fuerimus, atque ad reliquam mysterii notitiam deducti, merito nos sane quotiescumque aliquid secundum traditum dogma facimus, merito inquam ad auctorem dogmatis rem factam referimus.

14. Quanam igitur ratione Paulus Iesu nomen nunciaret, et quanam nominis significantia, hactenus patefactum est: praesertim vero id neminem eorum latuit, quorum cor sermonum illius gratia tetigit. Modo enim venerandam et clementissimam incarnationem docebat praedicandoque monstrabat: modo

Hebr. I. 3. Philip. II. 6. τοῦ μυστηρίου δύναμιν θειότητα· ἀλλὰ γὰρ οὐδὲν ἔστιν οἷον αὐτοῦ ἀκούειν, ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, δηλονότι τοῦ πατρὸς ὁ υἱός, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ· οὐδὲ γὰρ ἔσχε τὸν κλῆρον τῆς θεότητος ἐκ διαδοχῆς, οὐδὲ ἐπιθέμενος καὶ ἁρπάσας ἐξ ἑτέρου, περιέθετο τὸ κράτος ἑαυτῷ· ἀλλ' ἀπ' ἀρχῆς, ὡς τῆς αὐτῆς ὢν οὐσίας καὶ φύσεως, καὶ μηδὲ μίαν ταύτης ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ὑποστῆναι πεφυκώς· διὰ τοῦτο μηδὲν ὅλως δυσχερὲς ὑφορώμενος, ἐκένωσεν ἑαυτὸν μορφὴν δούλου λαβών· καὶ πάλιν, εἷς θεὸς καὶ πατὴρ ἐξ οὗ τὰ πάντα· καὶ εἷς κύριος Ἰησοῦς χριστὸς δι' οὗ τὰ πάντα· καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον ἐν ᾧ τὰ πάντα· οὕτω δὴ οὕτω καὶ τὴν τοῦ λόγου οἰκονομίαν ἀνεκήρυττε, καὶ τῆς τριάδος θεολογίαν ἐκράτυνεν· ἔκ τε τοῦ μὴ ἀφελεῖν τὸ ἑνιαῖον ἀπὸ μηδὲ μιᾶς τῶν τριῶν ὑποστάσεων, ἀλλ' ὁμοτίμως εἰς αὐτὸ ταύτας ἀναφέρεσθαι· καὶ ἐκ τοῦ μὴ τὴν μὲν πάντων, τὴν δὲ τινῶν ἄρχειν καὶ προνοεῖν, ἀλλὰ τὰς τρεῖς πάντων τῶν ὄντων καὶ τὴν δημιουργίαν ἔχειν ὁμοσθενῶς καὶ ὁμοτίμως, καὶ τὴν κυριότητα καὶ τὴν πρόνοιαν.

ιε. Ὁρᾷς ὅπως ὁ τῆς ἐκκλησίας διδάσκαλος ἐβάσταζε τὸ ὄνομα τοῦ χριστοῦ; Rom. I. 1. ἔτι συνόρα· Παῦλος δοῦλος Ἰησοῦ χριστοῦ κλητὸς ἀπόστολος ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον θεοῦ, ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις, περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβίδ· πάλιν κἀνταῦθα κηρύττεται ἡ τριάς· θεὸς καὶ υἱὸς τοῦ θεοῦ καὶ πνεῦμα ἅγιον, καὶ ἡ

theologica oratione trinitatem animosius adserebat, ceteram quoque mysterii vim ac divinitatem simul depraedicans. Sed nihil melius de eo audiri potest, quam "qui quum esset splendor gloriae et figura substantiae eius (nempe filius splendor et figura patris) non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo". Non enim successione sortitus divinitatem erat, neque vi detractam alicui potentiam sibi circumposuerat: sed ab initio substantiae eiusdem naturaeque fuit, nullumque huius detrimentum pati poterat. Idcirco nihil molestum detrectans, exinanivit semet ipsum, formam servi accipiens. Et rursus: unus Deus et pater ex quo omnia: et unus Iesus Christus, per quem omnia: et unus spiritus sanctus, in quo omnia. Sic omnino Paulus incarnationem praedicabat, trinitatisque divinam notitiam confirmabat: dum scilicet unitatem nulli trium personarum detraheret, easdemque ad unum aequaliter referret; et dum haud aliam personam cunctis rebus, aliam vero nonnullis dominari et consulere diceret; sed tres personas omnium rerum creationem coniunctim aequaliterque curavisse, iisdemque moderari ac providere.

15. Viden ut ecclesiae doctor Christi nomen portaverit? Sed perge porro considerare. Paulus servus Iesu Christi vocatus apostolus segregatus in evangelium Dei, quod promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo qui factus est ei ex genere David. Iterum heic praedicatur trinitas, Deus

σάρκωσις συνανακηρυττομένη τοῦ λόγου· ἐπεὶ δὲ υἱὸν Θεοῦ εἶπεν, ἐπάγει δι' ὧν ἀφορίζεται ὁ υἱός· τοῦ γὰρ ἐπιγνωσθέντος φησὶ καὶ ἀφορισθέντος ἐξ ἄλλων τε πολλῶν ἰδιωμάτων ἃ μηδενὶ πρόσεστι, καὶ ὅτι ὃ μὴ δέ ποτε γέγονεν, αὐτουργὸς τῆς ἰδίας ἀναστάσεως γέγονεν· οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ ἐξ ὧν τὸ πανάγιον πνεῦμα ἐπεσκίασέ τε τῷ τόκῳ τὸν ὁμοούσιον λόγον ἐκ σπέρματος Δαβὶδ συνεργὸν προελθεῖν, καὶ μάρτυς ἐν τῷ βαπτίσματι τῆς ἀψευδοῦς υἱότητος καὶ τῆς ὁμοουσίου θεότητος γεγονώς· εἰς κόρον ἂν οἶμαι λογισθείην τοῖς ἀκροαταῖς προσφέρεσθαι καὶ τὰ περιττὰ φιλότιμος, εἰ πάσας τὰς χρήσεις τοῦ θεσπεσίου Παύλου ἀναγράφοιμι, δι' ὧν ἐθεολόγει τε τὴν τριάδα, καὶ τῆς σαρκώσεως ἐκήρυττε τὸ μυστήριον, βαστάζων ἐνώπιον ἐθνῶν τε καὶ βασιλέων τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου· διόπερ τοῖς εἰρημένοις ἀρκεσθησόμεθα, οὐδὲν ἔργον ὑπολείποντες, οὐδὲ τοῖς ἐθέλουσι κἀκείνοις ἀναλέγεσθαι· κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ δηλονότι καὶ τῶν ἄλλων μαθητῶν ὁ θεῖος ἐκήρυττε καὶ ἐδίδασκε χορός· ὡς δὲ ἐκήρυττον, οὕτως ἐβάπτιζον· ἐκήρυττον δὲ ὡς ἡ ἐνυπόστατος αὐτοὺς σοφία θεολογεῖν καὶ κηρύττειν ἐξεπαίδευεν· ὧν ἓν ἦν καὶ οὐδενὸς τῶν ἄλλων δογμάτων ἔλαττον, καὶ τὸ εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον τὸ λουτρὸν τῆς παλιγγενεσίας τελεσιουργεῖν, καὶ ταῖς αὐτῶν ἐπικλήσεσι τοὺς βαπτιζομένους ἄγειν εἰς ἀναγέννησιν· οὕτω τῶν ἀποστόλων ὁ θεόκριτος σύλλογος τὸ δῶρον ἐμυσταγώγει τῆς ἀφέσεως· οὕτω Παῦλος

et filius Dei et spiritus sanctus; nec non et verbi incarnatio simul praedicatur. Iam ubi Dei filium dixit, adiicit etiam quanam ratione distinguatur filius. Nam quum cognitus distinctusque iam esset aliis multis proprietatibus, quae praeter ipsum nemini insunt; tum vero, quod numquam antea contigerat, ipse auctor resurrectionis suae fuit. Item spiritus sanctus foetum obumbrando, dedit operam ut verbum consubstantiale ex Davidis genere nasceretur; atque in baptismate filiationi verae et consubstantiali divinitati testimonium dedit. Satietatem audientibus creem, nimiusque videar, si cunctas inclyti apostoli locutiones adscribere velim, quibus theologica oratione trinitatem nos docuit, et de incarnationis mysterio certiores fecit, nomen Domini coram gentibus regibusque portans. Quamobrem dictis contenti erimus; praesertim quia cetera, siquis volet, nullo negotio coacervare poterit. Atque hoc modo reliquus etiam discipulorum venerandus chorus praedicabat atque docebat. Iam sicuti hi praedicabant, ita etiam baptizabant. Praedicabant autem sicuti ipsos hypostatica sapientia ad theologice loquendum praedicandumque erudiverat. Iam in his unum, et quidem nulli secundum, dogma erat, ut lavacrum regenerationis in patre et filio et spiritu sancto perageretur, atque ut baptizati homines cum harum personarum invocatione ad regenerationem perducerentur. Sic apostolorum divinitus delectus chorus veniae donum initiatis impertiebat. Sic Paulus baptizabat, quos quidem baptismo tingebat. Sic coram gentibus regibusque

ἐβάπτισεν οὓς ἐβάπτισεν· οὕτω βαστάζων ἐνώπιον ἐθνῶν καὶ βασιλέων τὸ ὄνομα τοῦ σωτῆρος ἐπαῤῥησιάζετο· κατὰ ταύτην ἐβόα τὴν ἔννοιαν, παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς ἀδελφοὶ διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, ἵνα τὸ αὐτὸ λέγητε.

ιϛ. Βούλει δέ σοι καὶ τὸν κορυφαῖον παρίστασθαι μάρτυρα; εἰ γὰρ καὶ μὴ δοκεῖ κατά γε τὴν τῶν ῥημάτων προφορὰν τῷ τῆς ἐκκλησίας ἔθει καὶ τῇ πράξει συμφθέγγεσθαι, ἀλλά γε φιλαλήθως αὐτοῦ καὶ ἐπιμελῶς ὁ σκοπὸς ἀνερευνώμενος, οὐδὲν ἔλαττον εἰ μὴ καὶ μᾶλλον ταύτην ἐπικροτεῖ καὶ συνίστησι· καὶ γὰρ τὴν θαυματουργίαις οὐκ ἔλαττον τῆς θεοσεβοῦς διδασκαλίας τὴν Ἰουδαίαν περιερχόμενος, (Act. III. 2. sqq.) τὸν πρὸς τῇ ὡραίᾳ πύλῃ καθεζόμενον, οὗ αἱ βάσεις τῶν ποδῶν καὶ τὰ σφυρὰ διελέλυτο· τοῦτον ἁρμολογῶν τῷ ῥήματι καὶ ὑγιᾶ παραδόξως ἀναδεικνὺς, ἐν τῷ ὀνόματι φησὶν Ἰησοῦ χριστοῦ ἔγειρε καὶ περιπάτει· ἀλλ' ὁ μὲν τύπος τῆς φωνῆς τῇ ὑπὲρ λόγον ἐνεργείᾳ τῆς χάριτος, οὕτω συμπροήχθη· αὐτὸς δὲ τοῦ ῥήματος τὴν δύναμιν ἀναπτύσσων, καὶ τί βούλεται αὐτῷ τὸ ὄνομα δηλοῦν ἐφερμηνεύων, τοὺς μὲν καταπληττομένους τῷ θαύματι ἐδίδασκεν ὡς ἐξουθενηθεὶς παρ' αὐτῶν, καὶ σταυρῷ καὶ θανάτῳ καταδικασθεὶς, αὐτός ἐστιν οὗ ἡ δύναμις τὴν ἀνίατον ἰάσατο νόσον· ἐδίδασκε δὲ ὅτι καὶ τὸ ὄνομα νῦν αὐτῷ τῆς πίστεως τὴν συγκεφαλαίωσιν καὶ τὴν ὁμολογίαν ἀπαγγέλλει· ὅρα γὰρ οἷα φησίν· ὁ θεὸς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ ἐδόξασε τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν· καὶ ἐπιδηλότερον τὸ βούλημα ποιῶν, ἐπάγει· καὶ ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, τοῦτον ὃν θεωρεῖτε καὶ οἴδατε ἐστερέωσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ· πρόσχες· ἀλλὰ καὶ ἡ πίστις ἡ

servatoris nomen cum fiducia deferebat: atque hac mente instinctus clamabat: rogo vos fratres per dominum Iesum Christum, ut sermonis concordiam sectemini.

16. Vin tibi principis quoque apostolici testimonium exhibeam? qui quidem etsi verborum sono haud videtur cum ecclesiae more actuque congruere, si tamen scopum eius cum veritatis studio diligenterque scrutabimur, nihilo is secius, immo vehementius, sacram hanc consuetudinem confirmare ac stabilire videbitur. Is enim Iudaeam non minus prodigiis quam sacra doctrina peragrans, hominem illum ad speciosam portam sedentem, cuius pedum bases atque malleoli dissoluti erant, hunc inquam verbo instaurans, sanumque mirabiliter sistens; in nomine, inquit, Iesu Christi surge et ambula. Et dictionis quidem formula ineffabili virtute sic fuit prolata: ipse vero princeps vim vocabuli explicans, notionemque nomini subiectam interpretans, prodigio attonitos admonebat quem ipsi aspernati fuerant, crucisque supplicio multaverant, hunc ipsum esse, cuius virtute insanabilis morbus curatus fuerat. Praeterea docuit, se vocabulo *nomen* fidei summam confessionemque designare. Audi enim quae dicat: Deus Abraham et Deus Isaac glorificavit filium suum Iesum. Atque ut magis animi sententiam declaret, addit: et in fide nominis eius hunc quem vi-

δι' αὐτοῦ ἔδωκεν αὐτῷ τὴν ὁλοκληρίαν ταύτην· ἀρχόμενος τοῦ θαύματος τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ χριστοῦ αὐτουργεῖν τὴν ἴασιν ἀνακηρύττει· εἶτα μεταλαμβάνει τὸ ὄνομα πρὸς τὴν πίστιν, ὅπερ ἐστὶ τὸ μυστήριον τῆς εὐσεβείας· μετὰ τοῦτο πάλιν ὄνομα τὴν εἰς αὐτὸν καλεῖ πίστιν, ὥσπερ δεδιὼς μὴ λήθην λάβωσιν οἱ ἀκροαταὶ ὅτι τὸ ὄνομα αὐτῷ ἀντὶ τῆς πίστεως παρελήφθη· εἶτα ἐπάγει· καὶ ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ, τουτέστιν ἡ κηρυχθεῖσα παρ' αὐτοῦ· ὁρᾷς ὅπως τὸ μὲν ὄνομα τὴν πίστιν νῦν τὴν εἰς αὐτὸν ἀπαγγέλλει; ἡ δὲ πίστις τὴν ὑπ' αὐτοῦ κηρυχθεῖσαν θεοσέβειαν; τὸ δὲ κήρυγμα, τοῦ χωλοῦ τὰς βάσεις στερεοῖ; ὥστε εἰ μή τις ἄλλη τῶν μαρτυριῶν προσῆν, ἤρκεσεν ἂν ἡ τοῦ κορυφαίου μόνη προκομιζομένη λαμπρῶς παραστῆναι τί σημαίνει τὰ ἱερὰ λόγια ἐν τῷ λέγειν βαπτίζεσθαι τοὺς προσιόντας ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ τὰ ὅμοια· ταῦτα μὲν Πέτρος τὴν θεουργίαν ἐμφανίζων ἔλεγεν· ὁ δὲ τῶν μαθητῶν ἠγαπημένος συνεδογμάτιζε, Λουκᾶς συνέγραφε, Παῦλος ἐδίδασκεν· οἷς καὶ τῶν λοιπῶν ἀποστόλων ὁ χορὸς (οὐ γὰρ ἂν οὐδαμῶς οὐδ' ἐπὶ νοῦν λαβεῖν αὐτοὺς περὶ τὰ καίρια φέρεσθαι) συνανεκήρυττεν· οὕτως ὄνομα χριστοῦ ἡ πίστις ἡ εἰς χριστόν· πίστις δὲ εἰς χριστὸν ἡ δι' αὐτοῦ παραδεδομένη τοῖς αὐτόπταις τοῦ λόγου καὶ ὑπηρέταις θεολογία, καὶ τῆς οἰκονομίας τὸ μυστήριον.

ιζ. Σὺ δὲ εἴ τις ἔρως ἐπῆλθε πρὸς τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν εὐπορεῖν πλειόνων ἐπιχειρημάτων, κἀντεῦθεν τῆς προθέσεως οὐκ ἀποτεύξῃ· πρῶτον μὲν γὰρ

detis et probe scitis confirmavit nomen eius. Audi adhuc : immo fides, quae per eum est, integram huic sanitatem tribuit. Miraculum scilicet patraturus, a Iesu Christi nomine causam eius medicinae repetit : deinde nomen ad fidem transfert, quod est religionis mysterium. Tum rursus nomen dicit pro fide in Iesum, quasi metuat, ne forte auditores obliti essent, nomen ab se fidei loco fuisse usurpatum. Mox pergit dicere : et fides per ipsum, id est ab eo praedicata. Viden ut nomen nunc fidem in Christum significet? fides autem, praedicatam ab eo religionem? quae quidem praedicatio bases claudicantis solidat. Quare etiamsi aliud testimonium extaret nullum, vel hoc a principe prolatum sufficeret, palam ut fieret quidnam sacrae litterae innuant, cum aiunt proselytos in Iesu Christi nomine aliisque huiusmodi formulis baptizari. Sic ergo Petrus aiebat quum divinam efficaciam monstraret : dilectus autem inter discipulos sic item decernebat : Lucas subscribebat : Paulus docebat : quibus paria reliquorum apostolorum coetus praedicabat : neque enim suspicari licet, mortiferis ipsos noxis se obstringere solitos. Constat igitur Christi nomen pro fide in Christum dici : fides vero in Christum nihil est nisi tradita spectatoribus verbi atque administris sacra doctrina et incarnationis mysterium.

17. Iam vero siqua te cupiditas tenet in eodem proposito argumentis pluribus abundandi, heic quoque scopum tuum adsequeris. Nam primo dubita-

τῆς ἀπ' ἀρχῆς ἀπορίας εὐλογωτέρα λύσις οὐκ ἂν εἴη τις ἑτέρα παρὰ τὴν εἰρημένην σαφῶς ἐμφανίζουσα τὴν τοῦ ζητήματος γνῶσιν· δεύτερον δὲ καὶ ἣν τινες ἐπενόησαν λύσιν, τὸ ἀνεπιτίμητον οὐκ ἔσχε· καὶ γὰρ ἤδη μὲν οὐκ ὀλίγας ἔδωκε λαβάς· δοίη δ' ἂν σοι βουλομένῳ καὶ πλείους· εἰ γὰρ προσίστατο τοῖς κατ' ἀρχὰς προσιοῦσι καὶ μόνον προφερόμενον τὸ ὄνομα τοῦ χριστοῦ, πῶς ἦν τῶν κατεπειγόντων βαπτίζοντας αὐτὸ προκομίζειν; οὐδὲ γὰρ θεραπείαν τινὰ τοῦ θορυβοῦντος παρεῖχεν ἂν τὸ παραλυποῦν προτεινόμενον· ἀλλ' ἐπὶ πλέον ἐξετράχυνεν ἂν καὶ ἀνεφλέγμαινεν αὐτῷ τὴν γνώμην· σιγώμενον γὰρ μᾶλλον τὸ ἀνιαρὸν, ἢ φθεγγόμενον, τοὺς δυσχεραίνοντας αὐτὸ διαπραΰνει· καὶ τὸ ἔτι μᾶλλον ἀναφλέγον εἰς ὀργὴν, σιωπῆσαι μὲν καὶ ὑπεριδεῖν ἃ τοῖς πολλοῖς τῶν ἰουδαίων ἐγνωρίζετο, πατέρα λέγω καὶ πνεῦμα, ἀντεπεισάγειν δὲ τὴν κλῆσιν τοῦ υἱοῦ, οἷς οὐδὲ τὴν φωνὴν ἄλυπον ἦν ταῖς ἀκοαῖς παραδέχεσθαι (1)· καὶ γὰρ μᾶλλον ἂν προαγόμενον, οὕτω προσίστατο· μετὰ μὲν γὰρ τῶν τιμωμένων συντατομένου, πρὸς ἑκατέραν μοῖραν τήν τε παραλυποῦσαν καὶ τὴν εὐφραίνουσαν ὁ ἀκροατὴς ἐμερίζετο· καὶ πρὸς μίαν καινοτομίαν τῆς προσθήκης (2) ἐταράσσετο· τῶν δὲ γνωρίμων καὶ τιμωμένων σιγῇ παραπεμπομένων, μόνου δὲ τοῦ πλήττοντος ἀντ' ἐκείνων κηρυσσομένου, πῶς οὐκ ἦν εὐλογώτερον ἀποπηδᾶν αὐτίκα, καὶ τὰ ὦτα φράττειν, διπλαῖς μᾶλλον ἢ πολλαπλαῖς βαλλομένους ταῖς καινοτομίαις, καὶ τὸ βέ-

tionis eius, quam initio scripsimus, nulla est praeter praedictam probabilior solutio, quae manifeste quaestionis explanationem tradit. Deinde quae ab aliis excogitata fuit solutio, non caret reprehensione, eaque non paucas reapse vituperandi ansas dedit; et quidem tibi volenti plures praebebit. Nam si offendebat primos illos proselytos vel ore tenus prolatum Christi nomen, cur iam necesse erat inter baptizandum id oggerere? Certe illud medelam perturbationis nullam fecisset, quod non sine ingrato sensu exhiberi poterat: quin adeo mentes efferavisset potius atque incendisset. Nam si molesta res est, silendo magis quam praedicando, eos qui abhorrent mitigare solemus. Tum ira gravius commota fuisset, si ii silentio pressi fuissent ac neglecti, qui multis Iudaeis comperti erant, pater nimirum et spiritus; obtrusa autem filii invocatio, cuius ne nomen quidem sine molestia auditu excipi poterat: quod sane ita prolatum vehementius offendebat. Contra si nomen hoc cum aliis iam in honore habitis collocabatur, bifariam auditor scindebatur, partim scilicet aegre ferens, partim gestiens: sola autem additamenti novitate conturbabatur. At vero si cogniti iam et in honore habiti silentio praetermitterentur; unus autem, qui offendebat, praedicaretur; quid ni expectandum erat, ut protinus Iudaei aufu-

(1) De notitia filii apud Hebraeos dicendum nobis erit cum Theodori mopsuesteni commentarium ad Zachariam prophetam edemus. Videsis interim Eusebium caesariensem in opere theologico contra Marcellum I. 19.

(2) Cod. τὴν προσθήκην.

λος τὸ τῆς ἀνίας πικρότερον καὶ δριμύτερον ὑποδεχομένους; ἐξ ὧν μᾶλλον τὸ παντελῶς αὐτῶν ἐκτραχύνεσθαι, καὶ τοῦ προσιέναι ὅλως τῷ κηρύγματι, εἰς τὸ ἀδύνατον κατεσκευάζετο.

ιη. Οὐκ ἠνείχοντο φησὶ τὸ ἰουδαίων ἔθνος θεὸν τὸν χριστὸν ὁμολογεῖν· διὰ τοῦτο ἄρα ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ τῶν ἀποστόλων ὁ χορὸς ἐβάπτιζε· καὶ πῶς τοῦτο λόγον ἔχοι πραΰνειν διὰ τοῦ φλεγμαίνοντος, καὶ θεραπεύειν διὰ τοῦ τραύματος; πῶς δ' οὐχ ὁ ἐναντίος λόγος εἰς τὸ εὐλογώτερον ἂν εἴη καὶ συνετώτερον προτεινόμενος οὐκ ἐβάπτιζον οἱ ἀπόστολοι εἰς τὸ ὄνομα τοῦ χριστοῦ· βαρέως γὰρ οἱ μυσταγωγούμενοι καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν κλῆσιν ἐφέροντο· ἆρ' οὐκ εἰς ἀποτροπὴν μᾶλλον ἐπῆγον τοῦ βαπτίσματος, εἰ οὕτω βαπτίζειν ἐπεχείρουν καὶ πρὸς τοὐναντίον ἢ ἐκήρυττον; ἀλλ' ἐβάπτιζον ὡς ἐβούλοντο, ἀλλ' οὐχ ὡς ὁ δεσπότης ἐδιδάξατο· καὶ κράτος ἔλαβεν ἡ γνώμη, ὥστε ἔθει καὶ χρόνῳ τὸ τοῦ διδασκάλου δόγμα παραγράφεσθαι· τίς οὖν πάλιν ἢ πόθεν ἐπέστη ζῆλον καὶ ῥώμην, ὃς τοσαύτην ἔσχεν ἀναλαβεῖν δι' ὧν τὸ παράγγελμα τοῦ σωτῆρος λήθῃ δεδομένον ἀνεσώσατο; ἀλλ' εἰπεῖν οὐκ ἔχουσιν οὐδ' ἂν εἴπωσι· τίς γὰρ αὐτῷ καὶ προσέσχε, τῆς δεσποτικῆς μὲν ἤδη παρεωραμένης ἐντολῆς; καὶ τότε οὐχ ὑπὸ τῶν τυχόντων ἀλλ' οἳ τῶν ἄλλων ἦσαν τῆς εἰς χριστὸν πίστεως κήρυκες καὶ διδάσκαλοι· τίς οὖν ἕτερος εἰς τὴν οἰκείαν τάξιν τὸ δεσποτικὸν ἐπανήγαγε πρόσταγμα; καὶ μάλιστα τῆς τῶν μαθητῶν ἐπινοίας, ὡς ὁ διαφιλονεικῶν λόγος βού-

fugerent, aures occluderent, perculsi scilicet duplici immo multiplici novitate, teloque tristitiae acerbius asperiusque recepto: quo fiebat, ut ipsi magis irritarentur, et ab accessu ad evangelium omnino prohiberentur.

18. Aiunt adversarii: non ferebat iudaicus populus Christum deum confiteri: proptereaque apostolorum coetus in nomine eius baptizabat. Atqui non est rationi consentaneum, ut re acerba mitigemus, atque ut vulnere medicinam faciamus. Quid ni potius contrarius sermo probabiliorem prudentioremque sententiam praebeat? non baptizabant apostoli in Christi nomine: aegre enim ferebant initiati hanc appellationem. Nonne enim fugam potius baptismi suasissent, si ita baptizare instituissent, ritu nimirum praedicationi propriae adversante? At enim, inquiunt, baptizabant apostoli pro suo libito, non uti docuerat Dominus: praevaluitque sententia eorum, ita ut tempore et consuetudine dogma magistri antiquaretur. Verum enim vero quis demum tanto rursus inflammatus zelo fuit tantaque vi praeditus, ut servatoris praeceptum oblivioni iam traditum instauraret? Mehercule neminem huiusmodi neque nunc appellare queunt, neque umquam appellabunt. Quis enim huic homini auscultasset, postquam dominicum mandatum iam fuisset abolitum? idque adeo non a vulgaribus hominibus, sed ab iis qui credendi in Christum magistri ceterisque praeconesque fuerant. Quis, inquam, alius in suum ordinem restituisset praeceptum

λεται, εἰς τῆς οἰκουμένης ἐξαπλωθείσης ἤδη καὶ συνήθους ἅπασι τοῖς μυσταγωγουμένοις καθισαμένης· καί τοι μή πω μὲν πλατυνθείσης τῆς περὶ τοῦ βαπτίσματος καινοτομίας, οὐκ ἦν ἐργῶδες οὕτως τὸ δεσποτικὸν κρατύνεσθαι νομοθέτημα· ταύτης δὲ τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης καταλαβούσης, τίς ἂν εἴη ὁ τὴν κατασχοῦσαν μὲν μυσταγωγίαν ἐκβαλεῖν γεγενημένος δυνατός; τὴν δ' ἐξ ἀρχῆς δοθεῖσαν μὲν, σεσιγημένην δὲ παντελῶς, ἀνακαλέσασθαι; εἰ γὰρ οὐχ εὗρε χώραν διὰ τὸ δυσπαράδεκτον τῶν ἀκροατῶν ἡ σωτήριος ἐντολὴ, ὁπότε μὴ δὲ μία τίς ἑτέρα μύησις προκατέλαβε τὰς ἀκοὰς αὐτῶν, μὴ δὲ ταῖς ψυχαῖς ἐνεγράφη καὶ ἐνετυπώθη, ἐπειδὰν κατεσχέθησαν καὶ ἐτελέσθησαν τῇ τῶν ἀποστόλων τελετῇ, πῶς ἂν εὕροι παρείσδυσιν, ἀντιπιπτούσης αὐτῇ καὶ ἀνταγωνισαμένης τῆς ἤδη τὸ κράτος ἄμαχον ἐχούσης; ὁρᾷς ὡς ἀδύνατον πανταχόθεν ἀποδείκνυται σὺν αὐτόπτας τοῦ λόγου καὶ ὡς ἀληθῶς ὑπηρέτας, ὧν ὁ βίος ἦν καὶ ὁ δρόμος θανάτῳ τὸ δεσποτικὸν βεβαιῶσαι φίλτρον, καὶ τῶν αὐτοῦ θεσπισμάτων (μὴ) συντηρῆσαι τὸ ἀπαράβατόν τε καὶ ἀπερίτρεπτον.

ιθ. Τί δ' ἂν εἴποις; τίς δ' ἄν σε μὴ λάβῃ φρίκη καὶ δέος ἐπειδὰν τῶν ἀποστολικῶν θεσμῶν τὰς ἀπειλημένας ψήφους ἀκούσῃς; ἃς οὐχ εἷς μόνον οὐδὲ δεύτερος, οὐδὲ καθ' ἕνα πλείους, σύμπας δ' ὁ χορὸς τῶν μαθητῶν τὴν δεσποτικὴν ἐντολὴν βεβαιῶν οὐ λύων, ἄπαγε, ἀπεφήνατο· καὶ ποῦ λαβεῖν ἐστιν

dominicum? praesertim quum ille discipulorum cogitatus, ut adversariorum sermo adfirmat, iam toto orbe esset diffusus, atque apud omnes initiatos in more positus. Sane ante quam illa circa baptismum novitas vulgata esset, dominicam legem haud aegre firmare licuisset; verum illa novitate ad orbis terrarum terminos propagata, quisnam potuisset dominantem iam ritum expellere; illum autem, qui initio quidem traditus fuerat, sed deinde omnino suppressus, revocare? Nam si propter auditorum morosos animos dominico mandato non est locus inventus, quum nondum alia initiandi formula illorum aures occupavisset, nec mentibus inscripta fuisset atque impressa; num deinde apud iam imbutos apostolico ritu atque initiatos, aditus priori ritui sperandus erat, adversante altero atque obsistente, qui iam insuperabiles vires obtinuerat? Ut vides igitur demonstratum quaqua versus est, qui spectatores verbi fuissent verique administri, et quorum vitae curriculum eo tendebat, ut vel ipsa nece suam erga Dominum charitatem testarentur, fieri inquam non posse quin hi eiusdem mandata integra atque inviolata esse curaverint.

19. Quid porro dices, vel quis te horror corripiet atque metus, cum decretorum apostolicorum districtam sententiam audies? quam non unus et alter neque multi singillatim, sed universus discipulorum coetus scripsit, dominico praecepto haud antiquando, quod absit, sed stabiliendo intentus. Ubinam au-

αὐτῶν τὸ φρικτὸν τῆς ἀρᾶς; αὐτῶν χρεὼν ἀκούειν τῶν οὐρανίῳ ψήφῳ κεκυρωμένων φωνῶν (1)· διαπρύσιον αὗται βοῶσιν (2)· εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος (ἐπίστησον ἄνθρωπε, μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἐπιστάσεως ἐνταῦθα δεῖ· περιφανῶς γὰρ ἡ δεσποτικὴ κυροῦται παράδοσις·) εἴτις οὖν κατὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν μὴ βαπτίσοι εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, καθαιρείσθω· καὶ οὐδὲ μέχρι τούτου τὴν καταδίκην ἱστῶσιν· ἀλλὰ καὶ ἐὰν ὀνομάτων παραλαβεῖν οἱ βαπτίζοντες ἐπιχειρήσωσι, μηδὲν ὅλως τὸν ἀριθμὸν τῆς τριάδος ὑποτεμνόμενοι, οὐδ' οὕτως εὑρίσκουσιν ἀποφυγὴν τοῦ μὴ οὐχὶ τὴν ἴσην δοῦναι δίκην· οὐδὲν γὰρ ἧττον οὐδ' οὗτοι τὸ δεσποτικὸν προπηλακίζουσι δόγμα· οὐδ' ἂν τὰς μὲν κλήσεις φυλάττωσιν ὡς παρέλαβον, τὸ σχῆμα δὲ τῆς ἐν τῷ βαπτίσματι καταδύσεως μὴ συνδυάσωσιν, ἀλλὰ διὰ μιᾶς ἀντὶ τῶν τριῶν τὸν βαπτιζόμενον τελειώσωσι, μᾶλλον δὲ εἰπεῖν οἰκειότερον συντελέσωσιν, οὐδ' ἂν τὰ μὲν ἄλλα τῆς ἐντολῆς ἐκτελέσωσιν, εἰς δὲ τὸν θάνατον τοῦ κυρίου βαπτίσωσιν, οὐ μὲν οὖν τῆς αἰτίας οὐκ ἀπολύονται· τῷ δ' αὐτῷ περιπίπτουσι καὶ κρίματι καὶ ἐγκλήματι· ἡ γὰρ ἐν τοῖς ὁμοίοις παράβασις τὴν ὁμοίαν τιμωρίαν εἰσπράττεται· καὶ γὰρ ἐπίσης πρὸς τὴν ἀθέτησιν ἀποκλίνουσι τῆς σεβασμίου ἐντολῆς καὶ ὅσοι καθ' ἕτερόν τινα τρόπον βαπτίζειν ἐτόλμησαν, καὶ ὅσοις ἔδοξε τῇ ἐπικλήσει τοῦ χριστοῦ, ἢ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἱερουργεῖσθαι τὸ βάπτισμα.

tem tam horrendae minae sunt? Apostolorum scilicet audiendae sunt caelesti suffragio latae leges, quae clarissima voce clamant: siquis episcopus aut presbyter (audi homo; quamquam singulari attentione non est opus, quoniam nihil aliud quam dominicam traditionem sanciri ab his patet) siquis contra Domini mandatum, non baptizaverit in patre et filio et spiritu sancto, deponatur. Neque hactenus poenam statuunt: sed si etiam nomina nominibus commutare baptizantes ausi fuerint, licet trinitatis numerum non imminuerint, nihilominus quin parem poenam subeant, fieri non potest: aeque enim dominico dogmati iniurii sunt. Et si forte appellationes secundum traditionem retineant, rationem tamen in baptismo legitimam non simul usurpent, verum unica pro tribus immersione baptizandum initient, seu ut aptius loquar perficiant; item si reliquas praecepti partes curent, in Christi autem morte baptizent, crimine non vacabunt; immo haud minora culpa noxaque semet irretient. Nam aeque ad venerandi mandati violationem incumbunt tum qui alio ritu quolibet praeter legitimum baptizant, tum qui cum Christi aut mortis eiusdem appellatione baptismum conficiunt.

(1) Tum canones vulgo apostolicos tum constitutiones (etsi scriptum utrumque pervetustum est) mentiri nomen apostolorum, nemo iam dubitat. Quare Photii argumentum hinc petitum etsi nullum non est, vires tamen apostolicas non habet.

(2) Canon. apost. XLVIII. XLVIIII. Item const. apost. lib. VII. 23.

κ. Ἀκούεις ὦ Παῦλε; ἀλλ' ἀνάσχου καὶ μετὰ στεφάνους πρὸς ἀγῶνας ἀποδύεσθαι· πάλιν πορθεῖς τὴν ἐκκλησίαν, πάλιν ἐπιστολὰς παρὰ τῶν ἰουδαϊκῶν ἀρχιερέων λαμβάνεις, μετὰ δὲ τὸν Παῦλον εἰς Σαῦλον ἐξίστης· καὶ πῶς ταῦτα διδάξας, πάλιν λέγεις εἰς τὸν θάνατον τοῦ χριστοῦ πάντας βαπτίζεσθαι; καὶ νῦν μὲν μετὰ τῶν συναποστόλων καὶ συναγωνιστῶν ποινὰς τῶν καθ' ἕν τι τούτων βαπτίζειν τολμῶντας ἀπαιτεῖς, νῦν δὲ καθ' ἑαυτὸν γενόμενος, οὐ μόνον λέγεις οὐδ' ἐν γωνίᾳ, ἀλλὰ καὶ κηρύττεις· καὶ οὐχὶ κηρύττεις μὲν, οὐ γράφεις δὲ, ἀλλὰ καὶ γράμματι τὸ κήρυγμα ῥωμαίοις μάλιστα γράφων, εἰς ἄμαχον ἐπαίρεις ἰσχὺν εἰς τὸν θάνατον τοῦ χριστοῦ τοὺς βαπτιζομένους βαπτίζεσθαι· ἀλλ' ὁ μὲν τῆς ἀληθείας κῆρυξ τῶν εἰσαγόντων τοῦ βαπτίσματος τὴν καινοτομίαν, κἀκεῖνον αὐτὸν ἐπιψηφίζεσθαι τῇ δόξῃ κατηγορούντων, ὧδε ἂν αὐτοὺς ἐπιστομίσειε.

κα. Ναί φησιν ὁμολογῶ μὲν τοὺς βαπτισθέντας, εἰς τὸν θάνατον τοῦ χριστοῦ βαπτίσασθαι, οὐχ ὁμολογῶ δὲ τὸ βάπτισμα τῇ τοῦ θανάτου αὐτοῦ ἐπικλήσει ἱερουργεῖσθαι· μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τελεῖσθαι μὲν τοῦτο τὸ δῶρον τῆς ἀφέσεως, ὡς αὐτὸς ὁ σωτὴρ παραδέδωκεν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· σύμβολον δ' εἶναι τοῦτο τοῦ θανάτου αὐτοῦ, διὰ τῆς τριττῆς καταδύσεώς τε καὶ ἀναδύσεως τὴν τριήμερον αὐτοῦ ταφὴν καὶ ἀνάστασιν εἰκο-
Rom. VI. 3. νίζον τε καὶ διατυπούμενον· διὸ καὶ οὐχ ἁπλῶς εἶπον εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν, ἀλλὰ προτάξας τὸ ὅσοι εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθημεν, οὕτως ἐπήγα-

20. Audin Paule? Igitur te compara post coronas ad subeundos agones: rursus ecclesiam vastas, rursus epistulas a iudaicis pontificibus refers: quum iam Paulus fueris, iterum in Saulum recidis. Nam cur qui talia docueris, nunc omnes iubes in Christi morte baptizari? Et modo cum apostolis laborumque sociis poenas ab iis reposcis, qui cum qualibet ex his formis baptizare ausi fuerint; modo ipse singillatim non solum in angulo dicis, sed et praedicas: nec solum praedicas, scribendo tamen abstinens, sed litteris et quidem ad Romanos scriptis praeconium commendans, summam tribuis auctoritatem baptismo in Christi morte collato. Sed enim veritatis praeco eos qui baptismi novitatem invehunt, seque ipsum sententiae eorum adstipulari calumniantur, sic fere refutabit.

21. Equidem ego aio baptizatos baptismum in Christi morte recepisse: non tamen aio baptismum in eiusdem mortis invocatione conferri; quod absit: sed dico remissionis hoc donum fieri, prout ipse servator tradidit, in nomine patris et filii et spiritus sancti: id vero esse symbolum mortis eius, quia tribus immersionibus totidemque emersionibus triduanam ipsius sepulturam resurrectionemque deformat atque exprimit. Idcirco haud simpliciter dixi im morte eius baptizati sumus; sed quum antea dixissem, quotquot in Christo baptizati

γον τὸ εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν· τῇ κατὰ συνέχειαν παραθέσει τῶν διαφόρων ἐννοιῶν τε καὶ ὀνομάτων, κατὰ μὴ δὲ μίαν μὲν ἱερουργεῖσθαι τὸ βάπτισμα διδαξάμενος, ἢ γὰρ ἂν τἀναντία καὶ μάλιστα ἅμα φρονῶν τε καὶ λέγων ἑαλωκὼς εἴην· ἀλλὰ διὰ μὲν τοῦ εἰπεῖν εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθημεν, ὅτι κατὰ τὴν αὐτοῦ μυσταγωγίαν βαπτισθῆναι παρεδήλωσα· διὰ δὲ τοῦ εἰπεῖν εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν, ὅτι τύπον φέρει καὶ εἰκόνα τοῦ τὴν ἀθανασίαν ἡμῖν πηγάσαντος θανάτου αὐτοῦ τὸ σωτήριον βάπτισμα· ἕτερον δὲ παντελῶς ἐστι λέγειν ταῦτα ὅπερ καὶ ἡμεῖς τιθέμεθα, καὶ ἕτερον τὸ λέγειν ὅτι τῇ ἐπικλήσει τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ὃ καταδικάζομεν, τὸ τῆς παλιγγενεσίας ἱερουργεῖται μυστήριον· οὔκουν ἡμεῖς μετέστημεν, οὐδὲ πρὸς τὰς ἰουδαϊκὰς ἐπιστολὰς ὧν κατεγνωμεν ἐπεστράφημεν· ἅπαξ τὰ οὐράνια δόγματα οὐκ ἐν λιθίναις πλαξὶν ἀλλ' ἐν στερροτάταις καὶ ἀθραύστοις ἐγγραφέντες τῆς ψυχῆς πίναξιν· ἐκεῖνοι δὲ μεθιστᾶν ἐπιχειροῦσι τὸν Παῦλον εἰς Σαῦλον, καὶ τὰ ἄλλα διασύρουσιν, κἂν ὁμολογεῖν ἐπαισχύνωνται, οἷς παρανοεῖν καὶ συκοφαντεῖν τοὺς ἐμοὺς ἐπῆλθε λόγους· ἐπεὶ τάς γε κοινὰς τῶν συναποστόλων ψήφους καὶ αὐτὸς ὁμοίως στέργων καὶ κυρῶν, τοὺς καθ' ἕτερόν τινα τρόπον βαπτίζειν ἀποτολμῶντας καὶ μὴ κατὰ τὴν δεσποτικὴν μυσταγωγίαν, κἂν τῆς τριάδος ἰσάριθμα τὰ ὀνόματα παραλαμβάνωσι, κἂν οὐδὲν μὲν τῶν ἄλλων παραχαράττωσι, διὰ μιᾶς δὲ καταδύσεως τὸ βάπτισμα ἀπαρτίζωσι, κἂν μὴ δὲ τούτοις ἐνέχωνται, εἰς δὲ τὸ τοῦ χριστοῦ κλῆ-

sumus, deinde addidi, in morte eius baptizati fuimus: scilicet hac proxima differentium sententiarum ac nominum adiectione satis docens, secundum nullam ex his formis baptismum confici. Alioquin contraria maxime et sentire et dicere coarguerer. Sed revera cum dixi in Christo baptizati sumus, secundum eius initiandi ritum baptizatos nos declaravi: cum autem dixi in morte eius baptizati fuimus, nihil aliud significavi, nisi quod baptismus a servatore institutus typum prae se fert atque imaginem mortis eius, quae immortalitatis fontem nobis reseravit. Aliud autem omnino est sic loqui ut nos ediximus; aliud est adfirmare (quae damnata a nobis sententia est) regenerationis mysterium cum invocatione mortis Christi confieri solitum. Haud nos igitur mentem immutavimus, neque ad iudaicas epistulas iam a nobis improbatas reversi sumus: qui videlicet caelestia dogmata non in lapideis, sed firmissimis et numquam frangendis animi tabulis inscripsimus. Illi potius Paulum transformare in Saulum nituntur, atque in aliis eiusmodi obtrectant, quamquam id ipsum fateri eos pudet, quos perperam intelligere et calumniari sermones meos iuvat. Ego sane communes meorum in apostolatu sociorum sententias ipse quoque amplectens ac sanciens, homines illos qui alio quovis modo baptizare audent, quam fit in dominica initiandi formula; etiamsi trinitatis tria nomina adhibeant, etiamsi nihil reliquorum omittant; si ta-

σιν βαπτίζωσιν, ἢ εἰς τὴν τοῦ θανάτου αὐτοῦ, κἂν ἄλλην τινὰ ἐπίνοιαν ἐπινοήσωσι καινοτομοῦσαν τὴν θείαν αὐτοῦ καὶ σωτήριον παράδοσιν, οὐδὲ μιᾶς ἴσως γε φειδοῦς τοὺς τοιούτους ἀξιώσαιμι· ἀλλὰ τὸν ἐφ' ἑνί τινι τῶν εἰρημένων ἁλόντα, ἢ τινὶ τῶν τούτοις παραπλησίων, τῆς αὐτῆς καταδίκης οὐκ ἀλλοίην μὴ γραφόμενον ἔνοχον· οὐ γὰρ ἡ τῆς τῶν ὀνομάτων ποιότητος ἐναλλαγὴ πρὸς τὸ μέτριον ἄγει τὸ ἔγκλημα, ἀλλὰ τῆς ἐντολῆς ἡ παράβασις τῆς αὐτῆς καταδίκης τοῖς ἐνόχοις καθίσταται πρόξενος. Ταῦτα Παῦλος τῆς ἐκκλησίας ὁ ῥήτωρ, συνηγορῶν μὲν αὐτῆς τῷ ἔθει καὶ τῇ πράξει, κρατύνων δὲ τὴν σωτήριον ἐντολήν, ἐπιστομίζων δὲ τοὺς ὅσοι πρὸς τοὐναντίον ῥέπειν ἐπεχείρησαν, τῶν προλαβόντων αὐτὸν εἰς τὴν ἐκλογὴν καὶ ἀποστολὴν ἐπισφραγιζόμενος τὰ ψηφίσματα· σὺ δὲ τί λέγεις ἔτι; ἆρα δυνατόν ἐστιν ἄλλοις μὲν παράβασιν ἐγκαλεῖν, αὐτοὺς δὲ καθίστασθαι διδασκάλους τῆς παραβάσεως; καὶ λαμβάνειν μὲν παρ' ἑτέρων τῆς παραβάσεως ποινάς, ἑαυτοὺς δὲ νομίζειν ἀνευθύνους εἶναι τοῦ τολμήματος; καί τοι καὶ ὧν ἥμαρτανον ἕτεροι, εἴπερ ἥμαρτανον, ἐκείνους ἐχρῆν ὑπέχειν τὴν δίκην, ὡς τῆς αἰτίας ἀπ' αὐτῶν εἰς ἐκείνους δοθείσης· ἀλλὰ γὰρ ἱκανὰ καὶ ταῦτα οἶμαι.

κβ. Καιρὸς δ' ἂν εἴη συνορᾷν δι' ὅσων τῶν ἐξ ἀρχῆς ἀπορήματος ἐπιχειρημάτων προελήλυθεν ἡ λύσις· πρόεισι μὲν γὰρ καθ' ἕνα λόγον διαστελλομένων τῶν σημαινομένων τοῦ ὀνόματος καὶ τῆς συγχύσεως διακρινομένης· ὥς τε σαφῶς εἰδέναι πότε μὲν τὸ κύριον αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ τὸ ὄνομα σημαίνει, πότε

men hi una immersione baptismum conficiant; et si ne id quidem committant, sed vel in Christi invocatione baptizent, vel in eius morte, vel aliam quamlibet novitatem, praeter servatoris traditionem, excogitent; ego hos nulla venia dignabor; sed eum qui vel in uno e supradictis peccaverit vel in alio simili, sine dubio reum agam. Non enim quia nominum qualitas variatur, ideo leve crimen contrahitur; sed quia mandatum violatur, idcirco reus damnatione feritur. Haec Paulus ecclesiae orator, mori huius praxique patrocinans, servatoris praeceptum confirmans, os illorum occludens qui contrarium factitare ausi essent, suorum autem in electione et apostolatu praecessorum decreta sigillo muniens. Tu vero quid iam ais? fieri ne potuit ut apostoli transgressionem aliis exprobrarent, ipsi magistri transgressionis essent? atque ab aliis noxae penas reposcerent; ipsi impune peccaturos se crederent? quid quod, siquid alii peccabant, si tamen peccabant, ipsi ob id plectendi erant, quia causa criminis illis fuerant? Sed hactenus dicta sufficiant.

22. Nunc uno intuitu videndum superest, quibusnam ex argumentis propositae ab initio quaestionis solutio dimanet. Haec primo a singulorum vocabuli *nomen* significatuum distinctione, atque a confusionis discriminatione deducitur: ita ut perspicue sciamus quandonam *nomen* significatum proprium

δὲ δόξαν καὶ τιμὴν τοῦ ὀνομαζομένου, καὶ πότε τὴν διδασκαλίαν αὐτοῦ καὶ τὸ κήρυγμα· συνεπικροτεῖ δὲ τὴν λύσιν καὶ τὸ λαβεῖν ἐπιστήμην μὴ διαπαντὸς ἕπεσθαι τῷ τύπῳ τῆς φωνῆς τὴν τῶν νοημάτων ὁμοιότητα· οὐδὲ γὰρ τὸ εἰς τὸν θάνατον τοῦ χριστοῦ, οὐδὲ τὸ εἰς χριστὸν βαπτισθῆναι λέγεσθαι, οὐ μὲν οὖν ἀλλ' οὐδὲ τὸ εἰς ἓν σῶμα, διὰ τὸ σχῆμα τῆς φωνῆς τὴν αὐτὴν παραστήσουσι διάνοιαν· ἀλλ' ὅσον ταῦτα τῇ προφορᾷ τῶν ῥημάτων καὶ τῶν ὀνομάτων συνεγγίζει τε καὶ συσχηματίζεται, τοσοῦτον ἀπ' ἀλλήλων κατὰ τὴν τῶν νοημάτων διέστηκεν ἑτερότητα· καὶ πρὸς τούτοις ἃ τὴν ἄλλαις ἐπιδέδεικται τῶν ἀτόπων συνεπομένων ἐπιλύσεσιν· ἔτι δὲ ὅτι μὴ δὲ οἷον ἦν τῶν μαθητῶν τὴν τοῦ διδασκάλου νομοθεσίαν καινοτομούντων ἑτέρωθεν ἀνακτήσασθαι, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ μέχρι νῦν ἐκράτει τῆς ἐντολῆς ἀθέτησις, οὐκ ἐχούσης πάροδον τῆς νῦν θειαζομένης τῇ ἐκκλησίᾳ καταστάσεως· καὶ ὅτι μάρτυρες τῆς τοιαύτης ἐπιλύσεως τῶν μαθητῶν οἱ κορυφαῖοι καθεστήκασι Πέτρος καὶ Παῦλος· καὶ τὸ φρικτὸν καὶ φοβερὸν, ὅτι συνοδικὴ τῶν ἀποστόλων καὶ ἀδυσώπητος καταλαμβάνει ψῆφος τοὺς καθ' ἕτερόν τινα τρόπον βάπτισμα παρὰ τὸν τοῦ δεσπότου νόμον τολμῶντας ἐπιτελεῖν, καὶ ἀντινομοθετεῖν τῇ ἐκείνου κυριότητι· διὰ τοῦτο καὶ ἡ ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐκκλησία κατὰ διαδοχὴν τῶν ἀποστολικῶν πράξεών τε καὶ κηρυγμάτων εἰς ὄνομα πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος βαπτίζουσα, μετὰ τὸ καθαρθῆναι τοὺς βαπτισαμένους τῇ ἀναγεννήσει, εὐμελεῖ τε καὶ διαπρυσίῳ εἴωθεν ὑποψάλλειν τῇ φωνῇ,

habeat; quando item gloriam honoremque nominati denotet; rursus quando eiusdem doctrinam ac praedicationem. Favet praeterea solutioni si probe noscamus, haud adamussim congruere cum vocis typo sententiarum similitudinem. Nam neque locutiones in Christi morte, et in Christo baptizari, et in uno corpore, sub eodem vocis schemate eandem sententiam exhibent: sed quantum hae verborum ac nominum pronunciatione proximae invicem sunt et configuratae, tantundem inter se differunt sententiarum diversitate. His adde demonstrationes, quae ex consequentium absurdorum solutionibus manant. Praeterea, quod si discipuli legi magistri novitatem suam supposuissent, lex postea illa instaurari aliunde non potuisset, verum huc usque abrogatio eius mansisset, neque postliminium extitisset consuetudinis eius, quae nunc in ecclesia divinitus viget. Insuper quod huius solutionis suffragatores sunt discipulorum principes Petrus et Paulus: quodque longe gravissimum tremendumque est, synodica apostolorum et inexorabilis sententia percutit eos qui alio quovis modo, praeter quam a Domino mandatum fuit, baptisma conficiunt, et contra eius supremam potestatem decernunt. Quare toto orbe terrarum propagata ecclesia, quae secundum actuum praeconiorumque apostolicorum traditionem baptizat in nomine patris et filii et spiritus sancti, postquam baptizatos regeneratione purgavit, modulata claraque voce solet canere, quotquot

ὅσοι εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθητε, χριστὸν ἐνεδύσασθε (1)· οὐδὲν ἧττον ἀνακηρύττουσα, ὅτι καθάπερ νῦν τοὺς εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον βαπτισθέντας, εἰς χριστὸν λέγομεν βαπτισθῆναι καὶ χριστὸν ἐνδύσασθαι, οὕτω καὶ τῶν ἀποστόλων ὁ χορὸς τὸ τῆς ἀναγεννήσεως λουτρὸν ἱερουργοῦντες, τῇ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπικλήσει, βαπτίζειν ἐλέγοντο εἰς χριστὸν, καὶ ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ τὰ παραπλήσια (2).

QUAESTIO LXXIII.

I. Cor. XI. 27. Πῶς νοητέον τὸ ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ κυρίου ἀναξίως, ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου· καὶ ἑξῆς.

α. Ἡ μετάληψις τοῦ δεσποτικοῦ σώματος καὶ αἵματος τροφή τις οὖσα νοερὰ καὶ τὰς ψυχικὰς δυνάμεις ἀναρρωννῦσα, ἐπεὶ τῷ ἐκ ψυχῆς καὶ σώ-

in Christo baptizati estis, Christum induistis. Atque ita praedicare non dubitat, sicuti nunc in patre et filio et spiritu sancto baptizatos suscepisse baptismum dicimus et Christum induisse; ita coetum apostolorum regenerationis lavacrum administrantem cum patris et filii et spiritus sancti invocatione, dictum olim fuisse baptizare in Christo, et in nomine Iesu Christi, et similibus formulis.

Quomodo intelligenda sint verba illa qui manducaverit hunc panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Et reliqua.

1. Dominici corporis sanguinisque sumptio, quae est intellectualis quaedam atque animae vires reficiens alimonia, quandoquidem animanti, quod cor-

(1) Vide Graecorum euchologium cap. de baptismate.

(2) Photio ut scriberet luculentam hanc de baptismi formula dissertationem, vix dubito quin causam obtulerit controversia per id tempus denuo commota, quam e celebri s. Nicolai I. papae responso ad Bulgaros satis cognoscimus, de baptismo nimirum in s. trinitatis vel in Christi nomine administrato. Quod autem Photius neque hoc scripto neque illa epistula encyclica, quae est secunda inter editas, contumeliarum et criminationum in romanos Bulgarorum doctores plena, quicquam huiusmodi Nicolao viventi obiecerit, id rursus comprobat inhumaniter et inique facere eos qui Nicolao maledicunt, cui vel acerbissimus hostis in hac parte obtrectare non est ausus. Ad rem ipsam quod attinet, quaestio sane historica potius est, utrum nempe apostoli peculiari aliquo iure ab evangelica forma aliquando discesserint, nec ne. Nam quod certe in praesenti aliis verbis baptizare non liceat, nisi evangelicis et in ecclesia universa usitatis, nemo iam negat. Inter multos recentiores, qui controversiam curiose ventilarunt, theologos, Harduinus et Calme-

ματος συνεστῶτι προσφέρεται ζώῳ, ἐν σωματικῇ οὐσίᾳ καὶ αὐτὴ τὴν πνευματικὴν χάριν καὶ τὸν ἁγιασμὸν παρέχει· ὅθεν διὰ τοῦ στόματος εἰς τοὺς μυστικοὺς θαλάμους τῆς φύσεως προϊοῦσα, εἰς ὅλον μὲν οἰκονομεῖται, καὶ ὅλον καθαγιάζει τὸ ζῶον, μᾶλλον δὲ εἰς αὐτὴν τὴν ψυχὴν καὶ τὸν νοῦν τῆς χάριτος καὶ τοῦ ἁγιάσματος ἐπιδαψιλεύεται τὴν ἐνέργειαν· χρὴ τοίνυν τοὺς ἀπολαύειν μέλλοντας τῆς ἱερᾶς ταύτης καὶ νοερᾶς τροφῆς, μὴ ἀγνοεῖν τίς ἐστιν ἡ δύναμις αὐτῆς, καὶ τίς ἡ πάντα νοῦν ὑπερέχουσα δι' αὐτὴν παρεχομένη εὐεργεσία καὶ δωρεά· οἷον ὡς ὁ προαιώνιος λόγος, ὁ ἐν ἀρχῇ ὤν, καὶ πρὸς τὸν θεὸν ὤν, καὶ θεὸς ὤν· οὗτος ὁ τῆς φύσεως ἡμῶν δημιουργὸς ἐκ παρθενικῶν αἱμάτων σάρκα δανεισάμενος, ὁ πλουτῶν θεότητα, ἄνθρωπος κατηξίωσε χρηματίσαι δι' ἡμᾶς, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· καὶ ὁ ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ, μορφὴν ἀνέλαβε δούλου, ἑκατέρας φύσεως τοὺς ὅρους ἐν τῇ αὐτοῦ μιᾷ ὑποστάσει ἀσυγχύτους καὶ ἀχωρίστους διασωσάμενος· ἐκένωσεν οὖν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀκενώτως, καὶ γεγονὼς ὅμοιος ἡμῖν κατὰ πάντα χωρὶς ἁμαρτίας, (*Hebr.* IIII. 15.) οὐκ εὐεργετῶν μόνον καὶ ἰώμενος τὰς ἀσθενείας ἡμῶν διετέλεσεν, ἀλλὰ καὶ βλασφημούμενος καὶ ἀχαριστούμενος, οὐδὲν ἧττον τῶν ὑπὲρ λόγον δωρεῶν τὴν ἀφθονίαν οὐ συνέστελλεν· καὶ ὕβρεις καὶ χλεύην ὑπὸ τῶν εὐεργετουμένων ὑφιστάμενος, τῆς ἀφάτου φιλανθρωπίας οὐκ ἀφίστατο· ἀλλὰ

pore animaque constat, praebetur; idcirco per corpoream substantiam ipsa quoque spiritalem gratiam et sanctificationem confert. Quare per os in mystica naturae humanae conclavia permeans, universum bene disponit atque sanctificat animal, praecipue tamen animae ac menti gratiae sanctimoniaeque liberaliter vim suppeditat. Itaque oportet eos, qui hoc sacro spiritalique cibo fruituri sunt, minime nescire quaenam eius sit virtus, vel quodnam ab eo conferatur beneficium ac donum, quod sane vix ulla mente comprehendi potest: nempe quod ipsum sit ante saecula existens verbum, quod erat in principio, quod apud Deum erat, Deus ipse. Hic nostrae naturae auctor virgineo de sanguine carnem sibi adeptus, qui erat divinitate dives, homo fieri propter nos voluit, ac nobiscum diversatus est: et qui erat in forma Dei, formam servi recepit, utriusque naturae terminos in unica sua persona inconfusos inseparabilesque servans. Exinanivit ergo sine exinanitione se ipsum, ac similis nobis per omnia effectus absque peccato, non solum bene fecit infirmitati nostrae ac medicatus est; verum etsi blasphemiis appetitus, atque ingratos expertus homines, nihilominus inenarrabilium donorum affluentiam non compescuit: iniuriasque et convicia ab iis qui eius beneficiis usi fuerant perpessus, ab inef-

tus eminent atque Ursus. Et duo quidem priores cum inedita Photii sententia (quam ceteroqui non legerant) satis conspiraverunt: Urso autem, copioso licet et docto, qui ab his dissidet, et tunc statim pro opinione sua contra theologum quendam sorbonicum decertandum fuit, et nunc gravior Photius post fata adversarius exoritur. Photio denique consonant Didymus de Sp. S. cap. 24, et Theophylactus sub finem commentarii ad Lucam.

καὶ σταυρὸν καὶ θάνατον ἤνεγκεν, ὥστε τοὺς ὑβριστὰς θανάτου καὶ φθορᾶς ἀπαλλάξαι, καὶ πρὸς ἀθανασίαν καὶ ἀφθαρσίαν τὸ θνητὸν ἡμῶν καὶ φθαρτὸν διὰ τῆς ἰδίας ἀναστάσεως μεταπλάσαί τε καὶ ἀνυψώσασθαι.

β. Τούτων δὲ πάντων τῶν ἀγαθῶν ἀῤῥαβῶνα τε καὶ θεμέλιον τὴν οἰκείου σώματος καὶ αἵματος τὴν μετάληψιν προκατεβάλλετο· ὡς ἂν ταύτης ἐν μετουσίᾳ γινόμενοι τῆς οὐρανίου καὶ ἀθανάτου ζωῆς ἐν ἑαυτοῖς ἔχειν πιστεύωμεν τὰ προοίμια· καὶ γὰρ ἡ ἐνυπόστατος ἀλήθεια φησὶ, ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πί-
Io. VI. 55. νων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον· ἐπειδὴ τῇ μετοχῇ τῆς ἀχράντου σαρκὸς αὐτοῦ σύσσωμοι καθιστάμενοι, καὶ τῆς ἀφθαρσίας καὶ ἀθανασίας καταξιούμεθα· ὁ τοίνυν τοὺς λογισμοὺς αὐτοῦ τούτοις ἀναστρέφων καὶ στηριζόμενος, καὶ τὸ πλοῦτον τῶν εὐεργεσιῶν ἐπερχόμενος, ἐπειδὰν μέλλει τῆς μυστικῆς ταύτης καὶ ἀκηράτου τροφῆς μετέχειν, δῆλον ὅτι καθαρὸν καὶ ἀμέτοχον τῶν πονηρῶν πράξεων ὀφείλει παρασκευάζειν ἑαυτόν· οἷα δὴ μέλλων τὸν βασιλέα πάντων καὶ δεσπότην τῇ παρουσίᾳ τοῦ σώματος αὐτοῦ ἐν τοῖς τῆς ψυχῆς ὑποδέξασθαι θαλάμοις συνανακιρνάμενον ἀῤῥήτῳ λόγῳ καὶ ὑπὲρ κατάληψιν φιλανθρωπίᾳ, καὶ συμφυόμενον σώματι τῷ ἡμετέρῳ· ὁ δὲ μὴ προκαθηράμενος ἑαυτὸν τῶν μολυσμάτων καὶ παθῶν ὅσα τε τὴν ψυχὴν καὶ ὅσα τὸ σῶμα λυμαίνεται καὶ καταμολύνει, ἀλλὰ ῥυποῦντι μὲν βίῳ, ῥυποῦντι δὲ λογισμῷ τῆς μυστικῆς προσιὼν καὶ ἀπαθανατιζού-

fabili benivolentia non destitit; sed crucem necemque pertulit, ut inimicos suos morte et corruptione liberaret, atque ad immortalitatem et incorruptionem mortale hoc nostrum et corruptibile corpus per suam resurrectionem transferret atque attolleret.

2. Iam vero horum bonorum omnium arrhabonem ac fundamentum statuit proprii corporis sanguinisque sumptionem: ita ut huius participes effecti, caelestis atque immortalis vitae intra nos ipsos habere credamus primitias. Etenim substantialis ipsa veritas dicit: qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam. Nam per communionem immaculatae carnis idem cum eo corpus effecti, incorruptione quoque et immortalitate digni efficimur. Qui ergo haec mente revolvit atque defigit, ac beneficiorum copiam recolit, quotiescumque mystici huius inlibatique cibi particeps est futurus, hunc constat purum se pravisque operibus alienum praestare debere: quippe qui universalem regem ac dominum corpore ipso praesentem excepturus est, conclavibus animae ineffabili ratione et incomprehensibili clementia infusum, nostroque corpori immixtum. Iam qui se ipsum maculis atque passionibus haud ante purgaverit, quaecumque animum eius corpusque impiant ac foedant; sed sordida vita sordidaque mente ad mysticam, quae immortalitatem donat, mensam vescendi causa accesserit; hic mehercule gratiae non fit particeps: neque enim putre vas unguentum continere potest; neque margarita

σης τραπέζης μετασχεῖν, οὗτος οὐ μετέχει μὲν τῆς χάριτος· οὐδὲ γὰρ σαπρὸν
δοχεῖον μῦρον ὑποδέξασθαι δύναται· οὐδὲ μαργαρίτης βορβόρῳ καταπιστεύεται·
ἀλλ' ὑβρίζων καὶ ἀτιμάζων τὸ κρεῖττον οὐ μόνον ὕβρεως ἀλλὰ καὶ τιμῆς, οὗ-
τος ἀπαραιτήτου κρίματος ἑαυτὸν ἀπέφηνε μέτοχον· ἐξύβρισε γὰρ τὸ σῶμα τὸ
δεσποτικὸν, εἰς ὃ τῶν ἰουδαίων ἡ τόλμα σταυρῷ προεξύβρισεν ἀναρτήσασα· διὸ
καὶ ὁ πυρούμενος καὶ ἀσθενῶν ὑπὲρ τῶν σκανδαλιζομένων τῇ πίστει καὶ ἀσθενούν- II. Cor. XI. 29.
των, τὸ μέγεθος τοῦ ἁμαρτήματος παριστῶν, οὐκ ἠρκέσθη ἅπαξ εἰπεῖν ὡς ἔνο-
χός ἐστιν ὁ τοιοῦτος τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου, ἀλλὰ καὶ δεύτερον
πάλιν ἐπιμαρτύρατο, ὡς ὁ ἐσθίων καὶ πίνων ἀναξίως τὸν ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον I. Cor. XI. 29.
τοῦ κυρίου, κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει.

γ. Καὶ τοῦτό ἐστιν ὅπερ αὐτὸς ὁ τῶν ἀθεάτων θεωρὸς καὶ τῶν ἀῤῥήτων ῥή-
τωρ καὶ διδάσκαλος ἔφησεν ἔνοχον εἶναι τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου,
τὸν ἀναξίως ἐσθίειν αὐτὸ καὶ πίνειν ἀποθρασυνόμενον· τί γὰρ, ἐνὸν καθαίρειν
ἑαυτὸν καὶ ἀποσμήχειν διὰ μετανοίας τῶν μολυσμάτων, οὕτω τε προσιέναι τῷ
καθαρωτάτῳ, μᾶλλον δὲ τῷ ὑπὲρ πᾶσαν ἔννοιαν πηγάζοντι κάθαρσιν, ἐγὼ
δὲ τοῦτο μὲν ἐπὶ λογισμοὺς ἀναλαβεῖν καὶ μετελθεῖν, οὐδεμιᾶς γίνομαι φρον-
τίδος; ἵνα δὲ δόξω καθαρὸς εἶναι τοῖς ὁρῶσι, καὶ ἄξιος τοσαύτης χάριτος
καὶ ἀπολαύσεως, τὴν ἐμὴν ὑβρίζω σωτηρίαν; καὶ παίζειν οὐ φρίττω εἰς ἃ ἐπι- I. Petr. I. 12.
θυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι; ὄντως οἱ δόξαν παρ' ἀλλήλων λαμβάνοντες, Ioh. V. 44.
οὔτε τὴν παρὰ τοῦ μόνου θεοῦ δόξαν ζητοῦσιν, οὔτε τῷ μεγέθει τοῦ μυστηρίου

sterquilinio commendatur: tum quia violat ac dehonestat rem non modo contumelia indignam, sed cui par honor adhiberi nullus potest, is summi sceleris semet ipsum reum constituit. Iniurius enim est in dominicum corpus, sicuti adversus idem iniuriosa fuit olim Iudaeorum audacia, a qua cruci suffixum fuit. Quamobrem is qui urebatur quodammodo et aegrotabat propter eos qui fide labebantur et laborabant, dum huius peccati magnitudinem demonstrare studet, non satis habuit semel dixisse, eiusmodi hominem corporis ac sanguinis Domini esse reum; sed mox rursus testatus est, qui manducat panem bibitque calicem Domini indigne, hunc sibi iudicium manducare ac bibere.

3. Atque in hanc nimirum sententiam ipse rerum invisibilium spectator et ineffabilium narrator atque magister reum esse dicit corporis et sanguinis Domini quicumque indigne manducare et bibere audet. Quid enim? Cum vacet purgare me ipsum maculasque paenitentia abstergere, atque ita ad purissimam rem, immo ad puritatis affluentem prae quam cogitari potest fontem accedere; ego contra nulla id cogitatione curave dignabor? atque ut purus spectantibus videar, dignusque hac gratia et rei usu, meam ipse contumelia salutem adficiam, neque illudere illi extimescam in quem angeli optant prospicere? Profecto qui gloriam invicem aucupantur, hi neque eam quae a solo Deo est

πιστεύουσιν· ὁ μὲν γὰρ φιλάνθρωπος ἡμῶν πλαστουργὸς, ἀναξίους ὄντας τὸν ὑπὲρ λόγον ἠξίωσεν· ἡμεῖς δὲ τούτων ἀξιωθέντες καὶ σύσσωμοι καὶ συμμέτοχοι χρηματίζειν αὐτοῦ (ἂν ἄρα βουλώμεθα, ῥώμην καὶ χάριν λαβόντες, καὶ πρὸς τοσοῦτον ἀνελθεῖν ἀξιώματος ὕψος) εἰ μὴ κατὰ πᾶσαν σπουδὴν καθαροὺς ἑαυτῶν παρασκευασώμεθα, πῶς οὐχὶ διπλῆς ἐνόχους ἀποφαινόμενοι ἑαυτῶν κατακρίσεως; μιᾶς μὲν, ὅτι τοσαύτην ἀγαθῶν ὑπερβολὴν ἐξὸν κερδαίνειν, ἀπωσάμεθα, καὶ τηλικαύτης ἑαυτῶν ὠφελείας τε καὶ σωτηρίας ἀπεστερήσαμεν· τοῦτο γὰρ αὐτὸ καὶ χωρὶς ἑτέρας εἰσπράξεως, μεγίστη καταδίκη· ὡς καὶ ὁ κύριος ἔφησεν, ὁ μὴ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν, ἤδη κέκριται, τουτέστι ἔχει τὴν δίκην· τίνα ταύτην; αὐτὸ τὸ μὴ πιστεῦσαι εἰς αὐτόν· ἑτέρας δὲ, ὅτι τοῦ δώρου καταφρονήσαμεν, ὅτι τὴν χάριν ὑβρίσαμεν, τὸν εὐεργέτην ἐξουθενήσαμεν· ὡς κοινῇ τραπέζῃ τῇ μυστικῇ τροφῇ καὶ συσσώμους ἡμᾶς τοῦ ἀχράντου σώματος αὐτοῦ παρασκευαζούσῃ, κατεχρησάμεθα· οὐκ οὖν οὐδὲν ἄμεινον οἱ τοιοῦτοι τῶν Ἰουδαίων διετέθησαν, οἳ τὸ φρικτὸν ἐκεῖνο καὶ ἀτόλμητον ἔργον ἐτόλμησαν, τὸ ζωοποιὸν σῶμα χριστοῦ ἐπὶ ξύλου κρεμάσαντες, καὶ τῇ λόγχῃ τοῦ αἵματος ἐκκενώσαντες· διόπερ εὐλόγως ὁ διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης ἐνόχους εἶναι τῶν τοιούτους τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου κατεψηφίσατο.

Ioh. III. 18.

gloriam quaerunt, neque mysterii magnitudini credunt. Nam clemens quidem noster creator indignos nos ineffabili dignatus beneficio est: nos autem tanto munere adfecti, nempe ut eius corporis participes simus (si certe voluerimus viribus acceptis et gratia ad tantae dignitatis culmen adscendere,) nisi omni studio nosmet ipsi puros praebuerimus, nonne duplici damnatione nosmet reos esse ostendemus? una quidem, quia quum liceret tantam bonorum copiam lucrari, renuerimus, nosque met tanto emolumento ac salute fraudaverimus. (Quippe hoc ipsum absque alia animadversione, maxima damnatio est, dicente Domino: qui non credit filio, iam iudicatus est; nempe sententiam intra se gerit. Quamnam? nempe quod ei non credidit.) Altera damnatio est, quod donum spreverimus, quod gratiae iniurii fuerimus, quod bene nobis facientem nullo pretio habuerimus: dum hac alimonia mystica, quae nos puri eius corporis facit participes, tamquam vulgari mensa abusi sumus. Ergo eiusmodi homines haud meliores Iudaeis sunt, qui horrendum illud et immane facinus perpetrarunt, cum vivificum Christi corpus ligno suspenderunt, spiculoque sanguinem exhauserunt. Quamobrem apta locutione mundi doctor reos hos corporis et sanguinis Domini pronunciavit.

QUAESTIO CXXXI.

Τί λέγεται μαγνῆτις.

α. Μαγνῆτις ὅπερ ἠρώτησας καλεῖται ἡ τὸν σίδηρον ἕλκουσα λίθος· ὅτι μάγνητας ἄνδρας λιθοφόρους, ἀρχηγοὺς φασὶ εὑρέσεως αὐτῆς γενέσθαι, καὶ τῆς ἐνεργείας εἰς γνῶσιν ἐλθεῖν· λιθοφόροις γὰρ ὡς ἔοικε κρηπῖσιν ὑποδεδεμένοι οὗτοι, ἐπεὶ κατὰ γῆς σιδηρίτιδος ἠρέμα βαδίζοντες γένοιντο, βάρους τινὸς καὶ δυσκινησίαν προσεχομένων τῶν ψήφων τοῖς σιδηρίοις ἀντελαμβάνοντο· θαῦμα δὲ προσπίπτον αὐτοῖς, καὶ πρὸς ζήτησιν τῆς αἰτίας ἀνακινοῦν, τὴν εὕρεσιν παρασχεῖν τῆς ἐν τῇ λίθῳ δυνάμεως· οὐ μόνον δὲ μαγνῆτις αὕτη καλεῖται, ἀλλὰ καὶ λυδία, καὶ ἡράκλεια *, καὶ σιδηρῖτις· δεῖ γάρ σοι σπουδαιολογουμένῳ περὶ ταῦτα, καὶ ἡμᾶς προσφιλοτιμήσασθαι· ἀλλὰ γὰρ σιδηρῖτις μὲν ἀπὸ τῆς ἐνεργείας ἧς περὶ τὰ σιδήρια ἐνδείκνυται· εἰ βούλει δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ὄψεως· ἔχει γάρ τι ἐμφερὲς κατὰ τὴν χρόαν ἀργῷ καὶ οὔπω διακαθαρθέντι σιδήρῳ· ἀλλὰ καὶ διότι ἐξ ἀρχῆς εὑρῆσθαι φασὶ αὐτὴν τοῖς τοῦ σιδήρου μετάλλοις ἀναμεμιγμένην· ἡράκλεια δὲ ὡς μὲν τισὶν ἔδοξε διὰ τὸ ἰσχυρὸν τῆς ὁλκῆς καὶ κρατερόν· μᾶλλον δ' ἂν ῥηθείη τὴν ἐπωνυμίαν ἕλκειν, διότι περὶ Ἡράκλειαν τὸ πρῶτον ὥς φασιν ἐφάνη· Ἡράκλειαν δὲ οἱ μὲν τὴν ἐν Πόντῳ ἱστορήκασι· τοῖς δὲ ἡ ἐν Σαμοθράκῃ ἔδοξεν· εἰσὶ δὲ οἷς ἑτέρα τῆς μαγνήτιδος ἡ σιδηρῖτις νομίζεται· ἣν καὶ λαμπρὰν

* Phot. lexic. p. 58.

Quid sit magnes.

1. Magnes de quo me interrogas, dicitur lapis ferrum attrahens: quia magnesii homines hunc lapidem gestitantes, rei inventores feruntur eiusque vim primi sensisse. Nam lapideis, ut credibile est, crepidis induti, dum tellure ferro abundante lente incederent, ponderitatem nescio quam motusque difficultatem, haerentibus ferro lapillis, experti sunt. Rei miraculo commoti atque ad causae vestigationem impulsi, vim lapidi insitam esse cognoverunt. Neque magnes tantummodo hic lapis appellatur, verum etiam lydius et heraclius et siderites. Nam tibi de hoc vocabulo accurate inquirenti, aequum est nos pari sedulitate respondere. Iam sideritae nomen a vi eius quam erga ferrum expromit dici constat: vel, si mavis, etiam ab eius specie: est enim eiusdem color prope similis naturali nondumque defaecato ferro: tum etiam quia principio inventum fuisse tradunt ferri metallo concretum. Tum heraclius nonnullis dici videtur, ob attrahendi vim validam et vigorem. Sed enim aequius appellationem sortitus videtur, quia circa Heracleam primo conspectus dicitur. Porro Heracleam alii Ponti tradunt, alii Samothraciae. Nonnulli existimant diversum esse a magnete sideritin: quem postremum splendidum et quaqua

ὅλως καὶ διαυγῆ φασὶν εἶναι, καὶ μαρμαρυγαῖς ἀργυριζούσαις χαρασσομένην δι' ὅλου τοῦ σώματος· εἴη δὲ καὶ λυδία τὴν κλῆσιν, ἴσως ἀπὸ τῆς πόῤῥω πατρίδος τῶν ἐρευνηκότων αὐτῆς τὴν ἐνέργειαν· ἢ εἴ τι ἄλλό τις ἀπὸ τοῦ πελάγους τῆς ἀρχαϊκῆς ἱστορίας καιρὸν λάβοι ἀναλέξασθαι (1).

β. Ἀλλ' ἡμᾶς γε προσήκει τὴν ἑλκτικὴν τοῦ λίθου ταύτης δύναμιν διασκοποῦντας, καὶ τὴν συμπάθειαν, καὶ τὸν οἷον ἔρωτα ὃν ἡ φύσις αὐτῇ πρὸς τὸν σίδηρον ἐνέθηκεν, ἀγάλλεσθαι μὲν τῆς δημιουργίας τὸν ἀριστοτέχναν Θεόν, αἰσχύνεσθαι δὲ τὴν τῶν ἀναισθήτων ἀλληλουχίαν καὶ συνάφειαν· ἐπειδὰν οἱ λόγῳ τιμηθέντες ἡμεῖς τὸν τῆς φιλοστοργίας καὶ ἀγάπης δεσμὸν οὐδ' ὁμοίως ἐκείνοις φυλάττωμεν· καί τοι γε σαφῶς διδασκόμενοι, ὡς εἰ καὶ πάσης ἀρετῆς εἶδος εἴημεν περιειλημμένοι, ἄνευ τῆς εἰς ἀλλήλους ἀγάπης καὶ τοῦ πνευματικοῦ τούτου φίλτρου καὶ δεσμοῦ, πάντα ἡμῖν διαῤῥυΐσκει καὶ οἴχεται· εἰ δὲ καὶ ἑτέρα τίς λέγεται λίθος ἐναντίαν τῇ προκειμένῃ τὴν φύσιν λαχοῦσα, ἧς ἡμεῖς μὲν οὔπω εἰς πεῖραν ἀφίγμεθα (τὴν δὲ φασὶν ἀπωθεῖσθαι αὐτῇ προσαγόμενα τὰ σιδήρια) καὶ τοῦτο ἡμέτερον· οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἡμεῖς μόνον τῷ δεσμῷ τῆς πνευματικῆς ἀγάπης ὀφείλομεν ἑνοῦσθαι καὶ συνδεδέσθαι πρὸς τὸ ὁμόφυλον, ἀλλ' ἔσθ' ὅτε καὶ ἀπω-

versus lucentem aiunt, argenteisque radiis toto corpore insignitum. Denique et nomen lydius, vel a longinqua illorum patria inditum est, qui virtutem eius deprehenderunt; vel de hac re quidvis alind ex antiquae historiae vorticibus expiscari pro libito licet.

2. Porro autem decet nos attrahentem lapidis huius virtutem considerantes atque sympathiam ac veluti amorem natura eidem erga ferrum inditum, admirationem nostram ad creationis optimum architectum Deum transferre: pudere autem ob rerum insensibilium nexum atque compaginem, dum nos interim qui ratione praeditos nos gloriamur, benivolentiae amorisque vinculum haud aeque servamus: et quidem diserte edocti, quamvis forte genus omne virtutum complexi fuerimus, absque mutua charitate spiritalique hoc amore ac vinculo, fore ut nobis omnia effluant ac dispereant. Ceteroqui alius nescio quis celebratur lapis contrariam praedicto vim sortitus, qui nondum lapis ad meas manus venit. Hunc aiunt proximum ferrum repellere. Atque hic pariter usui nostro accommodatus est. Nam qui spiritalis charitatis vinculo generis nostri consortibus copulari coniungique debemus, iidem interdum aversari illos debemus atque repellere: nempe cum ipsi scandalorum et offendicu-

(1) Inter veteres auctores satis erit videre Plinium lib. XXVI. sect. 25. de magnete non sine copia disserentem. Nam recentiores Kirkerium, Salmasium, Gassendum, reique physicae hodiernos magistros commemorare quid interest? Vim tamen huius lapidis ignoraverunt praecipuam prisci auctores, quos inter Photius, demonstrandi scilicet meridianam lineam, ideoque et arcticum polum: ex qua notitia res nautica incredibiles utilitates percepit. Ceterum Plinius probabilius dicit ferratas pastorum crepidas adhaesisse magneti, quam Photius ait magneticas crepidas cohaesisse cum solo ferrario.

θεῖν καὶ ἐκτρέπεσθαι· ἐπειδὰν σκανδάλων καὶ προσκομμάτων ὑπελθόντες βίον ἐμποδὼν ἐπιχειρῶσιν ἵςασθαι πρὸς τὰς τῆς εὐσεβείας τρίβους, ἢ τοὺς τῶν ἀρετῶν ὑποσκελίζειν καὶ διαςρέφειν δρόμους· τοῦτο γὰρ καὶ τὸ κυριακὸν ἐπιτάττει λόγιον· ὡς εἰ καί τις εἴη φίλων καὶ οἰκείων ὁ μάλιςα, ὥςε καὶ συνεργεῖν ἡμῖν εἰς τὰς πολιτικὰς θεωρίας τὲ καὶ πράξεις, ἴσα καὶ ὀφθαλμῷ δεξιῷ καὶ χειρὶ δεξιᾷ, καὶ τούτους ἐκτέμνειν καὶ ἀποτρέπεσθαι τῇ πάσῃ δύναμει χρέων. *Matth. V. 29. 30.*

QUAESTIO CXXXIIII.

Πόσας ἀρχὰς δεῖ νοεῖν ἡμᾶς τοῦ ἐνιαυτοῦ καὶ ποίας.

α. Ἣ ἔσα καὶ ὅρια γῆς τὸ δόρυ παρατείνασα Ῥώμη, καὶ τὸ κράτος δείξασα τῆς οἰκουμένης μέτρον, ὥσπερ τρισὶν ὀνόμασιν ἀγάλλεσθαι (a) χαίρει, οὕτω καὶ τρεῖς ἀρχὰς τῷ ἐνιαυσιαίῳ χρόνῳ χαρίζεται· ὀνόματα μὲν οὖν ἐστιν αὐτῇ τελεςικόν τε καὶ ἱερατικὸν καὶ πολιτικόν· τελεςικὸν μὲν ἄμωρ, ὃ σημαίνει ἔρως· ἱερατικὸν δὲ φλῶρα, ἀνθοῦσα δὲ τοῦτο παραδηλοῖ· πολιτικὸν δὲ ῥῶμα, ὅπερ ἀντιςρεφόμενον, εἰς τὴν τελεςικὴν σχηματίζεται λέξιν (1)· ἐξῆν μὲν οὖν τὸ

lorum instar effecti, nobis in via pietatis impedimento sunt; vel cum virtutum subvertere ac detorquere gressus nituntur. Id enim dominico etiam effato praecipitur, nempe siquis vel amicissimus vel summa necessitudine iunctus, nobisque in civilibus studiis ac negotiis, haud secus quam dexter oculus vel dextra manus, utilis fuerit; nihilominus hunc quoque velis remisque esse devitandum.

Quot anni initia arbitrari nos oporteat et quae?

1. Quae ad extremos usque mundi fines spiculum suum Roma protendit, propriaeque potentiae terminum orbis terrarum limitem fecit, sicuti tribus nominibus gloriari solet, sic etiam tria principia spatio annuo attribuit. Et Romae quidem nomina sunt mysticum, sacrum, politicum. Mysticum nomen est Ἄμωρ, nempe *amor*: sacrum Flora est, quod florentem significat: politicum Roma, quod conversis litteris in mysticum nomen recidit. Et sacrum

(a) Verbum ἀγάλλεσθαι superadditur haud scio quam necessario.

(1) Erythraeus apud Ortelium in geogr. ait: *triplex urbi Romae fuisse nomen proditum est; unum hoc quo utimur pervulgatum; alterum quod arcanum fuit, unde Amaryllida suam, quae amorem proprie significat, in bucolicon carmen Virgilius detorsit; tertium sacrificiis debitum, de quo vocabulum floralibus impositum; quod anthusam graece Philadelphus interpretatur, a quo haec discimus. Id tu latine vel florentem, vel aptius fortasse Floram aut Florentiam vertes. – Sub Amaryllidis nomine eam Virgilium describere annotavit Servius.*

ἱερατικὸν καὶ τῷ πλήθει κοινοῦσθαι· τὸ δὲ τελεστικὸν ὁ κοινώσας τῶν ἱερέων ἐσχάτην ποινὴν εἰσέπραττε (1)· τρισὶν οὖν ὀνόμασιν ὥσπερ ἔφημεν τιμωμένη, καὶ τρισὶν ἀρχαῖς τὸν ἐνιαύσιον σεμνολογουμένη χρόνον, τὴν μὲν αὐτῶν ἱερατικὴν ἐκάλει, τὴν ἄλλην δὲ πάτριον, καὶ τὴν λοιπὴν πολιτικήν τε καὶ κυκλικήν· ἱερατικὴν μὲν οὖν ἡνίκα τὸν αἰγόκερων ὁ ἥλιος παριὼν, εἰς αὔξησιν ἄγει τὴν ἡμέραν· αὕτη δὲ συμπίπτει πρὸς ἀκρίβειαν μὲν κατὰ τὸν καλούμενον δεκέμβριον μῆνα· πρὸς αἴσθησιν δὲ καὶ μάλιστα ῥωμαίοις, εἰς τὸν ἰανουάριον διαβαίνει· τὴν δὲ πάτριον ὁ τῶν μηνῶν καλούμενος μάρτιος ἀπεκληροῦτο· ὅτε καὶ ὅπλων κίνησίς τε καὶ παρασκευὴ ἐπεδείκνυτο ῥωμαίοις· τὸν δέ γε σεπτέμβριον μῆνα ἡ κυκλική τε καὶ πολιτικὴ ψῆφος, ὃ τὸ σὸν φιλόπονον ἐπεζήτησεν, ἀρχὴν ἀπέφηνε τοῦ ἐνιαυτοῦ (2)· ὃ καὶ γλῶσσα μὲν ἑλληνίζουσα καλεῖν ἐπινέμησιν οἶδε, ῥωμαῖοι δὲ ἰνδικτιῶνα· καὶ ταύτην τὸ μὲν παλαιὸν, πενταετηρίδος χρόνος ἀνεκύκλου, ὃν καὶ λοῦστρον πατρίως ἐκάλουν· ἔπειτα δὲ τιμῶντες Ἄρη τὸν, ὥς φασι, πάτριον αὐτοῖς· ἐπεὶ τῶν ἀστέρων οὗτος πεντεκαιδεκαετίᾳ ἐλάχιστον δρόμον ἀνύων τὸν ἴδιον περαιοῦται κύκλον, ἰσόχρονον ἔθεντο καὶ τὴν ἐπινέμησιν ἤτοι τὴν ἰνδικτιῶνα θέσπισμα τελεῖσθαι· ἀλλὰ ταύτην μὲν τὴν αἰτίαν, ὡς ἂν ἡ ἐκείνων ἀρχαιότης φαίη, ὁ θεολογικὸς αὐτῶν καὶ κρύφιος ὑπογράφει τρόπος· οὐ πόῤῥω δὲ ταύτης καὶ ἡ λέγουσα, ὅτι τὴν ἰσημερινὴν ὥραν πεντεκαίδεκα μορίοις τισὶ μαθὼν ἐγγὺς πε-

quidem licebat ad vulgi etiam notitiam efferre : verum siquis sacerdos mysticum divulgasset, poenae capitali fiebat obnoxius. Tribus igitur, ut diximus, ornata nominibus Roma, tria quoque initia tempori annuo se facere gloriabatur, quorum ipsa primum sacratum appellabat, alterum patrium, tertium politicum et cyclicum. Sacrum est, quum capricorno sol egrediens diei incrementa facit. Hoc autem adamussim incidit in decembrem mensem : sed tamen id, Romanis praecipue, nonnisi ianuario mense sentitur. Initium vero patrium appellatum, in mensem martium incurrebat, quo tempore arma movere solent Romani et ad bellum instrui. Septembri mense denique cyclico politicoque suffragio, de quo tu studiose rogas, initium anni statutum fuit. Et quam quidem graeca quoque lingua ἐπινέμησιν appellare novit, Romani autem indictionem, hanc olim quinquennalis cyclus reducebat : idque etiam lustrum proprio vocabulo appellabant. Deinde quia Martem colebant, quem sui generis auctorem aiunt; et quia hoc sidus quindecim annis brevissimum cursum absolvens, suum cyclum perficit, pari intervallo ἐπινέμησιν sive indictionem fieri decreverunt. Verumtamen hanc causam, ut in eorum antiquitatibus fertur, theologica eorumdem atque arcana ratio describit. Neque ab hac valde abludit sententia illa

(1) De arcano Romae nomine loquuntur Verrius apud Festum; Solinus cap. I; Servius ad aen. I. 277.

(2) Vide kalendarium constantinopolitanum ad diem primam septembris, et quae ibi docte disputat Stephanus Morcellius.

ριγραφομένην ὁ αὐταρχήσας Αὔγουστος ῥωμαίων, καὶ τὴν ἀνακύκλησιν τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰς τὸν αὐτὸν ἀριθμὸν ἐδικαίωσε περιορίζειν· πολιτικώτερον δ' ἂν λέγοιεν καὶ οἱ διότι τοσούτοις ἔτεσιν Ἀντωνίῳ συνυπατευκότι τήν τε τῶν κοινῶν πραγμάτων μεταχείρισιν ἴσχεν· εἶτα καὶ μάχην συνῆψε, καὶ τὸ κατ' αὐτοῦ τρόπαιον εἶλεν, ὅτε καὶ μηνὸς ἱσταμένου σεπτεμβρίου ἡ Αἴγυπτος αὐτῷ δορυάλωτος κατέστη (1)· ἐτέλουν μὲν οὖν καθ' ἑκάστην ἀρχὴν ἐνιαυτοῦ ἐξαλλαζούσας τὰς θυσίας καὶ τελετὰς, τιμῶντες καὶ ἱλασκόμενοι οὓς ἐνόμιζον αὐτοὶ θεούς· μάλιστα δὲ κατὰ τὸν σεπτέμβριον μῆνα λαμπρότερον αὐτοῖς καὶ φιλοτιμότερον ἐπράττετο ταῦτα·

β. Ἐπεὶ οὖν τῆς παλαιᾶς Ῥώμης ἡ νέα τὸν κλῆρον ὑπῆλθε καὶ κοινὸν ἐκτήσατο τὸ κράτος, μετέστησε δὲ τοῦ σεβάσματος τὸ πλάνον εἰς τὴν εὐσεβῆ τε καὶ θεῷ πρέπουσαν λατρείαν, συμμεθίστησι καὶ τὰς δαιμονίους τελετὰς καὶ θυσίας εἰς εὐσεβούσας τε καὶ θεοπρεπεῖς ἁγιστείας· καὶ διὰ τοῦτο τὴν πρώτην τοῦ σεπτιμβρίου μηνὸς λιτανείαις τε δημοτελέσι καὶ ταῖς ἄλλαις ἱλαστηρίοις εὐχαῖς νόμον ἔθετο τὸν θεὸν ἐξιλεοῦσθαι, παρεῖναι τε τὸν ἀρχιερέα τοῖς τελουμένοις, τῶν ἱλαστηρίων καὶ σωτηρίων προηγούμενον ἱερουργιῶν τε καὶ θυμάτων· ἡ δέ γε ἐπωνυμία τοῦ ἐνιαυσίου κύκλου ἡ μὲν ῥωμαΐζουσα φωνὴ τὸ μήνυμα σημαίνει· μηνύει γὰρ ἡ ἀρχὴ τὴν περίοδον· καὶ τοῦτο αὐτοῖς ἐστιν ἰνδικτιών· ἡ δὲ Ἑλλὰς φερωνύμως ἐθήκε τὴν ἐπινέμησιν· οὐ γὰρ εἰς ἀπαράβατον καὶ ὡρισμένον βάρος τὸ παλαιὸν οἱ φόροι τοῖς ὑπηκόοις ἐτάττοντο, ἀλλ' ἡ τῶν καρπῶν γένεσις τὴν σύντα-

quae ait, Augustum Romanorum imperatorem, quum rescivisset aequinoctialem tempestatem a nonnullis in quindecim partes dividi, anni quoque periodum eodem numero definiendam censuisse. Sed civilior est sententia rem repetentium ab Augusto qui totidem annis principatum in patria cum Antonio gesserit, cum eoque reip. clavum tenuerit, tum adversus eum decertaverit, triumphumque retulerit, atque Aegyptum mense septembri ineunte armis obtinuerit. Singulis autem anni initiis peculiaria sacrificia ritusque peragebant, honoris ergo et placationis eorum quos ipsi putabant deos: praesertim vero mense septembri splendidiora haec sacra et accuratiora diis faciebant.

2. Iam ubi veteris Romae nova sortem occupavit, communemque potentiam adepta, superstitionis errorem in piam Deoque dignam religionem convertit; tunc diabolica quoque mysteria ac sacrificia sanctis Deoque dignis caerimoniis commutavit. Idcirco prima septembris die litaniis publicis precibusque piacularibus Deum propitiare decrevit: pontificemque adesse rei sacrae, atque eum praeire pia et salutaria munera ac sacrificia. Porro annui cycli appellatio romano vocabulo significat indicium. Namque initium innuit periodum: atque haec est illis indictio. Graecia quoque nomine rei congruo dixit ἐπινέμησιν (distributionem.) Non enim apud veteres tributis erat praefinitus certus atque

(1) De hac universa re confer Petavium doctr. temp. tom. II. p. 366—368.

ξιν αὐτοῖς ἐφιλανθρωπεύετο· σπανίζουσα μὲν γὰρ ἠλάφρυνεν, εὐθηνοῦσα δὲ οὐκ ἐβάρυνε· καὶ διένειμεν ἀλύπως τοῖς φορολογουμένοις τὸ ἀνάλογον· καὶ τότε ὅτε χρεία ἐκάλει, μηδενὸς γὰρ ὄντος τοῦ βιαζομένου, οὐδ᾽ ὅλως ὁ φόρος ἐπράττετο, ἀλλ᾽ ἐγίνετο κέρδος ὁ πόνος ὅλος τοῖς γεωργήσασιν· ἐξ οὖν τοῦ διανέμεσθαι τοῖς ὑπηκόοις τὴν σύνταξιν, τὴν ἐπωνυμίαν ἔσχεν ἡ τοῦ ἐνιαυτοῦ περίοδος ἐπινέμησις· οἱ δ᾽ ἀπὸ τῆς περὶ Ἄκτιον νίκης τὴν ἰνδικτιῶνα συμπλάττοντες, εἰς τὸ λυπηρότατόν τι τῇ ἀκοῇ καὶ πειθοῦς ἀπέσχον δοκοῦσι μοι τὴν λέξιν ἐκβιάζεσθαι· ἀλλὰ γὰρ ταῦτα μὲν κατὰ τὸ πρόχειρον τῆς μνήμης περὶ ὧν ἠρώτησας ἀπεδόθη· εἰ δέ τι καὶ τῆς σῆς περὶ τὴν ἱστορίαν βαθείας σχολῆς ἀνελκυσάμενος ἐπιδείξεις, καὶ τοῖς εἰρημένοις προσθείης, καὶ τοῦτο ἡμῖν χαριέστατον ἔσται.

QUAESTIO CXLVIIII.

Περὶ ὅρου ζωῆς.

α. Τοῖς μὲν πλείοσι τῶν ἀνθρωπίνου βίου μετεχόντων πλοῦτος καὶ κτημάτων περιουσία, τρυφή τε καὶ δόξης κοσμικῆς περιφάνεια ἡ πρώτη μακαριότης νομίζεται· καὶ ταῦτα οὐ τοῖς βουλομένοις πάντως προσγινόμενα, οὐδὲ ἁπλῶς τῶν ἐρώντων πληροῦντα τὴν ἔφησιν, ἄλλοις δὲ ἄλλως κατὰ διαφόρους αἰτίας καὶ χρόνους συμπίπτοντα, καὶ αὖθις τούτων ἀφιστάμενα, καὶ πρὸς ἑτέρους μεταπί-

immobilis limes; sed pro fructuum proventu stipendia illis clementer imperabantur: ita ut in annonae caritate minuerentur, in ubertate non augerentur: quare sine tristitia quaestoribus iustum tributum persolvebatur: et quidem ubi opus esset: nulla enim instante necessitate, tributum prorsus non exigebatur; sed uni sibi quisque agricola laborabat. Itaque ab imperando singillatim subditis tributo nacta est nomen ἐπινέμησις anni periodus. Qui vero a victoria ad Actium indictionem confingunt, duram auditu et fide alienam vocabuli originem vi procudunt. Sed tamen haec, prout memoria mihi suppeditavit, ad tuam interrogationem dicta sint. Quod si tu ex tuo diutino historiae studio haustum aliquid mihi protuleris, dictisque meis addideris, id mihi iucundissimum fore scito.

De vitae termino.

1. Pars hominum maior divitias et rei familiaris copiam et luxum gloriaeque mundanae pompam summae beatitatis loco habet: licet hae res neque pro libito prorsus illis accidant, neque cupidorum vota satis expleant; sed his vel illis temere pro diversis causis atque temporibus obtingere soleant; rur-

πτοντα, ῥεύματος δίκην ἐξ ἀντιπνοίας ἀνέμων ἐπὶ τἀναντία μεταβαλλομένου ῥᾳδίως, καὶ τὸ ταυτὸν ἐν κινήσει καὶ φθορᾶς * ὁμοιότητι παντελῶς ἀρνουμένου· καὶ ταύτῃ μὲν ὀφείλοντα κατὰ λόγον εὔθετόν τε καὶ δίκαιον καταφρονεῖσθαι καὶ διαπτύεσθαι. ὅμως γοῦν ἐντεῦθεν παρὰ τοῖς τὸ ἡδὺ μεταδιώκουσι τῶν αἰσθήσεων δυναστεύοντα καὶ τὸν βίον ἑαυτοῖς ὑποτάττοντα· οἷς δὲ ἡ λογικὴ χάρις ἐπανθεῖ, καὶ καθ' ὃν γέγονε λόγον διαπρέπει ἡ φύσις τῇ νοερᾷ δυνάμει κυβερνωμένη, τούτοις σοφία τὸ σπουδαζόμενον· ἧς ἐκ παιδευμάτων ἀγαθῶν μετὰ τῆς τοῦ κρείττονος ῥοπὴν ὑπάρχει ἡ σύστασις, πλοῦτον ὄντως ἀκήρατον καὶ εἰς ἀεὶ διαμένοντα χαριζομένη τοῖς πρὸς τοῦτο τὴν σπουδὴν κεκτημένοις· οὐκ ἐκ τύχης καὶ ταυτομάτου, ἀλλὰ τῷ πόνῳ τοῦ αἱρουμένου συναγόμενον· σοφία δὲ οὐχ ἡ κομψείαν ῥημάτων προβαλλομένη, καὶ πομφόλυγας διὰ κενῶν λαρυγγισμάτων ἐξερευγομένη, ἀλλ' ἡ τὸν λόγον εὐλόγως μετερχομένη, ἡ τῶν νοημάτων ὑπηρέτην τοῦτον φέρουσα εὔτακτον, καὶ τῶν ὄντων ᾗ ὄντα ἐστὶ τὸν λόγον ἐπιζητοῦσα· καὶ τῆς ἀληθοῦς οὐ σφαλλομένη τὴν εὕρεσιν· καὶ διασκάπτουσα μὲν τῶν πραγμάτων τὰς φύσεις τῇ δικέλλῃ τῶν λογισμῶν· ὡς τοῖς προφανέσιν ἐναπομένειν οὐκ ἀνεχομένη, πρὸς δὲ τὸ βάθος κατιοῦσα τῶν τῇ ἐρεύνῃ ὑποκειμένων, ἐκεῖθεν οἷά τινα ψήγματα χρυσίτιδος γῆς τὰς τῶν ὄντων ἀναλέγεται θεωρίας· ἐξ ὧν ἡ περιουσία τῆς ἀληθοῦς συνίσταται γνώσεως, ζηλωτοὺς ἀποφαίνουσα τοὺς κεκτημένους· καὶ τὸ περιφανὲς αὐτοῖς καὶ τίμιον, οὐκ ἐπ' ὀλίγον ἀλλ' εἰς πάντα χρό-

* φορᾶς?

sus ab his avolent, atque ad alios se conferant; fluctus instar qui adverso vento in contrarium facile vertitur, neque in eodem statu propter motum vehementemque veluti transitum permanet. Quum haec idcirco, si recte iustoque iure ageremus, contemni ac despui deberent, eadem nihilominus iis, qui sensuum delectationem sectantur, imperitant atque in hominum vita dominantur. Quibus vero rationalis gratia efflorescit, ac pro suae originis conditione excellit natura intellectualibus viribus gubernata, his inquam sapientia in primis cordi est, quae quidem exsurgit ex optimis disciplinis atque ex insita ad rectum propensione. Atque eadem recti studiosis opes hercle incorruptibiles aeternumque duraturas largitur, non fortuna neque casu sed labore frugi hominis coacervatas. Porro sapientia haud illa est, quae verborum pompam praetendit, bullasque vanis vociferationibus eructat, sed quae oratione decenter utitur, eamque mentis conceptibus subservire commode iubet: quae rerum causas exquirit, neque veritatem frustra vestigat; quae varias negotiorum naturas ratiocinii ligone effodit; neque in horum superficie consistere patitur, sed ima quaestionum viscera rimans, inde veluti ramenta auriferae telluris, rerum colligit cognitiones: ex quo luculenta veri conflatur notitia, quae mirabiles facit possessores eius, famamque illis ac decus non brevi sed omni aevo conciliat. Hinc animae exercetur sensus ad tute discernendum a pravo bo-

νον χαριζομένη· ἐντεῦθεν τὰ τῆς ψυχῆς γυμνάζεται αἰσθητικὰ πρὸς διάκρισιν ἀσφαλῆ τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ χείρονος· αὕτη καὶ τοῖς οὐκ ἀναγκαίοις ἡμᾶς προσομιλεῖν παρασκευάζει, τὴν τῶν κρειττόνων βεβαίωσιν τῇ παραθέσει συνιστῶσα τῶν τοιούτων· ἐκ τούτου καὶ λόγοις τῶν ἔξωθεν συστρεφόμεθα· ὧν τὸ μυθῶδες καὶ πεπλασμένον διαπτύοντες, τὸ τῆς λέξεως εὔστροφον καὶ τεχνικὸν ἀσπαζόμεθα πρὸς τὴν τῶν νοουμένων ἐξάπλωσιν καὶ φανέρωσιν· ταύτης ὑμεῖς λογιώτατοι, βλάστημα ὄντες εὐγενές τε καὶ γνήσιον, καὶ τὴν πατρῴαν ὁμοίωσιν τοῖς τοῦ λόγου χαρακτῆρσι μᾶλλον ἢ τοῖς τοῦ σώματος μορφώμασιν ἀναφαίνοντες (1), οὐδὲ τὰ περὶ τῆς πρώτης σοφίας, φημὶ δὲ τῆς κατ' εὐσέβειαν, παρέργως ὑμῖν μελετᾶσθαι δείκνυτε· ἀλλὰ τῶν ταύτης δογμάτων καὶ τῶν πατρικῶν παραδόσεων τὰς ἀκριβεῖς ὑπολήψεις ἐπιζητοῦντες, τὰς μὲν πρὸς τὸ πιθανὸν ἀποκλίσεις ἐκκλίνετε, τὸ πρὸς συγκατάθεσιν δὲ τῆς ἀληθείας ἐν τοῖς τοιούτοις ἀναγκαῖον ἀσπάζεσθε.

β. Ὅθεν προτρέψαι ἡμᾶς ἠξιώσατε περὶ ζητήματός τινος τοῖς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἀμφιβαλλομένου εἰπεῖν, καὶ τὰ τῆς οἰκείας ἡμῶν παραστῆσαι γνώμης (2)· τοῦτο δέ ἐστιν, εἰ πεπεῖσθαι ἡμᾶς χρὴ ὅρους ὑπὸ θεοῦ πεπῆχθαι τῆς

nestum. Sapientia eadem rerum quoque minime necessariarum studium nobis suadet, videlicet ut harum comparatione meliorum illarum stabilitatem demonstret. Idcirco in litteris quoque profanis versamur, quarum etsi fabulas ac figmenta despicimus, venustatem tamen elocutionis atque artificium amplectimur, quo mentis cogitata evolvunt atque in publicam lucem educunt. Huius vos sapientiae, o eruditissimi homines, quum proles nobilis germanaque sitis, maternamque imaginem sermonum potius characteribus quam corporis figura referatis; ne primariae quidem sapientiae illi, nimirum quae de religione tractat, perfunctoria opera studere vos ostenditis; sed huius dogmata patrumque veterum traditiones explicari vobis accurate poscitis: caventes scilicet ne rerum verisimilium specie abripiamini; sed quod in his praecipuum solidumque est ad firmandam veritatis consensionem, id sequamini.

2. Atque hinc vobis consilium exortum est hortandi nos, ut de quaestione quadam, quae inter ecclesiasticos viros disceptatur loquamur, nostramque hac super re sententiam dicamus. Est autem quaestio, utrum credere nos

(1) Puta quia vel pallio philosophico vel ecclesiastica veste non utebantur.

(2) Quaestio haec de vitae termino communis dicitur et pervulgata etiam ab auctore quaestionum ad Antiochum (Q. CXIII.) quae magno Athanasio inscribuntur. Anastasius etiam sinaita quaest. LXXXVIIII argumentum idem versat, et Basilii effatum memorat. Photius autem hunc prolixum tractatum tacite sibi vindicavit e Germani CI. fere annis ante se patriarchae constantinopolitani scriptis; quod ego plagium ex antiquo codice vaticano cognovi: quumque Photius extremam tractatus eius partem praetermisisset, id a me complementum in secundo vaticanae meae collectionis volumine editum fuit p. 682: nunc autem cum voluminis primi editionem repeto, tractatum diutius hiare non sum passus. Attamen Photius suis quoque, ut reor, verbis rem hanc denuo tractavit in amphilochiana CCXL, quae quia propter brevitatem obscurior est, ni-

ἑκάστου ζωῆς, καθ' οὓς ἀποτελευτᾶν τὸν βίον ἑκάστῳ συμβήσεται· τοῦτο γὰρ ἡμᾶς ὑποβάλλει νοεῖν ἡ Βασιλείου τοῦ μεγάλου διδασκαλία (1), ἧς τινος τὸ ῥητὸν καταδεχόμενοί τινες, τὴν τούτου διάνοιαν βαθύτερον δῆθεν ἢ κατὰ τὸ προφανὲς ἐξηγεῖσθαι πειρῶνται, καὶ τῆς ὑπονοουμένης ἐκδοχῆς ἀποκρίνουσιν· ἕτεροι δὲ ἐπὶ μόνων τῶν ἰδιοθανατούντων τοῦτο τῷ πατρὶ νενοῆσθαι ἐθέλουσιν· ὡς τῶν κατ' ἐπήρειαν ἤ τινα τῶν ἔξωθεν συμπτωμάτων ἀνάγκην τῆς παρούσης ζωῆς μεθισταμένων, τῷ τοιούτῳ λόγῳ ὑποπίπτειν οὐ δυναμένων· εἰσὶ δὲ οἳ καὶ παντελῶς τὴν τοιαύτην διαγράφονται δόξαν, καὶ κατειρωνεύεσθαι τὴν τοῦ διδασκάλου αἰδῶ οὐκ ἀνέχονται, ἀνεπικαλύπτως δὲ τὸ μὴ εἴκειν αὐτὸν τῇ τοιαύτῃ γνώμῃ ὁμολογοῦσι· περὶ ὧν ἡμᾶς πλατύτερον ἐκγυμνάσαι τὸν λόγον, καθὼς ἂν τὰ τῆς κατὰ διάνοιαν ἡμῖν δυνάμεως προσῇ, ἡ τῶν σοφωτάτων ὑμῶν ἠνάγκασεν οἰκειότης· μᾶλλον ἡμῶν ἑλομένων τῆς ἑαυτοῦ ἀμαθίας ἔλεγχον ἀπολιπεῖν τοῖς

oporteat, terminos a Deo singulorum vitae esse statutos, quos intra ut cuiusque vita finiatur futurum sit. Id enim nobis suadet magni Basilii doctrina; cuius nonnulli etsi effatum probant, sensum tamen huius altius eruere prae quam vulgo apparet nituntur; atque interpretationem receptam improbant. Alii autem de iis tantummodo qui sua morte obeunt hoc patrem sensisse volunt; ita ut qui ex insidiis aut ob aliquam externi casus necessitatem praesenti vita abeunt, hoc effato minime comprehendantur. Quidam denique hanc opinionem prorsus reiiciunt; qui etsi magistrum reverentiae causa minime irrident, aperte tamen se huic sententiae nequaquam acquiescere confitentur. Qua super re paulo latius nos explicare orationem, pro nostri ingenii viribus, vestra, sapientissimi homines, familiaritas nos coëgit. Quippe qui malumus inscitiam nostram obiicere posterorum criminationibus, si for-

hilque novi adfert, a me praetermittitur, ita tamen ut eius exordium heic in adnotatione deponam. Ἐπὶ παλαιοὺς ἡμᾶς ἀγῶνας καλεῖς, καὶ ἐφ' ὧν πολλοὶ κονισάμενοι καὶ τοὺς ἄθλους οὐκ ἀγεννῶς ἐνεγκόντες, τὴν νίκην ἡμῖν, οὐ γὰρ ἐρῶ ἔτι φαυλότερον, καθορᾶν οὐ παρέσχον ἀνίκητον· πλὴν ἐκ τῶν προλαβόντων ἡμᾶς ὁσίων καὶ μακαρίων ἀνδρῶν λαβὰς οὐκ ὀλίγας συλλεξάμενοι, καὶ ἃς ἡ τῆς θείας ῥοπῆς εὐμένεια παρασχεῖν ἡμῖν οὐκ ἀπηξίωσε, ταύταις ἐκείναις συνυφάναντες, εὐχόμεθα μὲν τὴν σὴν σπουδὴν καὶ ἐλπίδα μὴ κεκενωμένην χαρίτων, καὶ γνώσεως οὐ δεομένης ἀλλαχόθεν γνώμονος, ἀπελθεῖν· εἰ δὲ μή, βραχυτάτης ἔτι δεηθῆναι διορθώσεως· τὸ μὲν οὖν ἐνδεῆ τὸν λόγον ἐπιζητεῖν, εἰς μῆκος ἐστὶν ἐκβιάζεσθαι τὴν γραφήν· τὸ δὲ σύντομον ἀπαιτεῖν, πολλὰ τῶν δεόντων ἐπιτρέπειν ἀπολιπεῖν· πλὴν ὡς ἂν οἷός τε ὦ πειράσομαι κατὰ τὴν σὴν ἀξίωσιν τὸν περὶ ὅρου λόγον προάγειν. *Ad vetera nos certamina vocas, quibus multi licet insudaverint, palmasque non inglorias retulerint, ii nihilominus (inepte non loquor) haud invictam nobis victoriam conspiciendam dederunt. Verumtamen a decessoribus nostris sanctis illis beatisque viris argumenta non pauca decerpentes, et quae nobis divinae inspirationis benignitas suppeditare non est dedignata, cum illis copulantes, optamus ut sedulitas spesque tua non sine gratiae fructu scientiaque, quae aliunde norma non egeat, discedat: si minus, certe adhuc brevissima mihi opus est emendatione. Iam qui nulla re carentem sermonem exquirit, is prolixe scripturam dilatat: qui autem brevis esse laborat, multa quorum ratio habenda esset omittit. Ceteroquin ego pro viribus nitar, tuis votis obsequens tractatum de termino paulo ulterius provehere.*

(1) Infra p. 141.

μετέπειτα, εἴ γε τῆς πατρικῆς μὴ ἐφικόμεθα μεγαλονοίας, ἤπερ φιλίας θεσμὸν παρακοῇ καθυβρίσαι, καὶ τὸ μηδ' ὅλως ἑλέσθαι πονεῖν ἐν τοῖς ἀναγκαίοις κατεγκαλεῖσθαι· τὸ μὲν γὰρ ἀσθενὲς ἴσθ' ὅτι καὶ συμπαθεῖται ῥᾶστον, ἡ δὲ πανταχοῦ κατακρίνεται· καὶ τὸ μὲν αὐθαδῶς ἐπιβάλλειν ἑαυτὸν τοῖς ὑπὲρ τὰ οἰκεῖα μέτρα λόγοις τε καὶ διδάγμασιν, ἀλαζονείας ἀποφέρεται ἔγκλημα· τὸ δὲ ὑπείκειν καὶ πείθεσθαι τοῖς πρὸς φιλοπονίαν προτρεπομένοις τῆς τῶν ἀληθῶν ζητήσεως καὶ κατανοήσεως, ἀξιέπαινόν τε καὶ ἔμμισθον· ἐπεὶ δὲ ἐν ταῖς τοιαύταις τῶν λόγων ζητήσεσιν ὁ διαλογικὸς χαρακτὴρ μᾶλλον ὑπάρχει κατάλληλος, ὡς πλειόνως τῷ πυκνῷ τῶν ἀντιθέσεων λεπτυνομένης τῆς ἐρεύνης τοῦ προκειμένου, καὶ ἡμῖν τὸ τοιοῦτον εἶδος μεταχειριστέον τοῦ λόγου, τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον αἰτησαμένοις ἐκκαλύψαι ἡμῖν τῆς ἐν τούτοις ἀληθείας τὸ φρόνημα, καὶ τῷ λόγῳ δοῦναι εὐκρινῆ ποιήσασθαι τούτου τὴν ἀνάπτυξιν· τὸ μὲν οὖν τῇ πατρικῇ παραδόσει παριστάμενον πρόσωπον, τῷ τοῦ ἄλφα σημειούσθω στοιχείῳ· τὸ δὲ τοῖς τῶν ἀντιλεγόντων ἐπιχειρήμασι χρώμενον, καὶ τὰς πρὸς τὸ ἀνατρέπειν τῶν λόγων ἀντιθέσεις προβαλλόμενον, τῇ γραφῇ τοῦ βῆτα χαρακτηριζέσθω.

γ. Α. Πλείστων ἡμῖν ἡμερῶν διαγέγονε χρόνος ἀφ' οὗ τῆς σῆς ὦ φίλος οὐκ ἐτύχομεν ὁμιλίας· ὡς εἰς ἀπορίαν ἡμῖν τὰ τῆς διανοίας χωρεῖν, τίς ἄρα τῆς τοιαύτης ἀπολείψεως ἡ αἰτία λογιζομένοις· καὶ νῦν δέ σε ὁρῶντες τὴν τοῦ προσώπου συνήθη κατάστασιν ἐκβεβηκότα καὶ πρὸς τὸ κατηφὲς συννενευκότα, δεδω-

te patris profundum sensum minime adsecuti erimus, quam amicitiae legi iniuriosa contumacia resistere, aut merito vituperari quod in his magni momenti rebus adlaborare minime voluerimus. Etenim infirmitati promptissime ignoscitur, contumacia usquequaque damnatur. Praeterea qui procaciter praeter proprium modulum sermonibus doctrinisque se immiscet, is vanae arrogantiae insimulari solet: qui vero morem gerit et obsequitur iis, quorum hortatu ad laborem atque ad veritatis vestigationem et intellectum impellitur, is laude dignus ac praemio est. Age vero quoniam in huius argumenti disquisitionibus dialogi forma magis idonea est, quia crebritate contradictionum propositam rem subtilius rimamur, nobis quoque genus eiusmodi disputationis usurpandum est; Dei Verbum invocantibus, ut veritatis sensum nobis revelet, atque ut huius explanationem verbis perspicuam adferamus. Ergo personam, quae patris (Basilii) traditionem tuetur, littera A significabimus: alteram vero, quae contradicentium argumentis utitur, quaeque contrariam orationem refutandi gratia recitat, littera B denotabimus.

3. A. Permultorum dierum elapsum est intervallum ex quo tuis caremus, mi bone, colloquiis: quare iam nobis angebatur animus de tantae intercapedinis causa cogitantibus. Nunc cum te videmus consueto vultus habitu immutato atque ad tristitiam inflexo, non modico metu quatimur, nequid forte prae-

νίαν οὐ μικρὰν εἰσδεδέγμεθα, μή τι ἄρα τῶν δυσχερεστέρων ἐν τοιαύτῃ σε δείκνυσι διαθέσει τοῦ ὁρωμένου. B. Ἀποδημία μὲν ἡμᾶς ἐπί τινα τῶν οὐ πολλῷ ἄποθεν ἱερῶν οἴκων εὐχῆς χάριν γενομένη, τῆς σῆς ἀπήγαγε συντυχίας· σύμπτωμα δὲ θανάτου ἀδοκήτως τινὶ τῶν ἐπιτηδείων ἐπιστὰν, τὰ τῆς λύπης ἡμῖν ἐνεποίησε· καὶ ταύτῃ ὡς εἰκὸς τὴν τοῦ προσώπου ἐπιφάνειαν διέθηκεν. A. Οὐ τοῦ δέοντος ἐκτὸς τὰ τῆς ἀχθηδόνος ὑμῖν, οὐδὲ εἰκαῖον τὸ λυπηρόν· τίνα δὲ ἄρα κατὰ τὸ προφανὲς ἡ τοῦ θανάτου ἔφοδος εἴληφε πρόφασιν; B. Κατάῤῥυτος ὕλη τὰ περὶ τὴν φάρυγγα καταλαβοῦσα αἰφνίδιον καὶ πνευμάτων σφήνωσιν ὑπομείνασα πνιγμῷ τὸν ἄνδρα τῷ θανάτῳ ὑπηγάγετο. A. Οὐκ ἀσύνηθες τῇ φύσει τὸ συμπτώμασιν ὑποκεῖσθαι τοιούτοις, οὐδὲ ξενισμός τις τοῖς οὕτω συμβαίνουσιν ἕπεται· εἰκὸς γὰρ τὸ ἀπολισθῆσαι τοῦ ἄκρου τῆς ἀπαθείας ἐν τῷ τοῦ βίου κατωφερεῖ κυλινδούμενον, πολλαῖς περιπταίειν παθῶν ἐξοχαῖς τε καὶ ἀντιτυπίαις, μέχρις ἂν εἰς τοὔδαφος τῆς εἰς γῆν ἀποστροφῆς καταντήσειεν. B. Οὐκοῦν τυχηρὰ καὶ οὐ κατὰ προνοίας κυβέρνησιν τὰ ἄλλοις ἄλλως συμπίπτοντα τῶν κατὰ τὸ σῶμα ἀνιαρῶν ἐντεῦθεν συνάγεται· ἐξ ὧν ἀναγκαίως καὶ τὰ τῆς τελευτῆς τοῖς ἀνθρώποις ἐπακολουθεῖ. A. Πῶς τοῦτο φῇς; B. Ὅτι οὐ μιᾶς τινος αἰτίας ἐκ σωματικῶν ἀῤῥωστημάτων φαινομένης ἐπάγειν τοῖς ἀνθρώποις τὸν θάνατον, ἀλλὰ πολλῶν καὶ ποικίλων· τοῦτο μὲν κατὰ τὴν διάφορον κρᾶσιν τῶν σωμάτων· τοῦτο δὲ καὶ παρὰ τὸ τῆς διαίτης ἡμαρτημένον ὡς πρὸς τὴν τοῦ τρεφομένου σώματος ἰδιότητα· ἔπειτα καὶ κατ' ἔλλειψιν πολλάκις τῆς προσηκούσης ἐπιμελείας καὶ θεραπείας ἢ καταφρονουμένης ἢ μὴ εὐπορουμένης (οἱ μὲν γὰρ

ter morem molestius hac te facie esse coëgerit. B. Peregrinatio quaedam supplicandi causa ad sacram aedem haud longe dissitam suscepta, a tua nos consuetudine abstraxit: mortis autem casus uni e familiaribus inopinato ingruens, maerorem nobis creavit, qui hunc vultus ut par erat statum effecit. A. Non est absurda doloris vestri causa, neque vanus luctus. Sed, oro, quaenam homini occasio mortis fuisse videtur? B. Catarrhus occupato gutture, subitoque obstructis spiritibus, suffocatum hominem enecavit. A. Non est naturae insolitum ut his casibus sit obnoxia, neque magnopere in his eventibus mirandum est. Est enim consentaneum ut a valetudinis apice defluat, qui in hac vitae declivitate versatur, atque in multa incurrat incommodorum offendicula et adversitates, donec in planum, id est in sibi homogeneam terrenam naturam recidat. B. Ergo fortuitum hinc cognoscitur, non providentia gubernatum, quicquid corporibus molestiarum aliis aliter accidit; ex quo demum inter homines mortis ipsius necessitas sequitur. A. Quonam pacto id ais? B. Quia videlicet non una causa sed multae ac variae corporeorum morborum mortem videntur hominibus creare; partim diversa temperie corporum; partim diaetae genere, quod a conditione nutriti corporis alienum sit, partim idoneae vel cautelae

ἐκ πενίας ἐν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύοντος γίνονται, οἱ δὲ ἀμελέστερον περὶ τὰ συντηρητικὰ τῆς εὐεξίας διάκεινται) ἀνάγκη νόσους ἐπισυμβαίνειν, ἐξ ὧν ὁ θάνατος. Α. Τῶν νόσων τοίνυν ἐπακολούθημα δίδως τὸν θάνατον; Β. Καὶ λίαν.

δ. Α. Οὐκοῦν ἀνάγκη κατὰ σέ, πάντα τὸν νοσοῦντα ἁπλῶς τελευτᾷν τὸν βίον· νῦν δὲ ὁρῶμεν τινὰς μὲν καὶ σπανιάκις, ὅμως καὶ δίχα τοῦ νοσεῖν τῷ θανάτῳ ὑπαγομένους· τινὰς δὲ καὶ μεγίστοις νοσήμασι καὶ ἐπὶ πολὺ προσομιλήσαντας, ὡς καὶ παρὰ τῶν ἰατρευόντων ἀπεγνῶσθαι αὐτοῖς τὰ τῆς ὑγείας, ἀνενεγκόντας τῆς ἀῤῥωστίας ἐπὶ μήκιστον ἔσθ' ὅτε τὴν ζωὴν παρατεῖναι· πόσους δ' ἂν σοι ἐπιδείξαιμι τῶν πλουσίων ὁμοῦ καὶ τῶν ἐν ἀρχαῖς δυναστείαν ἐχόντων, πλείστης μὲν ὅσης ἐντεῦθεν ἐπιμελείας ἰατρῶν καὶ τῶν ἀρίστων ἐν ταῖς νόσοις αὐτῶν τετυχηκότας, οὐδέν τι μᾶλλον τὸ τεθνάναι διαφυγόντας; καὶ ἔμπαλιν πένητας καὶ πτωχοὺς πάντοθεν ἠπορημένους, νόσοις μὲν βαρυτάταις περιπεπτωκέναι, ἐπιμελείας δὲ ἰατρικῆς οὐ μετασχόντας, οὐδὲ τὴν διὰ τῶν τροφῶν παραμυθίαν εὐπορηκότας, πλήν γε ὅτι πρὸς ὑγείαν ἀναδραμόντας, καὶ τὰ τῆς κακώσεως οὐ χρονίως ἀποβαλόντας; ὥστε μήτε τοῖς νοσήμασιν ἁπλῶς καὶ κατὰ πρώτην τάξιν ἀνατιθέναι ἡμᾶς τὴν τῆς ψυχῆς διάζευξιν ἐκ τοῦ σώματος, μήτε τὰ τῆς ζωῆς ἰατρικαῖς θεραπείαις καὶ ταῖς ἄλλαις σωματικαῖς τημελείαις λογίζεσθαι, ἀλλ' ἑκάτερον τῇ τοῦ κατ' ἀρχὰς συνδήσαντος βουλήσει καὶ ἐξουσίᾳ, καθὼς ἂν ἡ τῶν ἀκατανοήτων αὐτοῦ κριμάτων πρυτανεύοι σοφία· ὑγείαν μὲν γὰρ καὶ σώματος εὐρωστίαν ἢ οὖσαν συντηρῆσαι ἢ ἀπελθοῦσαν ἀνακαλέσασθαι τῇ ἰατρικῇ τις ἐπι-

defectu vel medelae, sive cum illa negligitur, sive cum haec desideratur: alii enim ob egestatem medico carent; alii in conservanda valetudine socordiores sunt: quare morbos contingere necesse est, ex quibus mors consequitur. A. Ergo sequelam morborum mortem esse concedis? B. Maxime.

4. A. Atqui opus esset, te iudice, quemlibet nonnisi morbo affectum mori. Sed tamen nonnullos cernimus, etsi rarius, sine ullo morbo in mortem incidere: alios autem maximis infirmitatibus diu conflictatos, ita ut a medicis quoque conclamarentur, nihilominus superata vi morbi, diutissime postea vixisse. Quotnam porro tibi ostenderim vel divites vel etiam principes, qui exquisitissimam medicorum optimorum curam in morbis nacti, tamen mortem non vitaverunt? Contra vero pauperes ac mendici omni ope destituti, morbis correpti gravissimis, nullo medicinae officio adiuti, neque ciborum solatiis abundantes, incolumitatem recuperaverunt, satis cito aegritudine pulsa. Quare nec animae a corpore separatio morbis omnino aut praecipue tribuenda est: neque rursus vitae conservatio medicis curationibus aliive corporis cultui imputanda; sed utrumque id potestati eius atque arbitrio, qui principio animam cum corpore copulavit, prout arcanorum eius iudiciorum sapientia decreverit. Etenim valetudinem corporisque firmitatem vel praesentem retinere vel absentem re-

στήμῃ δοίη ἂν οὐκ ἀπεικότως, ὅτε μὴ φυσικῆς ἀντιπαθείας ἐμπόδιον προσῇ· ἔστι γὰρ ἀκούειν τῶν ἰατρευόντων συνεχέστατα λεγόντων· φύσεως ἀντιπραττούσης, πάντα κενά· ζωὴν δὲ ἀνθρώποις ἐπιμετρῆσαι, μόνου ἐκείνου ἐστὶ περὶ οὗ φη- Isai. XLII. 6.
σὶν ὁ προφήτης, ποιῶν γῆν καὶ ἄνθρωπον ἐπ' αὐτῆς· καὶ διδοὺς πνοὴν τῷ λαῷ τῷ ἐπ' αὐτῆς, καὶ πνεῦμα τοῖς πατοῦσιν αὐτήν· ᾧτινι ἀκολούθως παρὰ τοῦ Δαβὶδ ἀνατίθεται καὶ ἡ τοῦ δοθέντος κατ' ἐξουσίαν ἀφαίρεσις· ἀντανελεῖς γάρ Ps. CIII. 29.
φησι τὸ πνεῦμα αὐτῶν καὶ ἐκλείψουσι, καὶ εἰς τὸν χοῦν αὐτῶν ἐπιστρέψουσι· μεθ' ἣν καὶ ἡ τῆς καταλυθείσης τοῦ σκήνους οἰκίας ἀνοικοδομὴ καὶ ἀνόρθωσις· ἐξαποστελεῖς γάρ φησι τὸ πνεῦμα σου καὶ κτισθήσονται· καὶ ἀνακαινιεῖς τὸ πρόσωπον τῆς γῆς· καὶ τοῦτο δὲ ἡμεῖς παρασημαντέον ἐξ ἀναγκαίου, ὅτι νόσοι πολλάκις ἐπάγονται καὶ παρὰ θεοῦ, καὶ οὐ πάντως κατ' αἰτίας σωματικάς· ἢ ἐπιτιμῶντος τοῖς πταίουσιν, ὡς τῷ Ἀσᾷ τῷ βασιλεῖ τοῦ Ἰούδα ἐν γήρᾳ παθόντι III. Reg. XV. 23.
τὴν ποδῶν τὴν ἀσθένειαν· ὅτε καὶ παροξῦναι λέγεται τὸν κύριον ὡς μὴ ζητήσας II. Paralip. XVI. 12.
αὐτὸν, ἀλλὰ ζητήσας τοὺς ἰατρούς, ὡς γέγραπται· ἢ οἰκονομοῦντος τὴν ἐν τῷ μέλλοντι σωτηρίαν διὰ τῆς ἐν τῷ παρόντι κακοπαθείας, καὶ λύοντος ἐντεῦθεν τὴν τῶν ἁμαρτημάτων ἐνοχήν· καθὼς ἔφη κορινθίοις ὁ ἀπόστολος, διὰ τοῦτο ἐν ὑμῖν πολλοὶ ἀσθενεῖς καὶ ἄρρωστοι καὶ κοιμῶνται ἱκανοί· εἰ γὰρ ἑαυτοὺς ἐκ- I. Cor. XI. 30.
ρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα· κρινόμενοι δὲ ὑπὸ κυρίου παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν· οὐκοῦν τὰ μὲν ἄλλα ποικίλως τε καὶ πολυτρόπως κατὰ διαφόρους αἰτίας καὶ λόγους συμπίπτειν ἡμῖν λογιζόμεθα· θάνατον δὲ

vocare, id inquam arti medicae haud absurde concedi potest; nisi forte naturale impedimentum obstet. Est enim sollemne medicorum effatum: contra naturam vanum esse niti. Sed tamen vitam hominibus dimetiri, eius est unius de quo propheta ait: faciens terram et hominem in ea; dans alitum populo qui est in ea, spiritum calcantibus eam. Post id consequenter subdit David, ab eodem qui dedit, pro sua potestate subductionem fieri: auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Deinde memoratur etiam diruti aedificii instauratio atque excitatio: emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae. Insuper nobis necessario animadvertendum est, morbos saepe a Deo infligi haud plane ob causas corpori insitas, sed quia vel peccatoribus irascitur (sicuti Asae Iudae regi qui senex pedibus laboravit; isque dicitur iram Domini commovisse, quia non hunc sed medicos imploraverit, ut in sacris litteris fertur:) vel quia futuri aevi salutem praesente molestia nobis conciliat; ideoque noxarum purgat reatum: sicuti Corinthiis aiebat apostolus: idcirco inter vos multi debiles et infirmi sunt et dormiunt complures. Nam si nosmet ipsi iudicaremus, haud profecto iudicaremur: iudicati autem a Domino corripimur, ne cum mundo damnemur. Ergo ceteros sane casus varios atque multiplices a diversis causis rationibusque contingere

ἀνθρώποις ἐπάγεσθαι μὴ ἄλλως ἡμῖν νομιστέον ἢ κατὰ τὸν τοῦ μεγάλου Βασιλείου λόγον τοῦ σοφωτάτου, τῶν ὅρων τῆς ζωῆς πληρωθέντων, οὓς ἐξ ἀρχῆς παρ' ἕκαστον ἡ δικαία τοῦ Θεοῦ κρίσις ἔπηξε, πόρρωθεν τὸ παρ' ἕκαστον ἡμῶν συμφέρον προσκοπουμένου.

ε. Β. Ταυτησὶ τῆς νῦν παρενηνεγμένης ῥήσεως τοῦ μεγάλου Βασιλείου, πολὺς μὲν ὁ λόγος παρὰ τοῖς πλείοσιν· ὧν οἱ μὲν ὡς νόμον ἀπαράβατον τὸ εἰρημένον κατέχουσιν· οἱ δὲ ποικίλαις ἀντιθέσεσι τὰς πρὸς τοῦτο συγκαταθέσεις διασαλεύειν πειρῶνται· ἐμοὶ δὲ πρὸς τοὺς δευτέρους μᾶλλον ῥέπει τὰ τῆς κρίσεως. Α. Ἄξιον μὲν προθέσθαι ἅς τινας φῂς ἀντιθέσεις προάγεσθαι παρὰ τῶν τοῖς πατρικαῖς μὴ ὑποκλινομένων φωναῖς· ἐγὼ δὲ τῶν οὕτως ἐχόντων, πρώτιστον τοῦτο τίθεμαι κατηγόρημα, τὸ μὴ πείθεσθαι αὐτοὺς τοῖς ἡγουμένοις ἡμῶν καὶ ὑπείκειν αὐτοῖς, ᾗ φησιν ὁ θεῖος ἀπόστολος (1)· καὶ τούτοις, οἷς δὴ μάλιστα διὰ βίου καθαρότητα καὶ δογμάτων ἀκρίβειαν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία ἀποστολικὸν ἀπονέμει τὸ σέβας· καὶ κατ' ἐξαίρετον τούτῳ δὴ τῷ μεγάλῳ καὶ ὄντως τὰ θεῖα σοφῷ· οὗ τινος οἱ μικροί τινες ἐπαινέται οὐδὲ ἐπὶ μικροῖς τισι τοῦτον θαυμάζοντες, ἀλλὰ Γρηγόριος μὲν ὁ θεολόγος καὶ ὁ πολὺς Ἀθανάσιος τῆς εὐσεβείας οἱ στύλοι καὶ τῆς τριάδος ὑπέρμαχοι, οἱ τοὺς ἐπαίνους συνείροντες (2)· σοφίας

Hebr. XIII. 17.

nobis putemus; mortem autem adduci hominibus haud aliter credamus, nisi cum, ut sapientissimus Basilius ait, vitae termini expleti fuerint, quos initio iustum Dei iudicium cuique statuit, multo longe singulorum utilitates prospicientis.

5. B. De praedicta Basilii sententia multus apud permultos sermo est, quorum alii instar legis districtae habent, alii variis contradictionibus assensum huic opinioni labefactare student. Meum vero ad hos postremos iudicium mentis devolvitur. A. Operae pretium erit proferre in medium quas habere dicis contradictiones eorum, qui patris nostri vocibus non obaudiunt. Ego interim adversus huiusmodi homines hanc potissimam querelam commoveo, quod hi ducibus nostris non obsequuntur neque obediunt; quum hos tamen praecipue propter vitae puritatem et dogmatum ius exactum catholica ecclesia haud secus quam apostolos veneretur; atque hunc apprime magnum vereque rerum divinarum scientem; cuius neque exigui laudatores sunt, neque ob res exiguas hunc admirantes: sed theologus Gregorius et magnus Athanasius, religionis columina, propugnacula trinitatis, qui sententiam eius commendant.

(1) Haec et illa, quae sequitur, patrum atque ecclesiasticae traditionis commendatio, catholicae methodo apprime favet, contra heterodoxorum solutiorem iudicii libertatem, quae fidei fundamenta paulatim subruit.

(2) Gregorii theologi laudes innumerae Basilio dictae notissimae sunt. Athanasium quoque Basilii praedicatorem videmus in epistulis ad Iohannem et Palladium atque Antiochum ed. Mauria. tom. II. p. 956-957. Nequid dicam de loco alio epistulae secundae ad Castorem, quam Athanasio imperite suppositam scimus.

δὲ γνῶσις τελεωτάτη τῶν ἐγκωμίων ἡ ἀφορμὴ καὶ ἡ πλοκὴ τῶν στεφάνων (1)· Β. Ὡς ἔοικεν ἡ πυθαγόρειος ἡμᾶς ἀνάγκη τὰ νῦν περιστοιχίζεται, ἐπὶ τὸ αὐτὸς ἔφα ἐν τοῖς τῶν ἐπιλύσεων ἀπορίαις καταφεύγειν ἡμᾶς βιαζομένη· εἰ γὰρ λόγῳ τινὶ καὶ θεωρίᾳ οὐκ ἀνεπισκέπτῳ τῷ τῶν ἀληθῶν κατανοήσεως τὸ δογματιζόμενον ἐπηώρηται, ἀποδιδόσθω ὁ λόγος καὶ ἀναπτυσσέσθω ἡ θεωρία· ὡς ἂν ἑκούσιον καὶ ἀβίαστον λάβοι τὴν τοῦ διδασκομένου συγκατάθεσιν· εἰ δὲ ἁπλῶς ὑπάρχει ἀπόφανσις τὸ λεγόμενον, δεσποτικώτερον τὸ μὴ ἀντιλέγειν ἀναγκάζουσα, καὶ αὐτὸ δὴ τοῦτο τὸ ἀντιλέγεσθαι ἐπισύρεται. Α. Εἰ μὲν τῶν ἀπὸ καρδίας καὶ οὐκ ἀπὸ στόματος κυρίου λαλούντων κατὰ τὸ γεγραμμένον ὁ λόγος, ἐξεταζέσθω ἡ εὔνοια, καὶ ἀπαιτείσθω ἡ πρὸς τὰ πρόδηλα συμφωνία τῶν λεγομένων· ἐπὶ δὲ τῶν πνεύματι θεοῦ λαλούντων μυστήρια οὐκ ἀσφαλὴς ἡ ἀντίρρησις· οὐδὲ τὸ τοῖς ἀνθρωπίνοις ἁπλῶς ἀκολουθεῖν λογισμοῖς καὶ ταῖς ἑαυτῶν καταλήψεσι καταπιστεύειν ἡμᾶς, ἐστὶν ἀκίνδυνον· πίστει γὰρ καὶ οὐ πολυπραγμοσύνῃ τὰ θεῖα τῶν γραφῶν παρεδεξάμεθα λόγια· καὶ οὐ διὰ τὸ ὑπὲρ τὴν ἡμετέραν κατανόησιν εἶναι τῶν παραδιδομένων τὴν δύναμιν, ἀθετεῖν ταῦτα ἀνεσχόμεθα· οὐκοῦν καὶ τὰς τῶν ἐκκρίτων διδασκάλων φωνάς, τῆς ὁμοίας παραδοχῆς ἀξιώσωμεν (2)· ἅς τινας ὁ ἐκκλησιαστὴς αἰνιττόμενος, λόγοι σοφῶν φησι ὡς τὰ βούκεντρα καὶ ὡς ἧλοι πεπυρωμένοι, οἳ παρὰ τῶν συνταγμάτων ἐδόθησαν ἐκ ποιμένος ἑνός· ὁ

Ps. XI. 3.

Eccles. XII. 11.

Porro exquisitae sapientiae argumentum est, laudum congeries et corollarum textus. B. Ut video, nunc pythagorica nos circumstat necessitas, qua cogimur in dubiorum solutionibus ad illud confugere *ipse dixit.* Atqui si dogma ambiguum est propter aliquam locutionem vel theoriam, quae veritatis studioso vestigatori non erit impervia, reddatur sane rei ratio et explicetur, ut voluntarius sit discentis assensus non coactus. Sin quod dicitur nuda est affirmatio, quae sibi contradici imperiosius vetat, haec ipsa provocat contradictionem. A. Si ex humano corde, non ore Domini, ut ait scriptura, verba fiunt, equidem licebit, bona venia impetrata, exposcere ut ea quae dicuntur, ab iis quae in confesso sunt, non abhorreant. Sed enim hominibus qui spiritu Dei commoti mysteria loquuntur, non est tutum contradicere: tum etiam humanis prorsus indulgere ratiociniis, nostrisque fidere perceptionibus, periculo non caret. Fide enim, non curiositate, divina scripturarum oracula accepimus: nec si forte horum vis intelligentiam nostram excedit, iis idcirco derogandum censemus. Ergo praecipuorum quoque magistrorum voces pari obsequio prosequamur: quas videlicet Ecclesiastes innuens; sermones sapientium, inquit, ut stimuli, ut clavi ignei; qui omnes ex condicto ab uno pastore pro-

(1) Poëtica sententia elegans et notabilis!

(2) Rursus praeclara sententia adversus eos qui sacra biblia humanae criticae regulis prorsus subliciunt; et de priscis patribus sine debita reverentia iudicant.

γὰρ λαλήσας πάλαι ἐν τοῖς προφήταις, ὁ αὐτὸς καὶ ἐν ἀποστόλοις τὴν χάριν ἐνήργησε, καὶ διὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐδίδαξεν· αὐτὸς γὰρ ἔθετο ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ,
I. Cor. Παῦλος βοᾷ, πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους·
XII. 28. εἰ οὖν τοῖς Πυθαγόρου μαθηταῖς τοσαύτη αἰδὼς τῆς ἐκείνου φιλοσοφίας, καθὼς ἐτόπαζον, ὑπῆν, ὥστε τὴν ἐκείνου παράδοσιν παντὸς ἀποδεικτικοῦ λόγου ἰσχυροτέραν λογίζεσθαι, τί ἂν ἡμεῖς πάθοιμεν μὴ τὸ ἴσον εἰς εὐπείθειαν τοῖς θεοφόροις πατράσι νέμοντες;

ς. Β. Ἀλλ' οὐ Βασιλείῳ οὕτως νενόηται τὰ τῆς χρήσεως ὡς ὑμῖν δοκεῖ, ἀλλ' ὅρων πλήρωσιν ἔφη τὸ εἰς γῆν ὑποστρέφειν τὸν ἄνθρωπον (1)· ἐν τούτῳ
Gen. III. 19. τέλος λαμβανόντων τῶν κατ' ἀρχὰς ἀπὸ Θεοῦ ὁρισθέντων τὸ γῆ εἶ καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ· οὐ γὰρ κατὰ χρόνου περαίωσιν τοῦτο λαμβάνειν χρὴ, ὡς καὶ χρονικοῦ ὁρισμοῦ περιγράφοντος τὴν τοῦ ἀνθρώπου ζωήν· ἀλλ' ὥσπερ εἴρηται ἐν τοῖς
Matth. II. 17. εὐαγγελίοις, τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου (2) τοῦ προφήτου· ἢ τὸ, ἵνα
IIII. 14. πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ ἑτέρου προφήτου· οὕτω καὶ ἐνταῦθα νοητέον τὰ περὶ τοῦ πληρωθῆναι τοὺς ὅρους τῆς ζωῆς εἰρημένα. Α. Δύο μέμψεων μιᾷ πάντως ὑποπεσεῖσθε, ἢ τῷ μὴ νοῆσαι ὑγιῶς τὰ τῷ διδασκάλῳ δογματισθέντα, ἢ τῷ ἑκόντι παραλογίσασθαι τὴν ἀλήθειαν· ἡ μὲν γὰρ τῷ ἀνθρώπῳ δοθεῖσα τὸ κατ' ἀρχὰς ἀπόφασις ἐκ Θεοῦ, τὸ εἰς γῆν ἀναλύειν αὐτὸν ἐξ ἧς ἐλήφθη, ἵνα ὅρον

deunt. Nam qui olim locutus est prophetis, idem apostolis gratiam indidit, et deinde etiam per sanctos patres nos docuit. Ipse enim posuit in ecclesia, ut Paulus clamat, primum apostolos, deinde prophetas, tertio doctores. Igitur si Pythagorae discipulis tanta inerat erga eiusdem, quam ipsi existimabant, philosophiam reverentia, ut traditionem eius demonstrativa qualibet oratione potiorem ducerent; quid nobis fiet, si forte par obsequium divinitus afflatis patribus non tribuerimus?

6. B. Atqui Basilius non eo, quem vos putatis, sensu elocutus est; sed complementum terminorum dixit hominis reditum in pulverem. Tunc enim finis est rei, quam initio Deus his verbis definivit: pulvis es et in pulverem reverteris. Non enim heic temporis terminus intelligendus est, ita ut temporali quoque limite vitam hominis Deus circumscripserit; sed sicuti in evangeliis dicitur, tunc impletum est Isaiae prophetae effatum; vel, ut impleretur alterius prophetae dictum; ita heic etiam de completis vitae terminis intelligenda locutio est. A. In duorum errorum alterutrum sine dubio incurritis; nempe vel magistri doctrinam non recte intelligitis, vel ultro veritati illuditis. Nam Dei ab initio adversus hominem lata sententia, ut hic scilicet in eum, de quo sumptus est, pulverem resolvatur, unum generi hominum universo constitu-

(1) Hac prorsus responsione utitur Anastasius quaest. LXXXVIII. πρὸς τοὺς δὲ φέροντας τὸν μέγαν Βασίλειον προορισμὸν ζωῆς λέγοντα, ἐκεῖνο ἐροῦμεν, ὅτι προορισμὸν ὁ πατὴρ εἶπε τὴν θείαν ἀπόφασιν λέγουσαν ὅτι γῆ εἶ καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ.

(2) Corrige Ἱερεμίου.

δοθῆναι κατὰ παντὸς ὑπαγορεύει τοῦ γένους, καὶ οὐ πολλοὺς ἐκ τῶν περὶ ἕκαστον θεωρουμένους· ἡ δὲ τοῦ διδασκάλου φωνὴ οὐ μόνον περὶ ἕκαστον ζωῆς ὅρους ἤδη πεπῆχθαι, ἀλλὰ καὶ τὸ περὶ ἕκαστον συμφέρον ἐκ τούτου προσκοπεῖσθαι ἐδίδαξε· δῆλον δὲ ὡς ἡ μὲν ἐκ τῆς πρώτης καταδίκης ἐπαγωγὴ, μία καὶ ἡ αὐτὴ ἐπὶ πάντων ἀνθρώπων ἐστίν· ὁμοίως γὰρ πάντες εἰς γῆν ἀποστρεφόμεθα, εἰ καὶ οἱ τρόποι τοῦ θανάτου διάφοροι· τὸ δὲ ἄλλον ἄλλου θᾶττον ἢ βραδύτερον ἀποβιῶναι, τὴν πρὸς τὸ συμφέρον ἡμῖν τοῦτο οἰκονομοῦσαν τοῦ θεοῦ πρόνοιαν δείκνυσι· τῷ μὲν πρὸς τὸ μετανοίᾳ τὰ φθάσαντα διορθώσασθαι σφάλματα, πλείονα ἐπιμετροῦντος ζωήν· τὸν δὲ πρὸς τὸ μὴ ἐμπαγῆναι εἰς ὕλην τοῦ τῆς ἁμαρτίας βυθοῦ, τάχιον προαρπάζοντος· μᾶλλον δὲ κατὰ τὴν ἄρρητον τῆς σοφίας αὐτοῦ καὶ τῆς ἀγαθότητος ἄβυσσον, ᾗ τινι μὴ δὲ ἀγγελικὸν ὅλως προσβλέψαι νοῦν δυνατὸν, τὰ τοιαῦτα οἰκονομοῦντος, καὶ τῇ οἰκείᾳ προγνωστικῇ δυνάμει προθεωροῦντος τὰς ἐκβάσεις τῶν ἐσομένων, καὶ καταλλήλως τούτοις τῇ δικαίᾳ ἑαυτοῦ κρίσει τὰ τέλη τούτων προορίζοντος· καὶ ἵνα μήτις ἡμᾶς παραστοχάζεσθαι τῆς πατρικῆς ἐννοίας νομίσειεν, αὐτὸν Βασίλειον τὸν σοφώτατον δεξώμεθα τῶν οἰκείων λόγων ἐξηγητὴν ἐν τῷ περὶ εὐχαριστίας δευτέρῳ λόγῳ (1) λέγοντα οὑτωσί· " ἐννόησον γὰρ ὅτι ὁ πλάσας ἡμᾶς καὶ ψυχώσας Θεὸς, ἰδίαν
,, ἔδωκεν ἑκάστῃ ψυχῇ τὴν τοῦ βίου διαγωγὴν, καὶ ἄλλοις ἄλλους ὅρους ἔπηξε
,, τῆς ἐξόδου· ὃν μὲν γὰρ ἐπὶ πλεῖον παραμένειν τῇ παρουσίᾳ τῆς σαρκὸς ᾠκο-
,, νόμησε· τὸν δὲ θᾶττον ἀπολυθῆναι τῶν δεσμῶν τοῦ σώματος διετάξατο, κατὰ

Rom. XI. 33.

tum esse terminum monet, non plures qui ex singulorum exitu cognoscantur. At vero doctoris vox non solum singulorum vitae praestitutos limites ait, verum etiam quid cuique homini utile sit, hac ipsa re prospectum antea docet. Constat autem primae damnationis sententiam, unam eamdemque contra omnes homines esse. Aeque enim cuncti in pulverem revertimur, etsi genera mortis differunt. Quod vero alius alio citius moritur, id sollicitam utilitatum nostrarum providentiam Dei demonstrat: qui alii ob emendanda prioris temporis errata diuturniorem dimetitur vitam; alium, ne in coenosum peccatorum barathrum demergatur, citius abripit. Et quidem sic agit pro sua ineffabili sapientiae bonitatisque altitudine (in quam ne angelicae quidem menti introspicere licet,) suaque futuri praescia vi, qua rerum exitum prospicit, atque his congruenter, iusto suo iudicio, fines praestituit. Ac nequis forte nos a patris sensu aberrare putet, sapientissimum ipsum Basilium sententiae suae narratorem audiamus in secunda de gratiis agendis oratione: " fac animo tuo re-
,, putes, a factore nostro atque animatore Deo, proprium cuique animae at-
,, tributum esse vitae curriculum, atque aliis alios excedendi vita limites po-
,, suisse: et hunc diutius superesse in carne decrevit; illum celerius solvi vin-

(1) Nempe in sermone qui vulgo inscribitur de martyre Iulitta cap. 5.

„ τοὺς ἀῤῥήτους τῆς σοφίας αὐτοῦ καὶ τῆς δικαιοσύνης λόγους· ὥσπερ οὖν οἱ ταῖς
„ εἱρκταῖς ἐμπίπτοντες, οἱ μὲν ἐπὶ πλείονα χρόνον τῇ κακώσει τῶν δεσμω-
„ τικῶν ἐναποκλείονται, οἱ δὲ ταχυτέραν εὑρίσκουσι τῆς κακοπαθείας ἀπαλ-
„ λαγὴν, οὕτω καὶ αἱ ψυχαὶ, αἱ μὲν ἐπὶ πολὺ προκατέχονται τῇ ζωῇ ταύ-
„ τῃ, αἱ δὲ ἐπ' ἔλαττον, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς ἀξίας ἑκάστου· σοφῶς καὶ βα-
„ θέως, καὶ ὡς οὐκ ἂν ἐφίκητο νοῦς ἀνθρώπων, τὰ περὶ ἕκαστον ἡμῶν τοῦ κτί-
„ σαντος ἡμᾶς προβλεπομένου (1) „.

ζ. Β. Οὐκοῦν καὶ τῶν ἀλόγων κατὰ σὲ ὅρους ἐροῦμεν τῆς ζωῆς. Α. Πῶς τοῦ-
το φῄς; Β. Ὅτι τοι γέγραπται, ὡς ὁ θάνατος τούτου, οὕτως καὶ ὁ θάνα-
Eccles. III. 19. τος τούτου, καὶ πνεῦμα ἓν τοῖς πᾶσι· καὶ τί περιέσσευσεν ὁ ἄνθρωπος παρὰ
τὸ κτῆνος; οὐδέν· ὅτι τὰ πάντα πορεύεται εἰς τόπον ἕνα· τὰ πάντα ἐγένετο
ἐκ τοῦ χοὸς, καὶ τὰ πάντα ἐπιστρέφει εἰς τὸν χοῦν. Α. Οὕτω μὲν γέγραπται ταῦ-
τα· οὐχ οὕτω δὲ ἔχει κατὰ τὴν ἔννοιαν ὥσπερ ὑπείληφας σύ· ἡ γὰρ τῶν ἑξῆς ἐπα-
γωγὴ, ἣν αὐτὸς παρεκράτησας, τὴν ἀληθῆ τῶν γεγραμμένων ἐμφαίνει διάνοιαν· τῇ-
δε γὰρ ἔχει· καὶ τίς οἶδεν εἰ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνει αὐτὸ εἰς ἄνω;
καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ κτήνους καταβαίνει κάτω εἰς γῆν; τὸ μὲν γὰρ πνεῦμα τοῦ
ἀνθρώπου κατὰ τὴν αὐτοῦ τοῦ ἐκκλησιαστοῦ φωνὴν ἐπιστρέφει πρὸς τὸν θεὸν ὃς ἔδω-
κεν αὐτὸ, οὐσία ὑπάρχον ἄϋλος ζῶσα νοερά· καὶ δι' αὐτὸ εἴρηται ἀναβαίνειν
αὐτὸ εἰς ἄνω· τὸ δὲ τοῦ κτήνους πνεῦμα ὑλικὸν ὑπάρχει, ἐκ γῆς τὴν σύστασιν ὁμο-
ίως τῷ σώματι εἰληφὸς, κινητικὴν τοῦτο δύναμιν ἔχον· καὶ διὰ τοῦτο εἰς γῆν

„ culis corporis statuit; secundum arcanas sapientiae suae iustitiaeque ratio-
„ nes. Sicuti ergo qui in carcerem coniiciuntur, partim tempore prolixiore cu-
„ stodum saevitia includuntur, partim ociorem inveniunt poenae depulsionem;
„ sic et animae partim diutius in hac vita retinentur partim brevius, pro cu-
„ iusque merito: nostro scilicet creatore sapienter atque longissime, et prae
„ omni humanae mentis acumine, res nostras singulorum praevidente „.

7. B. Ergo etiam brutis, te iudice, vitae terminos definitos dicemus? A. Quid ita? B. Quia scriptum est: sicut mors huius, ita et mors illius; unusque omnibus spiritus. Et quid homo praestat beluae? nihil. Etenim omnia eumdem in locum abeunt. Omnia de pulvere orta sunt, atque omnia in pulverem revertuntur. A. Haec quidem ita sunt scripta: neque tamen eorum est, quem tu putas, sensus. Nam quae ibi sequuntur, quaeque tu reticuisti, veram scripturae sententiam produnt. Sunt autem haec: et quis novit utrum spiritus hominis sursus adscendat? et beluae spiritus feratur in terram? Scilicet hominis spiritus, secundum ipsius Ecclesiastae effatum, ad Deum qui dedit ipsum revertitur; quum sit incorporea substantia intellectualis; ideoque dicitur sursum adscendere. Bruti autem spiritus materialis est, substantiam suam de terra haud

(1) Locus idoneus confirmandae sententiae de praedestinatione post praevisa merita.

ἀναλύεσθαι σὺν τῷ σώματι πέφυκεν· ὁ οὖν ἐκκλησιαστὴς οὐχὶ τὴν ἑαυτοῦ κεκριμένην γνώμην εἰσάγων ἐκεῖνα ἔφη τὰ ῥήματα, ἀλλὰ τὴν τῶν πολλῶν τῶν σωματικώτερον ζῆν αἱρουμένων, καὶ μηδὲν τῶν κατ' αἴσθησιν ὑψηλότερον ἐννοουμένων· καὶ τοῦτο δείκνυται ἐκ τῆς φράσεως τοῦ προκειμένου σαφέστερον· προειπὼν γὰρ ἐκεῖ, εἶπα ἐν καρδίᾳ μου περὶ λαλιᾶς υἱῶν τοῦ ἀνθρώπου, ὅτι διακρινεῖ αὐτοὺς ὁ θεός· καὶ τοῦ δεῖξαι ὅτι αὐτοὶ κτήνη εἰσὶν, ἐπάγει, τίς ἡ λαλιὰ καθ' ἣν κριθήσονται, καὶ δι' ἣν ἐν τῇ τῶν κτηνῶν μοίρᾳ ταχθήσονται· ὅτι συνάντημα φησὶν υἱῶν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ συνάντημα κτήνους ἐν αὐτοῖς· ὡς ὁ θάνατος τούτου, οὕτως καὶ ὁ θάνατος τούτου· καὶ αὕτη μὲν ἡ τῶν πολλῶν δόξα τε καὶ πληροφορία· ὁ δὲ τὴν οἰκείαν γνώμην τιθεὶς διδάσκει, ὅτι ὀλίγων ἐστὶ τὴν τούτων ὑγιῶς διάκρισιν ποιεῖσθαι· ὥστε τὸ μὲν τοῦ κτήνους πνεῦμα εἰδέναι εἰς γῆν διαλύεσθαι, ἐξ ἧς καὶ συνέστηκε· τὸ δὲ τοῦ ἀνθρώπου πρὸς τὸν θεὸν ἐπιστρέφειν, ὃς ἔδωκεν αὐτὸ (a), παρ' ἑαυτοῦ ζωὴν ἐνθεὶς τῷ ἐκ τῆς ὕλης ληφθέντι σώματι· ἣν τινα ψυχὴν νοερὰν καὶ εἰκόνα θεοῦ οἶδεν ὁ λόγος κατὰ τὸν θεολόγον Γρη-
γόριον (1)· καὶ γὰρ τὸ τίς παρὰ τῇ γραφῇ ὡς τὰ πολλὰ ἐπὶ τοῦ σπανίου εἴωθε Ps. XXIII. 3.
τάττεσθαι· ὡς τὸ τίς ἀναβήσεται εἰς τὸ ὄρος τοῦ κυρίου; καὶ τίς ἐστιν ἄνθρωπος XXXIII. 13.
ὁ θέλων ζωήν; καὶ τίς ἄρα ὁ πιστὸς καὶ φρόνιμος οἰκονόμος; καὶ τὰ παρα- Matth. XXIIII. 45.
πλήσια.

secus quam corpus nactus, vimque habens movendi huius; ideoque ut in pulverem cum corpore resolvatur, natura comparatum est. Ergo Ecclesiastes non suam sententiam proferens verba illa elocutus est, sed potius hominum, vitam corporeae voluptati deditam instituentium, nihilque supra sensum cogitantium. Idque apertius praecedente dictione testatus est: dixi in corde meo de sermunculis filiorum hominis, fore ut diiudicet illos Deus: Atque ut ostendat eos instar esse brutorum; addit quinam sint sermunculi secundum quos indicabuntur, et quorum causa in beluarum numero reputandi erunt: quia eventus est, inquit, filiorum hominis, et eventus iumenti in ipsis. Sicuti mors huius, ita et mors illius. Et haec multorum opinio est ac persuasio. Qui autem propriam sententiam scribit, is ait paucorum esse sanum iudicium mente informare; ita ut noscant, iumenti spiritum pulveri, unde constat, esse reddendum; spiritum hominis ad Deum reversurum qui dederat, quique vitam ex semet ipso inspiraverat sumpto de terra corpori: quam animam intellectualem Deique imaginem ratio agnoscit, teste Gregorio theologo. Nam et vocabulum τίς de re infrequenti dici solet in scriptura. Veluti, quis ascendet in montem Domini? et quis est homo qui vult vitam? et quis fidelis prudensque vilicus? et similia.

(a) Cod. αὐτῷ.

(1) Confer Billii editionem tom. I. or. XII. p. 198.

η. Β. Πῶς ἡμᾶς ἐστι δυνατὸν ὅρους τῆς ἑκάστου ζωῆς ἐννοεῖν; ὁπότε πᾶς μὲν ὅρος τὸ ἐξ αὐτοῦ ὁριζόμενον ἔχει, μήτε ὑπερβάλλων τὴν αὐτοῦ περιγραφήν, μήτε ἐλλείπων πρὸς ταύτην; ὡς ἐκ τῶν πρὸς τὸν Ἰὼβ ἐκ τοῦ θεοῦ περὶ τῆς θαλάσ-
Cap. XXXVIII. 10. σης εἰρημένων ἔξεστιν ἐννοεῖν· λέγει γάρ, ἐθέμην δὲ αὐτῇ ὅρια περιθεὶς κλεῖθρα καὶ πύλας· εἶπα δὲ αὐτῇ, μέχρι τούτου ἐλεύσῃ καὶ οὐχ ὑπερβήσῃ· ἡμεῖς δὲ εὑρίσκομεν ἐν ταῖς γραφαῖς καὶ προσθήκην ζωῆς τοῖς εὐδοκίμοις γίνεσθαι ἐκ θεοῦ, καὶ κολόβωσιν χρόνων ἐπακολουθεῖν τοῖς βίον ἡμαρτημένον κατεγνωσμένοις· ἀδύνατον οὖν εἴπερ ἐξ ἀρχῆς ὅρους τῆς ἑκάστου ζωῆς ἔπηξε θεός, τούτους κατά τι γοῦν παρασαλευθῆναι, ἢ ὑπερβιώσει τῶν ἐναρέτων, ἢ ἐλαττώσει τῶν κατεγνωσμένων, ἐπεὶ οὐκ ἂν ἦσαν ὅροι. Α. Καὶ ποῦ σοι τῶν γραφῶν τὰ τοιαῦτα παρατετήρηται;
IIII. Reg. XX. 6. Ps. LIIII. 24. Proverb. IIII. 10. XI. 30. Eccles. VII. 18. Β. Πρόδηλον ὡς Ἐζεκίας μὲν δι' εὐσέβειαν, ἐτῶν πεντεκαίδεκα προσθήκην ζωῆς ἐκομίσατο· ἄνδρες δὲ αἱμάτων καὶ δολιότητος οὐ μὴ ἡμισεύσωσι τὰς ἡμέρας αὐτῶν, βοᾷ Δαβίδ· καὶ ὁ Σολομῶν, ἄκουε υἱὲ ἐμοὺς λόγους φησί, καὶ προστεθήσεταί σοι ἔτη ζωῆς· καὶ πάλιν ἀποτρέπων τὰς πρὸς τὴν κακίαν ὁδούς, μὴ γίνου σκληρὸς φησί, καὶ μὴ ἀσεβήσῃς πολύ, ἵνα μὴ ἀποθάνῃς ἐν οὐ καιρῷ σου· καὶ πάλιν, ἀφαιροῦνται δὲ ἄωροι ψυχαὶ παρανόμων· καὶ τούτων πλείονα ἐν ταῖς γραφαῖς εὑρισκόμενα· εἰ οὖν ὕφεσιν καὶ ἐπίτασιν πρὸς τὸ τῆς πολιτείας διάφορον λαμβάνει τὰ τῆς ζωῆς, οὐδαμῶς ὅροι ταύτης τοῖς ἀνθρώποις πεπήγασι· τὸ γὰρ πάγιον ἀμετακίνητον διαμένειν ἀνάγκη· ἐπεὶ πῶς ἂν εἴη πάγιον;

8. B. At enim qui fieri potest ut singulorum hominum vitae certos terminos esse credamus, siquidem terminus res per se definita est, quae neque additamentum patitur neque defectum? quod ex dicto Dei ad Iobum de mari colligere licet. Ait enim: constitui mari fines, claustris appositis ianuisque; eique dixi, huc usque pertinges neque ultra progredieris. Nos autem in scripturis invenimus tum incrementa vitae a Deo bonis hominibus fieri, tum temporis detractionem his qui prave vitam instituunt. Impossibile est igitur, si a principio Deus singulorum vitae terminos posuit, hos ullo modo commoveri, sive bonorum maiore longaevitate, sive improborum breviore vita; alioqui termini iam non essent. A. Fare age in quibusnam scripturae locis haec deprehendisti? B. Constat Ezeciae pietatis ergo quindecim annis vitam fuisse prorogatam. Viri autem sanguinum et fallaciae non attingent aetatis suae dimidium, inquit David. Tum Salomon: audi, fili, sermones meos inquit, ut sibi augeantur vitae anni. Et rursus, ne deflectas ad vias pravas, neque contumax fias, neque magnopere pecces, ne tempore non tuo moriaris. Praeterea: abripiuntur intempestivae animae impiorum. Plura eiusmodi in sacris litteris sunt. Si ergo imminutionem et incrementum pro diverso morum genere vita humana recipit, nequaquam huic fines praefixi fuerunt. Nam quod fixum est, id immobile maneat necesse est: alioqui quomodo esset fixum?

Θ. Α. Τὰ πρὸς ἐποχὴν τῆς ἁμαρτίας ἢ προτροπὴν ἀρετῆς ἐν ταῖς θείαις εἰ-
ρημένα γραφαῖς ἀναγκαίως ἡμῖν προσάγονται ὑπὸ Θεοῦ· ἵνα πᾶν στόμα φρα- Rom. III. 19.
γῇ, ὡς ὁ μακάριος Παῦλος βοᾷ, καὶ ὑπόδικος γένηται πᾶς ὁ κόσμος τῷ Θεῷ·
καὶ οὐχ ὡς ἀγνοοῦντος αὐτοῦ τὸ ἐσόμενον, κατὰ τὸν μέγαν Γρηγόριον, ἀλλὰ νο-
μοθετοῦντος τὸ αὐτεξούσιον (1) τὰ τοιαῦτα δίδοται νουθετήματα· αὐτὸς γὰρ
εἰδὼς τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν, ἐξ ἀπείρου καὶ οὐ προσφάτως, οὐδὲ ἐκ
τεκμηρίων στοχαζόμενος τὸ ἐσόμενον, ἀλλὰ δυνάμει θεοπρεπεῖ καὶ ἀῤῥήτῳ τῇ
τῶν γενησομένων ἐπιβάλλων ἐκβάσει· καὶ ὑπ᾽ ὄψιν ὡς εἰπεῖν τὰ μέλλοντα προο-
ρώμενος, προσφόρως τοῖς προεωραμένοις αὐτῷ καὶ τὰ τῆς ἑαυτοῦ κρίσεως ἐπ᾽
αὐτοῖς προορίζει (2)· ἄνθρωποι μὲν γὰρ μετὰ τὰς τῶν πραγμάτων ἐκβάσεις, τὰς
καταλλήλους κρίσεις ἐπάγουσι· Θεῷ δὲ τὸ μέλλον ὡς ἤδη ἑστὸς θεωρεῖται· καὶ
κατὰ τοῦτο τὰ τῆς πρεπούσης ἀξίας μᾶλλον δὲ τῆς συμφερούσης ἑκάστῳ λήξεως προ-
θεσπίζει ἀπαραβάτως, εἴ τε ἐν παρατάσει ζωῆς, εἴ τε ἐν ὀλιγότητι καὶ συστο-
λῇ τῆς βιώσεως· ἐπειδὴ καὶ τὰ τῆς προγνώσεως οὐκ ἐσφαλμένα· κατά τι γοῦν ὅλως
καὶ τὸ βραχύτατον ἐν αὐτῷ θεωροῦνται· ἀλλ᾽ ἐν ἀκριβεστάτῃ λίαν καταλήψει
τῷ ὑπερουσίῳ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως ἐνυπάρχουσιν· ἀπειλεῖ τοίνυν τὰ φοβερὰ καὶ
πάλιν ἐπαγγέλλεται τὰ χρηστά· ἵνα διὰ μὲν τῶν, ὑπαγάγῃ τῆς ἁμαρτίας· διὰ
δὲ τῶν, τῇ ἀρετῇ προσαγάγηται τοὺς ὑπακούοντας· αὐτεξούσιον ἔχοντος τοῦ ἀνθρώ-
που τὴν ἐφ᾽ ἑκάτερα ῥοπὴν καὶ ἀβίαστον· πανταχοῦ δεικνύντος τοῦ Θεοῦ δι᾽ ὑπερβάλ-

9. A. Quae vel ad peccatum inhibendum vel ad excitandam virtutem in divinis scripturis dicta fuerunt, ea necessario nobis Deus infert, ut omne os obstruatur, totusque mundus subditus Deo fiat: non quod ipse futura ignoret, ut ait magnus Gregorius; sed quia liberum arbitrium esse vult, idcirco fiunt hae admonitiones. Ipse enim ante hominum nativitatem omnia sciens, ab aeterno non nuperrime, neque e signis futura divinans, sed virtute Deo digna et ineffabili, posterorum temporum eventus adsequitur. Quumque oculis ut ita dicam futura prospectet, convenientia his visis sua quoque iudicia praedestinat. Et homines quidem post rerum exitum idonea iudicia faciunt; Deus autem futurum praesentis instar spectat; atque ita quod cuiusque merito congruit, vel potius debitam cuique sortem, citra omnem transgressionem decernit; sive de vita extendenda agatur, sive de brevitate eiusdem et contractione; quandoquidem eius praesensio errori non est obnoxia. Res enim ipse perfecte ocissimeque in semet spectat: quin hae potius accuratissime cognitae in eius virtute ineffabili continentur. Minatur itaque formidolosa, itemque iucunda pollicetur, ut illa a peccatis deterreant, haec docilibus virtutem suadeant: quandoquidem homo liber utrimque ab omni coactione est. Atque ita

(1) Sunt ipsa Nazianzeni verba orat. XLII. p. 696.

(2) Locus iterum insignis pro sententia theologica de praedestinatione post praevisa merita.

λοιπὸν ἀγαθότητα μηδὲν ἑαυτὸν παραλελοιπέναι τῶν εἰς ἡμετέραν σωτηρίαν ἡκόντων· ἵνα τοῖς καταφρονήσασι τῶν ἐνταλμάτων καὶ τῇ δικαίᾳ αὐτοῦ ἀγανακτήσει ὑπαχθησομένοις, τὸ ἀναπολόγητον προσῇ· καὶ ἵνα γνῶμεν ὅτι καί τοι ἐπιστάμενος τὸ τινῶν ἀπειθὲς, ὅμως πάντα τὰ πρὸς ἐπιμέλειαν αὐτῶν ἐργάζεται, τὴν
Ezec. III. 4. οἰκείαν ἐπιδεικνὺς φιλανθρωπίαν, ἄκουε τί φησι τῷ μακαρίῳ Ἰεζεκιὴλ τῷ προφήτῃ· υἱὲ ἀνθρώπου βάδιζε πρὸς τὸν οἶκον τοῦ Ἰσραὴλ τὸν παραπικραίνοντά με, καὶ λάλησον τοὺς λόγους μου πρὸς αὐτούς· διότι οὐ πρὸς λαὸν βαθύχειλον καὶ βραχύγλωσσον (a) σὺ ἐξαποστέλλῃ, πρὸς τὸν οἶκον τοῦ Ἰσραήλ· οὐ πρὸς λαοὺς πολλοὺς ἀλλοφώνους ἢ ἀλλογλώσσους, οὐδὲ στιβαροὺς τῇ γλώσσῃ ὄντας, ὧν οὐκ ἀκούσῃ τοὺς λόγους· καὶ εἰ πρὸς τοιούτους ἐξαπέστειλά σε, οὗτοι ἂν εἰσήκουσάν σου· ὁ δὲ οἶκος τοῦ Ἰσραὴλ οὐ μὴ θελήσωσιν ὑπακοῦσαί σου, διότι οὐ βούλονται εἰσακούειν μου· σαφέστερον δὲ ταυτὸ τοῦτο καὶ διὰ τῶν ἐν τῷ δευτερονομίῳ γεγραμμένων ἀποδείκνυται· μετὰ γὰρ τὰς τοσαύτας παραγγελίας ἃς αὐτὸς ὁ θεὸς πρὸς τὸν λαὸν διὰ τοῦ νομοθέτου πεποίηται τοῦ ἀπέχεσθαι μὲν πάσης εἰδωλοποιΐας πλάνης, μόνῃ δὲ τῇ αὐτοῦ προσανέχειν λατρείᾳ, ὅρα οἷα πρὸς αὐτὸν ἐκεῖ-
I. Pergo alacriter rescriptos vaticanae bibliothecae codices pro meae stationis munere ad publicum commodum explicare. Nihil autem fere libentius facio, quam ut ineditas romani iuris reliquias hoc potissimum tempore in lucem proferam, cum insignis prudentium turba exsuscitandis per Europam huius scientiae studiis, iisque ad veterem ac genuinam rationem exigendis vehementem operam navat. Iam cum generatim Roma litterarum copiis semper novis atque utilissimis abundavit, tum fortunae dono contigit ut in Pontificis Maximi bibliothecam complures undique venerint prisci codices, qui vel olim praeclara iuris incrementa suppeditavisse videntur, vel nunc etiam studiosis latinarum graecarumve legum hominibus copioso et valido subsidio sunt. Nam nequid dicam de theodosiano codice, de Ulpiani titulis, de rei agrariae legibus atque scriptoribus, quae cuncta opera pervetustis aliquot vaticanae bibliothecae exemplaribus plurimum, ut puto, debent; novellas nuperius leges clarissimi Itali Zirardinius atque Amadutius ex ottoboniano, nunc vaticano, codice excitaverunt. Neque fere a iuridicorum scriptorum classe abhorrent papyracea diplomata, quae vir magnus, et meus in munere decessor, Caietanus Marinius miro edidit commentario inlustrata: quorum pars nobilissima iamdiu parietibus bibliothecae vaticanae ornamento est. Praeterea quanta in pontificiis pluteis adiumenta sint illustrandi iuris, late demonstrat Simonius Assemanus (quamquam nostri palimpsesti nullam facit mentionem) in bibliotheca iuris orientalis: nec non ii quotidie sentiunt docti homines gratique fatentur, qui multam his annis variarum lectionum segetem, multumque critices apparatum in iuridicis vaticani palatii exemplaribus collegerunt. Igitur mihi quoque avet animus pontificiis denuo copiis ius civile, quantum licet, locupletare. Atque illi quidem duumviri Zirardinius et Amadutius novellas suas ponderosis uterque adnotationibus instruxerunt, in quas tam uberes sapientiae divitias contulerunt, ut veterum doctorum gloriam exaequaverint. Ceteroqui ego institutum aliud in hac edenda romani iuris mantissa sequar: nempe quod adtinet ad describendam naturam codicis, nullam prope partem sedulitatis omittam: locos etiam iuris editi, qui cum vaticanis reliquiis vel aliquatenus congruunt vel eas inlustrant, intento saepe digito demonstrabo. Ceterum qui sit fragmentorum horum in re forensi usus, ad ius roma-

num quid singula novi adferant, vel quam quisque titulus respondendi aut docendi peculiarem rationem teneat, quive hinc latinitatis eruditionis doctrinaeque fructus sperandi sint, quae res pleraeque intelligentibus satis patent, libenter dicere supersedebo: praesertim quia vix dubito, quin homines nostrae aetatis doctissimi spartam hanc copiose et pro rei dignitate ornaturi sint. Nunc ut propositi officii partes exsequar, vaticani palimpsesti imaginem apprime deformare verbis aggrediar.

Palimpsestus vaticanus.

II. Est in sinibus bibliothecae vaticanae reconditus latinus codex membraneus, litteris partim adhuc quadratis, saeculi ferme octavi, praenotatus numero VMDCCLXVI, qui sanctorum Aegypti anachoretarum collationes auctore Cassiano continet. Exemplar initio hiat, qua de re in ipso bibliothecae syllabo admonemur: incipit nimirum in collatione quarta cap. XII, cuius tamen verba priora desunt: desinit autem in decima; quo fit ut codex quartam operis partem complectatur. Quem ego Cassiani textum dum legerem, perboni generis esse sentiebam; multasque ac praeclaras varietates deprehendebam, quibus hic liber praeposteris criticorum iudiciis saepe subversus, longe purior, et cum palaeographia quoque iustiore, exhibetur. Neque profecto opera et oleum philologiae christianae periret, siquis pia Cassiani colloquia, vaticani codicis ope, nitidiora ac meliora faceret. Quin hic codex e bibliotheca bobiensi ad nos venerit, dubitare non licet, quamquam eius monasterii non habet inscriptionem, propterea quod priora folia, ut dixi, amisit. Re autem vera *Patrum collationes* recensentur in vetere bibliothecae bobiensis catalogo, quem edidit Muratorius [1]. Tum forma et stemma et ornatus, et reliquorum bobiensium proximus comitatus, bobiensem patriam undique clamant. Quae res eo fit evidentior, quod reliquiae ibidem, cum antiquiore iure, latentes corporis theodosiani (de quibus infra loquendum erit) eadem manu scribi videntur, qua pars fragmentorum taurinensium eiusdem corporis, quorum membranas de bobiensi coenobio translatas fuisse novimus. Constat codex chartis omnino centum, quarum tres supra quadraginta ante scriptum ibi Cassianum purae erant: reliquae ad id genus membranarum pertinent, quae antiquissimis temporibus scriptae, mox vastitati addictae fuerunt, ita ut, priore argumento eluto, novum acceperint. Quae purae erant membranae, eas monachus scriptor formae oblongae fieri curavit: deficientibus autem puris, tres codices civilis iuris discerpsit, iisque dilutis, ac pro sua praesenti necessitate circumcisis et complicatis abusus est. Quae res, quia paulo longiorem postulat orationem, particulatim a me dicetur.

De palimpsesti ea parte in qua sunt reliquiae ineditae iuris.

III. Tria, ut dixi, fuerunt iuris volumina, quibus manus exitiosas bobiensis librarius attulit, quum Patrum collationes scriberet. Primum est volumen inediti eius operis quod in nostra editione praecipuum est: codex nimirum quadratus olim grandiorisque modi, ita ut singulae paginae versus XXXII, eosque praelongos, complectantur. Ex hoc

1 Antiq. Ital. med. aev. T. III. p. 819.

amplissimo codice membranas multas ad suos usus vocavit is qui Cassiani opus descripsit : quas nimirum membranas non solum lauit ob rescribendum, verum eas scidit, nempe ex singulis foliis paribus plura fecit, par unum videlicet simplexque unum : hic enim erat modulus ad novum librum oblongum accommodatior. Porro haec incisorum foliorum frusta partim in novo codice, quamquam satis perturbata, adsuta fuerunt; quae nunc denuo ad suas sedes retracta iuxtaque posita coalescunt, ita ut ipsa litterarum elementa cultro olim dissecta, nunc rursus coeant atque in integritatem suam vindicentur. Multa pars tamen incisorum foliorum in codice non est retenta : cuius mali culpam fortuna sustinet; eoque maiorem, quod, his fragmentis exceptis, moles reliqua immensi fortasse operis universum ius complectentis, in bobiensibus forulis extabuisse videtur. Interim quam in manibus habeo partem operis diligenti studio expoliendam sarciendamque curavi, dedique operam ut liber meus imaginem veluti restituti codicis exhiberet : paginarum scilicet notas adscripsi, versiculos adnumeravi, lineaque suspensa distinxi : foliorum vero incisionem, ubi scilicet nunc vulnus coit, duplici linea designavi; triplici autem transitiones ad aliam paginam; punctis denique materiae defectum.

De ratione partium ordinandarum.

IIII. Iam ob partes perturbatissimi operis recte ordinandas, qui labor edendorum palimpsestorum molestissimus est, usus in primis sum quaternionum notis, quarum aliquot in membranis superstitetes esse videbam, nempe VI. XV. XXVII. XXVIIII. Igitur titulum *ex empto et vendito* primum posui, quia in VI quaternione est : mox titulum *de usu fructu*, qui est in quaternione XV, secundum feci. Titulum vero *de re uxoria ac dotibus* statim certa auctoritate subtexui, quia prius eius folium cum folio extremo *de usufructu* cohaeret. Exin scripsi titulum *de excusatione*, qui est in quaternione XXVII, bonum sane fragmentum, quia superest quaternio integer, dempto sesquifolio, seu paginis duabus et totidem aliarum dimidiis partibus. Exin collocandi fuerunt tituli *quando donator* etc. et *de muneribus ad legem cinciam*, quorum uterque in quaternione XXVIIII scribitur, praeclarum rursus fragmentum et adhuc paulo maius, quia quaternio nonnisi quatuor paginarum dimidias partes desiderat. Fragmentum denique *de cognitoribus et procuratoribus*, quod nulla nota numerali insignitur, extremum collocavi. En autem ordinatarum paginarum imaginem. Signum ‿ foliorum parium cohaerentiam indicat; signum || foliorum abscissorum redintegratam continuitatem; asteriscus denique folia mutila.

Q. VI. pag. 60. b. a. ‿ 61. b. * a. *) Ex empto et vendito.
(Q. VII.) 58. b. a. ‿ 63. b. * a. *)

Q. XV. 88. b. a.||87. b. a. ‿ 85. b. a.) De usufructu.
98. b. * a. * ‿ 98. aa. * bb. *)

*

(Q. XVI?)	96. a. b ‖ 95. a. b. ⌣	91. a. b.	) De usufructu . Item de re uxo-
(Q. XVII?)	99. b. * a. *		) ria ac dotibus .
Q. XXVII.	82. a. b. ⌣	89. a. b ‖ 84. b. a.	)
	97. a. b. ‖ 92. b. a. ⌣	90. a. b.	) De excusatione .
	. . . .	100. b. * a. *	)
	94. b. * a. * ⌣	93. b. a.	)
Q. XXVIIII.	21. b. a. ‖ 86. b. a. ⌣	20. b. a.	) Quando donator intellegatur
	23. b. * a. * ⌣	18. b. a.	) revocasse voluntatem . Item de
	19. a. b. ⌣	22. a. * b. *	) donationibus ad legem cinciam.
	17. b. a. ‖ 85. a. b. ⌣	24. b. a.	)
(Q. XXX.)	62. b. a. ⌣	59. b. * a *	) De cognitoribus et procuratori-
			) bus .

Sunt igitur partes quaternionum octo ; paginae autem quinquaginta sex ; quarum viginti mutilae ; integrae triginta sex .

De aetate et natura iuridici huius operis.

V. Sequitur ut vestigem quodnam genus iuridici operis in his membranis supersit , quaeque eius aetas esse videatur . Ad hanc quod attinet , quandoquidem in tam copiosis reliquiis nulla mentio est theodosiani codicis vel pandectarum Iustiniani , nullusque auctor vel Caesar Valentiniano seniore posterior commemoratur ; quum tamen gregorianus et hermogenianus codices haud semel laudentur ; mihi satis exploratum videtur , aetatem huius operis incidere in illud tempus quod ab hermogeniani codicis editione ad theodosiani collectionem excurrit . Certe legum quae in vaticanis fragmentis occurrunt , recentissima omnium est [1] quae datur anno sexto Valentiniani senioris, Christi videlicet CCCLXVIIII. De operis autem genere , quis non meminit , quot ante Iustinianum commemorentur digesta seu pandectae , quas magni nominis homines ob iuvanda discentium studia confecerant ? Praeter quam quod ipse Theodosius de pandectis instruendis cogitavisse videtur . Nam per solas principum constitutiones in eius codice conglobatas atque breviatas , qui fieri potuit , ut universae iuris scientiae satis esset consultum , qui tamen regiarum curarum scopus fuit ? Vaticanarum igitur pandectarum (si fas ita loqui) corpus publica ne an privata auctoritate conditum est ? Res habere videtur diuturnam et gravem deliberationem : ego autem suspenso heic pede incedo , necubi forte incautior quamvis in planissimo campo veritatis offendam . Ceteroqui opus ab auctore ethnico scriptum videtur . Illud vero statim legentibus patet , vaticana fragmenta in eo differre a pandectis iustinianeis , quod hae doctrinas tantum prudentium continent , constitutionibus principum codici reservatis ; vaticani autem operis scriptor responsa prudentium legibus principum interponit . In eo rursus discordia est , quod quum in codice iustinianeo constitutiones tituli eiusdem ex ordine temporis disponantur , noster anonymus nullam temporis rationem sequitur . Porro haec vaticana collectio inedita , ut

1 Tit. ex empt. et vend. p. 9.

dixi, est: quamquam aliquot eius particulae, ut admonitiones meae plerumque docent, cum edito iure congruunt: quippe quae ex iisdem prudentium veterum legumque fontibus manant. Haud tamen semel quae in editis contractiora erant vel interpolata, ea nunc in vaticanis foliis vel puriora leguntur vel integriora. Neque idcirco singulas accessiones lectoribus heic adnumerare in animo est, etsi, ut spero, permultae sunt in prisco iure lacunae aut vexati loci aut controversiae, quibus iam integritas novumque lumen accedet. Utique illa pars commentarii ad legem cinciam in primis iucunda erit, quia de tam celebri plebiscito nihil propemodum in iure edito superest.

De codicis palaeographia.

VI. Post ventilatam de operis aetate probabilem opinionem, quaerendum superest quonam circiter saeculo ipsa codicis scriptura exarata videatur. Qua in re definienda quum plurimum valere soleant, ut plerique antiquarii existimant, litterarum forma atque orthographia, hanc quidem accurate in libro meo retinui, illam oculis curiosorum copioso specimine cum siglorum quoque praecipuorum descriptione obtuli. Atque in primis ne opiner eandem esse aetatem operis quae codicis vaticani, scholia obstare videntur, quibus margo interspersus est: perquam enim raro accidit ut scriptum aliquod eodem quo gignitur tempore scholiis inlustretur. Neque tamen scholiorum scriptura, licet valde rudis et inclinata, sequiorem arguit aetatem: qua super re cum satis alibi disserui [1], tum certiores omnino nos facit subscriptio illa in S. Hilarii codice basilicae vaticanae, quae ut commode cum symmachianae scripturae specimine coniungeretur, operam dedi. Ceteroqui nihil obstat quin textus ipsius scriptura quinti vel sexti saeculi esse dicatur: praesertim quia parum est credibile vaticanas has pandectas, magnae, ut videtur, molis et sumptus atque laboris, scribi adhuc consuevisse postquam Caesar Iustinianus ceteris omnibus ante se iuris corporibus vim auctoritatemque publicam abrogaverat. Atque haud scio an siglorum quoque tanta copia, quae codicem totum occupat, anteiustinianeae aetatis indicium sit: quia videlicet Iustinianus propter saepe inductas antinomias vetuit per siglorum captiones et compendiosa aenigmata suae certe collectionis textum conscribi. Omnino qui specimen vaticanum cum Gaii codice veronensi conferent, valde similia scripturae genera esse cognoscent, tum ipsa specie litterarum, tum etiam siglorum numero: nisi forte paulo concinnior vaticanorum apicum elegantia est. Hactenus de illa palimpsesti parte, quae ius ineditum continet; de qua prius quam sileo, id quoque gratus commemorabo, quod dum has reliquias, triennio ante a me detectas atque exscriptas, hoc demum anno imprimendas typis curarem, percommode accidit, ut in bibliotheca vaticana studiorum suorum causa versaretur v. cl. Fridericus Bluhmius hamburgensis iuris consultus, et in halensi academia doctor; qui doctrinae exquisitae atque humanitatis eximiae iuvenis sponte

1 Praef. ad Cic. de rep. et ad Fronton.

se mihi adiutorem obtulit ad codicem iterum cum apographo meo conferendum, ad desperatos aliquot locos pervicacia vincendos, atque ad criticam mecum lucem, donec Romae versatus est, recentibus a praelo plagulis impertiendam.

De fragmentis codicis theodosiani.

VII. Praeter has ineditas anonymi reliquias operis, alia quoque sunt eodem in palimpsesto fragmenta iuris, de quibus breviter dicendum est. Bobiensis nimirum scriptor folia quaedam admiscuit, ex antiquo codice grandis molis theodosiano detracta, quae si forte fortuna ad priores libros pertinuissent, quorum nonnisi exilis epitome superest, praeclara esset inventi utilitas. (Undecim quippe ampla folia sunt, quibus in palimpsesto complicatis librarius numerum spatio minore duplicavit.) Nunc quia in cognitam partem incidunt, reliquum est ut bonitate ac varietate lectionum contenti simus. Neque inutile profecto fuisset paginas ipsas pervetusti exemplaris, saeculi prope VII, in meum librum transferre, quae genuinum fere textum, et a criticorum interpolationibus vacuum, continent. Ne tamen lectoribus meis copias editas oggeram, satis erit lectionum praecipuam diversitatem cum scripturae imagine repraesentare. Utor autem cuiaciana editione anni MDLXVI: nam si recentiores libros cum codice contulissem, messe uberiore differentiarum inutiliter abundavissem. Passim enim video classicorum operum veteres editiones cum antiquis codicibus valde congruere: contra ab his illas recedere, quae sublabente aevo per tot criticorum iudicia et manus curatae fuerunt. Siquis vero maximi Gothofredi posthumam editionem, quae praestantissima habetur, eiusque criticas emendationes cum vaticanis foliis ad verbum conferet, mirum quantum scripturam veterem ab eius doctis saepe coniecturis discrepare comperiet! Insignis autem est ille locus lib. XV. I. 53, ubi palimpsestus vaticanus versum integrum et praelongum restituit, qui a vetustissimo quoque petaviano, nunc vaticano, codice exciderat: qua in lacuna paulo imprudentius halucinatus est doctissimus Gothofredus, qui primus *pa* coniungendum censuit cum *tamen*: ex qua copula ortum est vocabuli monstrum *patamen*, quod Gothofredus in nomicum quoque lexicon, Cangius autem in glossarium, receperunt.

De summariis ineditis codicis theod.

VIII. Sed ante quam dicendi de codice theodosiano finem facio, scholia quaedam seu potius summaria eiusdem codicis non praetermittam. Notissimum est eruditis, exemplar pervetus illud codicis theodosiani (a libro VIIII ad XVI) quod fuit olim senatoris galli Petavii, et quo Cuiacium apprime usum non dubito, nunc inter eos versari plurimos codices, quos ex hereditate serenissimae reginae Svecorum Christinae, nonnullis quoque e sua domestica bibliotheca adiectis, Alexander VIII. P. M. bibliothecae vaticanae attribuit. Iamvero is codex perpetuis in margine summariis legum ornatur, omnino ineditis, nec usquam cum alaricianae epitomes interpretatione congruentibus. Omnis ea lucubratio sine dubio ante saeculum decimum elaborata fuit: sed multa est scripturae barbaries, nec raro vitiis sermo confusus: ea demum

aliquando rusticitas, ut neque latinae syntaxeos, neque rectae vocabulorum flexionis ratio habeatur: quare non immerito aliqui ambigent quoiusnam sit otii haec omnia legere, nedum transcribere: neque ego ipse inani priscorum codicum specie delector, si nullo hi fructu redundent. Quamquam reapse raro accidit, ut nihil commendationis habeat antiquitas: quare et horum summariorum specimen edam; quia videlicet non ubique auctor inficetus est, sed vel aliquam prae se fert eruditionem, vel de legibus iudicat easque inter se comparat, vel interdum iuris auctores footesque demonstrat. Quis autem sic fanatice capitur orationis ornatu, ut semper ei stili elegantia, sermo compositus, librique venustate attica texti, tamquam mulsum linguae amatori, exhibendi sint?

VIIII. In bobiensi denique palimpsesto unicum quoque folium agglutinatum fuit ex ea quae inscribitur lex Burgundionum: cuius item scripturae specimen edo, invenustioris equidem pro barbaricorum temporum more; sed tamen tantae antiquitatis, ut ab ipsa operis aetate vix distare videatur. Id ego folium aegerrime omnium legi propter apices obscuratos atque demersos. Ceteroqui bobiensis textus cum ottoboniano, quem dedit Amadutius, collatus longe melior apparet, neque tot mendis, quot ille ottobonianus, laborat. Desunt praeterea bobiensi aliquot particulae, unde eorum confirmatur opinio, qui Burgundionum legem interpolatam existimaverunt. Non erit ingratum hanc tantillam operis partem libro meo subtexi: decurtati vero folii lacuna ex editione Amadutii, litteris discernendi gratia inclinatis, supplebitur. De fragmento legis Burgundionum.

COMMENTARII PRAEVII

PARS II.

DE SYMMACHO.

Symmachorum gens.

I. Romani oratoris stirpe, eloquentia, magistratibus gestis inclyti reliquias editurus, rem lectoribus ut spero iucundam, historiae civili utilem, aeternae urbi non ingratam fecero, si familiae eius, quae diu multumque tamquam sidus in patria eluxit, stemma narravero. Quintus Aurelius Symmachus Romae natus est generosa gente Aureliorum. Avus eius, vel potius abavus, ille ut arbitror fuit Symmachus vir clarissimus, vel ut alii legunt vicarius, ad quem Achaiae proconsulem leges duae Constantini magni anno CCCXVIIII missae fuerunt [1]. Pater Lucius Aurelius Avianius Symmachus sub Constantio consecutisque Caesaribus quantus vir fuerit declarat luculenta inscriptio in Capitolio olim, deinde post varios casus in atrio iuliano vaticani palatii ante fores bibliothecae vaticanae cum innumeris aliis posita, ubi a me diligenter relecta est, mendis aliquot exclusis, quibus artifices tingendis rubrica litteris adhibiti hunc et alios titulos (quod utiliter sit monitum) perturbaverunt.

PHOSPHORII

LVCIO AVR· AVIANIO SYMMACHO VC
PRAEFECTO VRBI CONSVLI PROPRAEFECTIS
PRAETORIO IN VRBE ROMA FINITIMISQVE
PROVINCIIS PRAEFECTO ANNONAE VR
BIS ROMAE PONTIFICI MAIORI QVINDE
CEMVIRO ·S·F· MVLTIS LEGATIONIBVS
PRO AMPLISSIMI ORDINIS DESIDERIIS
APVD DIVOS PRINCIPES FVNCTO QVI
PRIMVS IN SENATV SENTENTIAM ROGA
RI SOLITVS AVCTORITATE PRVDENTIA ATQ·
ELOQVENTIA PRO DIGNITATE TANTI ORDI
NIS MAGNITVDINEM LOCI EIVS INPLEVE
RIT AVRO INLVSTREM STATVAM QVAM
A DOMINIS AVGVSTISQ· NOSTRIS SENATVS
AMPLISSIMVS DECRETIS FREQVENTIB· IN
PETRABIT IDEM TRIVMFATORES PRINCIPES
NOSTRI CONSTITVI ADPOSITA ORATIONE IVS
SERVNT QVAE MERITORVM EIVS ORDINEM

1 Cod. theod. II. 4. 1. et tit. 15.

AC SERIEM CONTINERET QVORVM PERENNE
IVDICIVM TANTO MVNERI HOC QVOQVE AD
DIDIT VT ALTERAM STATVAM PARI SPLEN
DORE ETIAM APVD CONSTANTINOPOLIM
CONLOCARET
[DEDI]CATA · III · KAL · MAIAS
[D · N ·] GRATIANO · IIII · ET MEROBAVDE [CONSS.]

Et scio quidem hanc inscriptionem ab aliquot eruditis, partim re non perpensa partim ob quandam laudum ac dignitatum similitudinem, non ad patrem Symmachum sed ad filium cognomento oratorem referri solitam. Sed tamen antiquior est illorum sententia, qui seniorem Symmachum in hoc titulo intelligunt: est enim huic praenomen *Lucius* in lapide (et quidem non per unicam notam, ne forte mendum fabrile suspicemur, sed per litterarum consequentiam) orator autem diserte a Macrobio [1] et Sidonio [2], nec non in codicibus epistularum et in orationum palimpsestis et in lapidibus [3] dicitur *Quintus*. Quod si idem orator in fastis nescio quibus, quos adhuc sequitur cl. Morcellius in Afr. ch., amanuensium vitio scribitur *Lucius*, manifestum mendum a melioribus exemplaribus obiurgatur, ut Gothofredus iamdiu demonstravit [4]. Tum, ut demus *Lucii* praenomen irrepsisse casu in lapidem pro *Quinto*, qui fieri potest ut iunior Symmachus dicatur consul in inscriptione anno CCCLXXVII posita, quum ipse demum anno CCCLXXXXI in fastis consul occurrat? Verumtamen ad hanc difficultatem, quae maxima est, pervincendam, atque ad titulum iuniori vindicandum, praeclaram rationem excogitavit Arevalus v. cl. e soc. Iesu [5], cui videlicet videtur orator Symmachus ante praedictum consulatus ordinarii annum fuisse consul suffectus, propterea quod in epistula ad patrem consulatum suum memorans dicat: *hos inter iuvenile decus, sed honore senili, - bis seno celsus, Symmache, fasce cluis*. Parum vero sit credibile, Symmachum anno ordinarii consulatus fuisse adhuc iuvenem, qui nimirum complures ante annos praefecturam urbanam administraverat, quam ei quieto et iampridem a desideriis honorum atque ab omni affectatione remoto Valentinianus iunior tribuerat [6]. Vix pariter credibile sit post consulatus ordinarii annum iuveniles etiamnum versus fudisse Symmachum [7], atque ad patrem adhuc superstitem pariterque poetantem [8] scripsisse, qui triginta prope ante annos praefecturae urbanae grave munus obierat. Quamquam vero annum, quo in lucem orator editus fuit, nescimus, nihilominus quoniam eius pater anno CCCLX in orientem ad Constantium imp. profectus [9] multa de filii praeclara ad eloquentiam indole cum Libanio locutus est [10], is quidem triginta amplius post annos vix se iuvenem potuit nuncupare. Ceteroqui cur sero Symmachus ordinarii consulatus

(1) Saturn. I. 5. (2) Epist. I. 1. (3) Infra p. 1, et in hoc comm. p. XVIIII. (4) Prosopogr. cod. th. (5) Ad Prudent. contra Symm. I. 771. (6) Symmach. ep. X. 22. 54. ed. Parei an. MDCXLII. (7) Ep. I. 1. (8) Ep. I. 2. (9) Amm. XXI. 12. (10) Liban. ep. gr. 923.

honorem adeptus sit, ipse docet de alio consule loquens ep. lib. VIIII. 112, cum ait honorem hunc iampridem togae et ordini senatorio fuisse rarum nimisque difficilem: quia nimirum, ut ego arbitror, in summis ruentis imperii periculis id militiae potius quam togae praemium munusque erat. Sed iam de lapide vaticano, sive is patri positus fuit sive filio, prolixius loqui non vacat. Atque ut patris notitiam absolvam, is praefecturam, ut dixi, urbis suscepit anno CCCLXIIII, ut principum constitutiones ad eum missae demonstrant. Consul suffectus fuit circa annum CCCLXXVI, rogante senatu [1]: praefectus autem praetorio in Italia eodem fuisse anno videtur quo lapis ille positus est, quandoquidem extat lex Augustorum illo anno data ad Symmachum PP.; quamquam alii legunt ad Gracchum [2]. Quin adeo etiam filius, patre superstite, se praefectum praetorio in oriente nuncupat [3]: *at mihi castrensem quod mordet fibula vestem, - aurorae in populis regum praetoria rexi*. (Namque a Constantino summam illam dignitatem in quatuor praefectos, Orientis videlicet, Illyrici, Italiae, atque Galliarum distinctam fuisse constat.) Et quidem orator dicitur praefectus praetorii etiam in codice vetere vaticano, etsi ibi is titulus recentiore manu adpictus est. Quare rursus dubito num forte revera lapis ad oratorem pertineat, atque ad eundem praedictam legem Caesares scribant. Et quidem etiam legationem Symmachi patris unam novimus [4]; at oratoris multas (ut reapse titulus loquitur) in eius epistulis legimus [5]. Parentis variam litteraturam praedicat amans filius [6]; eloquentiam vero Libanius, ob quam graecae metropoleos oculos atque admirationem in se unum convertisse Symmachum ait [7]. Denique Ammianus [8] eum inter praecipua nominat doctrinarum exempla atque modestiae, quo praesidente aeternam urbem otio copiisque abundantius solito fruitam ait.

Symmachus orator.

2. Hoc ortus parente noster Quintus non in Libanii disciplinam traditus fuit, neque in Graeciam amandatus, quod olim in votis sibi fuisse pater dixit [9]. Praedicat enim ipse orator [10] se quicquid sciret, caelo gallico debere, sub quo senex quidam Garumnae accola puero sibi praecepta rhetoricae immulsisset. Est igitur Galliarum alumnus Symmachus. Quin adeo per gallum rhetorem liberos suos nepotesque erudiendos curavit [11]. Et quidem gallicanae scholae celebritas quanta tunc esset, vel unus Ausonius et ipse gallus docet in opere de professoribus; tum notissima sunt testimonia aequalium hominum, nempe divi Hieronymi [12], et principum ea aetate regnantium [13]. Atque illo saeculo nullum tempus in vetere Gallia fuisse doctius recte adfirmant litterariae Gallorum historiae auctores [14]: iidemque observant Symmachum nostrum cum praecipuis Galliae sapientibus familiaritate fuisse coniunctum, id quod eius epistulae ostendunt: vicissimque ab iis Symmachum

(1) Argum. orat. pro patre. (2) Cod. iust. XII. 1. 10. (3) Ep. I. 1. (4) Amm. Marc. loc. cit. (5) Lib. III. 52. IIII. 9. 31. V. 95. VII. 13. VIII. 21. (6) Ep. I. 3. sqq. et 44. (7) Liban. ep. gr. 923. (8) Lib. XXVII. 3. (9) Apud Liban. l. c. (10) Ep. VIIII. 88. (11) Ep. VI. 34. VII. 9. (12) Ep. CXXV. 6. et contra Vigil. cap. 1. (13) Cod. th. XIII. 3. 11. (14) Tom. I. part. 2. initio.

obsequio cultum laudibusque elatum videmus, praesertim ab Ausonio, qui senex tyronem illum in castris gallicis agnitum [1] immenso ac nimio praeconio obruit. Quo firmior autem cum Gallis amicitia Symmachi fuit, eo cum Graecis fragilior: nam etsi duae Libanii epistulae [2] amicitiam eius cum Symmacho significant (sectae fortasse causa; namque ut ille apud Graecos, sic iste apud Latinos retinendi deorum cultus antesignanus et auctor erat) postea tamen adeo videntur necessitudini vale dixisse, ut mutuis se maledictis aperte prosciderint [3]: quae iurgia etsi in litteratis hominibus minime rara sunt, tamen, si minus Libanium, certe Symmachum miror, cuius in epistulis tanta animi benignitas inesse videtur. Symmachi oratoris dignitates in antiquo lapide recitantur, cui titulo praefigitur Eusebii nomen, sive quia lapidis aliquando possessor fuerit, sive quia titulum scripserit; quamquam ipsum lapidem filius Symmachi dedicavit. Fuerunt Eusebii tres oratori Symmacho familiares; primus qui merebat inter notarios [4]; alter militaris et palatinus [5]; tertius archiater seu medicorum potissimus [6]. Ex his unus graeca doctrina et facundia clarus fuit, testimonio Macrobii [7], apud quem in saturnalibus disputans illustre dat testimonium symmachiano eloquentiae generi, ut infra narrabimus. En autem titulum.

EVSEBII
Q· AVR· SYMMACHO · VC·
QVAEST· PRAET· PONTIFICI
MAIORI · CORRECTORI
LVCANIAE · ET · BRITTIORVM
COMITI · ORDINIS · TERTII
PROCONS· AFRICAE · PRAEF·
VRB· COS· ORDINARIO
ORATORI · DISERTISSIMO
Q· FAB· MEM· SYMMACHVS
VC· PATRI · OPTIMO [a]

Quaesturae suae praeturaeque meminit ipse orator in epistulis [8]. Ad correctorem vero Lucaniae et Brittiorum Symmachum datur lex Augustorum anno CCCLXV [9]. In pontificatu gravem exercuit auctoritatem; nam Vestalem in incesto deprehensam ex priscarum legum severitate cum eius corruptore puniendam iudicavit [10]. Maior autem pontifex Symmachus, quia de classe patriciorum sacerdotum fuit post auctum a Sylla collegium. Comitatus vero gradus, quorum in tertio Symmachus substitit, primus distinxit Constantinus, si fides Eusebio biographo est [11]: namque

a In hoc lapide legebam pleraque puncta verbis interposita; contra in superiore nulla erant, nisi in vocabulorum apocope.

(1) Auson. inter ep. Symm. ep. I. 32. Confer etiam laud. II. in Val. sen cap. VI. (2) Ep. gr. 923. lat. III. 342. (3) Liban. ep. lat. I. 82. (4) Symm. ep. V. 54. (5) Ep. VIIII. 55. X. 69. (6) Ep. ep. II. 18. V. 36. (7) Saturn. I. 6. (8) VIII. 14. VIIII. 119. 125. (9) Cod. th. VIII. 5. 25. (10) Ep. VIIII. 128. 129. (11) Vit. Const. IIII. 1.

*

eius rei antiquiora vestigia in inscriptionibus extare videntur. Ad Symmachum Africae proconsulem datur lex Augustorum anno CCCLXXIII [1]: cuius dignitatis facit mentionem ipse orator ep. X. 3; et quidem libri VIII epistulam decimam scribit Carthagine, cuius urbis iudicio et erga se amore gloriatur: vicissimque ipse caram Africam habere ep. II. 63, seque ibi laudabiliter versatum, id est de ea bene meritum dicit [2]. Publico quoque statuarum honore ibidem auctus fuit, etsi has deinde aemulorum livor deiecit, quam ipse iniuriam philosophico contemptu fregit [3]. Tunc Symmachus paterna veluti benignitate complexus videtur divi Ambrosii fratrem Satyrum, quem hortabatur ne ex Africa in Italiam bello ardentem decederet [4]. Et magnum quoque Ambrosium sine dubio Symmachus non semel Mediolani postea vidit. Quin immo inclytum Mediolanensium antistitem in iis epistulis valde agnoscimus, quas noster Ambrosio scribit [5]. Namque cum et patria romanum esse significat, et sanctis moribus praeditum; et dum ei quendam commendat, hoc merito utitur, quod idem, dum olim Liguriam gubernaret [a], Ambrosii sibi amorem conciliavisset. Theodosianis vero temporibus ob novam provinciarum terminationem Liguriae metropolim fuisse Mediolanum compertum est [6]. Urbana Symmachi oratoris praefectura anno CCCLXXXIIII suscepta nihil est celebrius, in qua quid gesserit, liber decimus epistularum demonstrat. Non tamen silentio premendum est insigne exemplum modestiae eius. Nam quum superiorum praefectorum ambitio peregrini ac superbi vehiculi usum a principibus impetravisset (quod quidem vehiculum cognoscitur fuisse argenteum cum ex epistula Symmachi [7], tum etiam ex epigrammate Palladae [8] qui id in Themistio oratore, et eodem anno novae Romae praefecto, irrisit) noluit Symmachus tamquam alter Salmoneus tam iactanter per urbem vehi, scriptisque ad Theodosium litteris [9] honorem qui Camillo olim nocuerat, romuleique populi oculos laeserat, deprecatus est, seque moribus potius quam insignibus aestimari praefectum voluit. Titulum quoque *magnificentiae* recusavit Symmachus [10], immo aliis generatim uti non solebat [11]: et cum ipse modeste de se loquebatur, tum laudes ab amicis blandis ob eloquentiam sibi oblatas plerumque respuebat. Denique et illa gloria praefecturae symmachianae adiicienda est, quod is divum Augustinum oratione proposita et coram se recitata probatum, rhetoricae magistrum impertita evectione publica misit Mediolanum [12]. Ad religionem quod adtinet, Symmachus quidem nullam non habuit; nam et ab illorum opinione dissentire se aiebat [13], qui nihil curare caelestes existimabant: ceteroqui su-

a Si apud Symmachum leges *gubernares*, recte intelliges ipsum Ambrosium, quem ante episcopatum gubernavisse Liguriam scimus.

(1) Cod. th. XII. 1. 73. (2) Ep. II. 63. VIII. 5. (3) Ep. VIIII. 115. (4) Ambr. de excessu Satyri I. 32. (5) Ep. III. 30-37. (6) Lege Oltrocchium eccl. mediol. hist. ligust. prohoem. p. XXIII. sqq. (7) Lib. X. 40. (8) Anthol. XI. 292. (9) Ep. X. 24. (10) Ep. IIII. 42. (11) Ep. II. 35. (12) August. confess. V. 13. (13) Ep. VIII. 6.

perstitionis ethnicae tenacissimus fuit; quamquam, observante Prudentio [1], divisque Ambrosio [2] et Hieronymo [3], iam tum nobilissimi Romanorum proceres Annii, Probi, Anicii, Olybrii, Paulini, Bassi, Gracchi, aliique cum maxima senatus parte et cum innumero populo non romano solum sed barbaro in fidem Christi transiverant. Quin adeo caeco in Christianos odio aestuans Symmachus tragicas de iis quaestiones in praefectura sub aliis obtentibus exercuisse dictus est: quo ipse crimine laboriose admodum atque excandescens se purgat apud Augustos [4], testimonio, ut ait, fretus Damasi papae qui Christianos nihil a praefecto passos adfirmaverat. Sed quia Damasus eo anno obiit, Symmachi autem zelus ethnicus multis occasionibus patuit, (veluti cum Maximi tyranni panegyricum scripsit ac recitavit [5], et cum Praetextatum tot laudibus extulit [6], hominem sacrilegum, ut ait Hieronymus [7], idolorum tutorem acerrimum, atque idcirco a Zosimo [8] Ammianoque [9] ethnicis historicis commendatum; et cum Flavianum rebellem ethnicum [10] prae cunctis se diligere passim declaravit) suspicari adhuc licet eum reapse ad vexandos Christianos magistratu suo fuisse abusum: quam ob rem principes orthodoxi asperis illum edictis increpuerunt. Sed nihil aeque ostendit fanaticam Symmachi superstitionem, quam relatio illa celebris de restituenda ara Victoriae; repetito et casso semper conatu, cui nimirum obstiterunt statim Ambrosius, pauloque post Prudentius; ille prosa oratione, hic carmine; summis uterque eloquentiae viribus, contra quos Symmachus disertissimus nihil hiscere ausus est [11]: hac praeterea poena multatus quod a principis christiani aspectibus pulsus, ultra centesimum lapidem rheda non strata deportatus fuit [12]. Nimirum quo tempore Libanius in oriente pro templis ethnicorum frustra pugnabat, ut eius oratio ostendit, olim hians, sed ex vaticanis codicibus nuper expleta, eodem Symmachus in occidente mala caussa cadebat. Porro orator uterque congruas crimini poenas dedit, quod nimirum Libanius Serapeum illud maximum a Christianis in Aegypto mox dirutum esse audivit; Symmacho autem sine dubio cor doluit, cum divi Pauli basilicam hoc ipso temporis articulo apud urbem mirando opere (vetor enim dicere aeterno) fundari vidit. Praefecturam, ut dixi, Symmachus anno CCCLXXXIIII iniit, sequente tenuit, quo desinente, vel certe initio tertii, idest anno CCCLXXXVI, eiuravit; successoremque habuit Sallustium: quae scilicet aera, multoque magis haerens animo dolor, facit ut damnum dierum nostrorum taeterrimum commemoremus. Le-

(1) Contra Symm. I. 545. sqq. (2) Ep. I. contra relat. Symm. (3) Ep. xx. 4. cvii. 2. (4) Ep. x. 41. (5) Hist. trip. viiii. 23. (6) Ep. x. 30-32. (7) Contra Io. hierosol. §. 8. (8) Hist. IIII. 3. (9) Hist. xxvii. 9. (10) Rufin. hist. xi. 33. Sozomen. hist. vii. 22, et Paulin. in vit. s. Ambr. §. 26. (11) Paulinus in vita s. Ambrosii §. 26. (12) Auctor operis de promiss. Dei part. 3, prom. 38.

gem e vetere codice vaticano Baronius protulit [a] augustorum Valentiniani iunioris Theodosii senioris et Arcadii ad Sallustium urbis praefectum anno CCCLXXXVI scriptam , quae tanti templi auspicia mandat [1] . Nam quum magnus Constantinus sexaginta fere ante annos basilicam divi Pauli reditibus quidem et copia vasorum regaliter instructam , ceterum modica in area circumscriptam aedificavisset , non tulerunt piissimi principes , ut gentium apostolus et romanae fidei alterum lumen restrictiore lare habitaret : tantamque molem attolli curarunt , quantam orbis christianus ad hunc usque , quo scribimus , annum admiratus est : donec adfuit feralis nox idibus iuliis , qua concitatis miserabili casu flammis singulare antiquitatis ac magnificentiae christianae monumentum , quod XIIII saeculis steterat , quinque horis absumptum est . Refugit animus commemorare vim innumeram marmorum partim in cinerem redactorum , partim ustulatorum atque effractorum : musiva opera ambusta , tabulas concrematas , absidem undique depopulatam , chalcidicum devastatum , tectum adeo tabularum compagine mirum , nunc deiectum passim atque destructum : fores denique anaglyptico metallo Constantinopoli iamdiu elaboratas et titulis atque historiis inscriptas , grandi strage diffractas atque liquentes . Quid dicam pontificum seriem veterem , quorum vultus non tam artificio quam memoria hominum et temporum delectabant ? Haec quoque partim flammis evanuit , partim caeli inclementiae ac pluvialibus austris in regione prope maritima soloque humente obnoxia est . Tristi excita casu Roma omnis ad deplorandam Pauli basilicam effusa est , declaravitque romanus populus , quam merito olim a divo Apostolo fides eius prae cunctis commendata sit , dum tantum quisque maerorem contraxit , quantum fere nemo ob larium eversionem pignorumve amissionem prae se tulisset . Sed enim fi-

(a) Baroniana editio sive princeps sive cum Pagio (nam utramque inspexi) non satis adhaeret exemplari : idem quippe codex a me collatus has exhibet varietates .

Ed.	Cod.
Sallustio urbis praefecto	*Salustio praefecto urbis*
sacratam	*sacratae* , ita ut referatur ad voc. praeced. *venerationis* .
sanctimonia	*sanctimonio* .
et pro studio	*pro studio*
diligentiori	*diligentiore*
quod basilicae	*quo basilicae*
Tiberis	*tiberini*
amplificentioris	*amplificentiori*
omnium	*omni*
probatae religionis meritis	*pro tantae religionis meritis* . Optima lectio et religiosae emphaseos plena !
et alia manu	*et alia manu principis* .
ad multos	*per multos*
et amantissime	*atque amantissime* .

(1) Ipse Symmachus ep. IIII. 70 de basilicae cuiusdam aedificatione loquitur, quae sine dubio christiani ritus fuit; aliter enim fieri sub orthodoxis principibus non poterat. Cave tamen cogites de paulina; namque Symmachus ep. x. 45 in sua praefectura aedificationem illam curatam dicit . Porro quantum temporis in paulinae basilicae aedificatione consumptum sit, nescimus: sed ea certe anno CCCCXVIII absoluta erat , quandoquidem Bonifacius eo anno pontifex factus ad s. Paulum processit . Symmach. iun. ep. x. 73.

eri non potest ut Pauli basilica in cineribus diu subsidat: nam neque pietatem romanae urbis ulla infirmat calamitas; ac praeterea tantus est christiani orbis ac religiosorum nostrae aetatis principum erga divum Apostolum pius sensus, ut hanc eius aedem romanam omnium saeculorum ac gentium cultu celebratam, ac communis fidei veluti alteram aram, restitutum iri a fundamentis, ornatum decentius, atque in pristinam dignitatem vindicatum iri certum sit. Sed redeamus ad Symmachos, quorum gens ethnicis tenebris diu circumsepta veram denique Evangelii lucem aspexit, ut postea dicam, ac christianarum virtutum radiis multo plus claruit, quam eloquentiae splendoribus et consulatibus. Domus Symmachi in Caelio monte [1] fuit. Et sane in hortis Casaliorum caeliomontanis ad s. Stephani rotundi inventus fuit ibique adhuc servatur oratoris lapideus titulus quem supra adscripsi, itemque alius infra a me recitandus. Tum certissimus testis ipse orator est ep. VII. 18: *de formiano regressus in larem Caelium*. Adde etiam testimonia ex ep. III. 12. 88. (Atque heic obiter moneo, Marcum quoque Aurelium imp. natum esse in Caelio [2], ibique ante regiam adoptionem habitavisse, sed tamen paulo ulterius prope aedes Laterani: utrumque vero ad gentis aureliae stemma pertinere.) Ergo in area ubi nunc ill. Casaliorum domus est, editissimo ferme Caelii loco, regione salubri et urbis despectu amoena, magnifici olim Symmachorum lares fuerunt: quam ego sedem his diebus perlustrans, priscorum dominorum memoria non mediocriter commovebar: praesertim dum ibi titulos familiares in lapidibus legerem; scilicet, praeter praedictos, Aureliae Anthidis, Aureliae Callityches, Aureliae Soteridis, Aurelii Successi. Est autem ibi proxima Aniciorum domus, nempe ad s. Gregorii, cum qua gens Symmachorum necessitudinis vinculis implicita fuit. Ceteroqui Symmachus pater in tractu transtiberino pulcherrimam domum habuit, quam plebs romana ob nebulonis calumniam quandam inflammavit [3]. Et quidem plures domos in urbe habuit orator, quas hospitibus suis decernebat [4]. Extra urbem autem memorat ipse praetoria sua capuanum, apulum, puteolanum [5], et neapolitanum [6]: quare et necessitatem suam semper aliquid aedificandi fatetur [7]. Res sane Symmachi familiaris prope immensa fuisse videtur: commemorat enim ipse possessiones suas, praeter suburbanas, aquileiensem [8], apulam [9], samniticam [10], campanam [11], siciliensem [12], et in caesariensi Mauritania [13]. Rura etiam aedificata ubique possedit; suburbana saltem quatuor, nempe in via appia, in via ostiensi ad Tiberim, vaticanum, arabianum [14]: tum in provinciis tyburtinum, praenestinum,

(1) Non de nihilo est (propter scilicet peculiarem magnitudinem) quod Caelius in auctoribus classicis semper fere, quod meminerim, dicitur mons, ceterae vero urbanae summitates appellantur colles. (2) M. Aur. ad Front. ed. rom. II. 9. Capitol. in M. cap. I. (3) Amm. Marc. XXVII. 3. (4) Ep. III. 14. (5) I. 10. II. 26. VI. 66. VIII. 2. X. 13. (6) II. 60. VIIII. 111. (7) I. 10. II. 60. VII. 77. VIIII. 17. (8) Ep. IIII. 68. (9) VI. 12. (10) VI. 11. (11) II. 3. 26. 30 VI. 75. (12) II. 30. VI. 66. (13) Ep. VII. 66. (14) Ep. I. 6. II. 57. 59. III. 55. 82. VI. 58. 60. 61. 66. 72. VII. 21.

coranum, laviniense, laurentinum, formianum, puteolanum, lucrinum, baianum, baulinum, atque cumanum [1]. Ceteroqui Symmachus rusticans egregium moribus suis dat testimonium ep. VIII. 23: *non vereor ne me lascivire in tanta locorum amoenitate et rerum copia putes. Ubique vitam agimus consularem, et in Lucrino serii sumus. Nullus in navibus canor, nulla in conviviis helluatio, nec frequentatio balnearum, nec ulli iuvenum procaces natatus* [2]. In publicis tamen voluptatibus magnificus erat Symmachus, qui videlicet in ludorum editionibus ob suos vel filii magistratus ex cunctis romani imperii provinciis genus omne ferarum, equorum, aurigarum, et gladiatorum Romam accire solitus fuit, ita ut in una filii praetura duo milia auri librarum insumpserit, teste apud Photium [3] historico Olympiodoro. Atque e Symmachi epistulis morem quoque vigentem cognoscimus nobiles amicos e longinquis etiam regionibus convocandi ad gratulandam dignitatem, pompamque editionum cohonestandam: praeterquam quod dona quoque et sportulae a candidato offerebantur. Oratoris uxor Rusticiana fuit [4], Orfiti filia, viri, ut gener eius loquitur, memoriae illustrissimae, urbique praefecti, qui annis quindecim ante ipsius generi praefecturam obiit [5]. Avum maternum Acyndinum, matrem clarissimam feminam, fratres, sororem, nepotesque in eius epistulis noscimus [6]. Proles oratoris gemina: filia quidem, ut reor, natu maior, prisca virtute locuples patrique carissima [7], quam in Nicomachi domum transire nuptum voluit. Hinc tot epistulae ad Nicomachi filios, ad nepotes nimirum aut generum eiusque fratres Nicomacho maiore genitos. Etsi autem Symmachus cum morbis suis saepe expostulat in epistulis, nihilominus eum senectutem attigisse certum est [8]. Neque tamen quo anno mortem obierit, liquet. Ceteroqui anno CCCIC Theodoro consulatum [9], anno autem CCCCII Decio praefecturam gratulabatur [10]. Tum Prudentius, qui de sententia cl. Arevali [11] anno CCCCIIII poema in Symmachum edidit, cum vivente adhuc loquitur.

Oratoris filius.

3. Oratoris mascula proles Quintus Fabianus [12] Memmius Symmachus, quem ipse pater graecis litteris imbuit [13], quique quaestor et mox praetor patre incolumi fuit, ut in epistulis legimus. Et quidem quaesturam parvulus adeptus est [14]. Hic autem iunior Symmachus uxorem duxit e Nicomachi domo (et quidem patre superstite ep. VIIII. 107) cuius rei fidem facit inscriptio in Caelio item Symmachorum lare reperta.

(1) Ep. I. 1. 8. II. 5. 3. 4. 26. III. 50. IIII. 44. VI. 61. 75. 81. VII. 15 26. 35. 37. 69. VIII. 23. VIIII. 69. 83. 98. (2) Lege etiam ep. I. 3. (3) Cod. XXX. p. 198. (4) Symm. ep. X. 54. Sidon. ep. II. 10. (5) Ep. X. 54. (6) Ep. I. 1. 101. II. 17. IIII. 68. VI. 32. 40. VII. 49. 72-80. VIII 40. (7) Ep. VI. 67. 79. 80. (8) Ep. IIII. 18. 32. VIII. 48. (9) Ep. V. 10. (10) Ep. VII. 50. (11) In prudentianis cap. XIIII. (12) Ita explicate *Fabianus* scribebatur in vetere quodam optimo codice epistularum, teste Iureto. Ita quoque in marmore infra citando. Quare error videtur aliorum codicum, in quibus dicitur *Flavius*. (13) Ep. IIII. 20. (14) Ep. V. 22.

VIRIO · NICOMACHO · FLAVIANO · VC
QVAEST· PRAET· PONTIF· MAIORI
CONSVLARI · SICILIAE
VICARIO · AFRICAE
QVAESTORI · INTRA · PALATIVM
PRAEF· PRAET· ITERVM · COS · ORD·
HISTORICO · DISERTISSIMO
Q· FAB· MEMMIVS · SYMMACHVS · VC
PROSOCERO · OPTIMO

Hi Nicomachi quum familiariter Symmacho uterentur, adiutores eius studiorum erant, eique libros emendabant, ut codicum aliquot T. Livii vaticanorum subscriptiones declarant: *emendavi Nicomachus Flavianus ter praefect. urbis apud Hennam* (in Sicilia scilicet.) *Victorianus ·v·c· emendabam dominis Symmachis*. Porro Symmachus iunior paterna vestigia persequens proconsulatum Africae rexit anno CCCCXV [1]. De consulatu nihil certi habeo compertum. Sed diligenter admodum notandum est, iuniorem quoque Symmachum fuisse urbi praefectum, ab anno scilicet CCCCXVIII: nam neque Gothofredus ea de re, quantum memini, quicquam dicit; neque Corsinius in praefectorum catalogo duos diserte distinguit homines; Theotiscus denique epistularum interpres manifesto errore laborat, dum relationes de schismate Eulalii (quod fuit anno CCCCXVIII) Symmacho oratori tribuit: qui vetus error omnium quoque Symmachi editorum videtur, nec non clarissimi Oltrocchii in ecclesiae mediolanensis historia ligustica [2], quorum nemo, quod sciam, iunioris scripta a superioris epistulis distinguenda esse monuit. Verum enimvero trium omnino Symmachorum tres fuerunt praefecturae urbanae; avi anno CCCLXIIII; filii an. CCCLXXXIIII; nepotis an. CCCCXVIII. Quis enim credere possit, Symmachum oratorem anno simul CCCLXXXIIII et CCCCXVIII, nempe annis XXXIIII interiectis, praefecturam urbis tenuisse? Rectissime ergo Sirmondus v·c· e soc. Iesu in notis ad Ennodium ep. VII. 25 Symmachi scripta in causa schismatis ad filium retulit. Quod cum ratione temporum evidens est, tum etiam inde arguitur, quod in Symmachi epistulographi exemplaribus mss. haec scripta prorsus desiderantur; quae primus ex antiquo codice vaticano supra citato Baronius evulgavit [3], atque inde primum a Iureto in parisiacam anni MDCIIII epistularum Symmachi editionem translata fuerunt. Neque tamen ipse Baronius quicquam, ut puto, ait, quo significet duos sibi Symmachos fuisse compertos. Iam quum Baronius Symmachi iunioris relationem sine clausula ediderit (quam omissionem indicavit sollemni illa nota *etc*;) hinc accidit ut relegenti mihi eundem codicem vaticanum, ultro se obtulerit illa clausula adhuc inedita, quam post Symmachi oratoris reliquias adscribendam curabo.

(1) Cod. theod. XI. 30. 65. (2) In indice. (3) Ad an. Ch. CCCCXVIII. Baroniani autem textus discrepantias a codice vaticano scripsi in calce orationum Symmachi.

Oratoris nepos.

4. Sequitur in stemmate Symmachorum Quintus Aurelius Symmachus consul cum Aetio III [1], anno CCCCXLVI, Fabiano Symmacho sine dubio genitus, oratoris nepos; pater autem alterius Symmachi celeberrimi, de quo paulo prolixius loquendum est.

Symmachus patricius.

5. Quintus Aur. Memmius Symmachus excons. ord. et patricius Theodorici regis temporibus, Boethii socer. Christianum hunc, immo catholicum, diserte dicit Paulus diaconus [2], et alioqui abunde exploratum est. Illud subobscurum, num hic primus e Symmachis Christo nomen dederit. Filium certe oratoris adhuc ethnicis erroribus adhaesisse satis ostendunt relationes eius de schismate Eulalii; non solum quia magnopere schismatico favit antistiti, sed quia christianam basilicam ingredi non est ausus, sedandi tumultus causa, nequis, ut ait, faceret ei religionis invidiam [3]. Restat igitur ut vel Aetii collega vel socer Boethii tanta primus felicitate dignus fuerit, quandoquidem nemo intermedius extitisse videtur. Symmachum hunc plurima cum laude memorant veterum libri: sanctum eum, totumque ex sapientia virtutibusque factum dicit gener Boethius [4]: philosophiam eiusdem, iustitiam atque in egenos liberalitatem praedicat Procopius [5]: magnificentiam in exornanda aedificiis urbe rex Theodoricus apud Cassiodorium [6]: Symmachorum originariam in eo eloquentiam agnoscit Ennodius [7]; quo dicto simul significat genus eius ab oratore deductum. Re quoque declaravit Ennodius quantum symmachianae eloquentiae tribueret, cum Theodorici panegyricum scribens, prisci illius Symmachi oratoris laudationes tam bene ac naviter expilavit, cuius plagii post inventas a me Symmachi reliquias Ennodius convictus est. Denique Priscianus grammaticus [8] romanum, cui scribit, Symmachum a nobilitate, a fortunae muneribus, a virtutum copia, a studiis optimarum artium ac disciplinarum, a sapienti eloquentia commendat. Vix autem alium laudare videtur Priscianus Symmachum, praeter Boethii socerum: nisi forte illum intelligit (si tamen ipse alius est) quem anno DXVIIII venisse ex oriente Romam legatum scribit in chronico Cassiodorius. Fuit vero patricius Symmachus sine collega consul anno CCCCLXXXV; atque anno demum DXXVI nece iniustissima Ravennae periit.

Symmachi patricii nepotes ex filia.

6. Liberi eius virilis sexus utrum aliqui extiterint, nescio: utique avitum nomen retinuit nepos ex filia Rusticiana Boethioque genitus Q. Aur. Symmachus qui consulatum cum fratre Boethio iuniore gessit anno DXXII. Et quidem interemptorum Symmachi et Boethii liberos omni poena absolutos atque in paterna bona restitutos ab Amalasuntha regina tradit idem Procopius [9].

Rusticiana filia Symmachi patricii.

7. Sed certe feminea soboles Symmacho Boethii socero multo illustrissima atque ad famae aeternitatem aptissima nata est; Rusticiana videlicet, Galla, et Proba; quarum duae posteriores ob caelestium vir-

(1) Novell. II. 21. 2. (2) Hist. misc. XV. (3) Ep. X. 81. (4) Consol. I. pros. 4. II. pros. 4. (5) Bell. goth. I. 1. (6) Variar. IIII. 51. (7) Ep. VII. 25. (8) Prohoem. de num. et pond. (9) Bell. goth. I. 2.

tutum merita in illorum beatorum albo sunt, qui auctoritate et decretis romanae ecclesiae ad venerationem omnium mortalium consecrantur. Sororum natu maxima creditur Rusticiana, cuius nomen, ut id primum observem, avitum erat domi Symmachorum: namque, ut supra dixi, Symmacho ipsi oratori Rusticiana uxor fuit. Nupsit iunior Rusticiana Boethio, quo nihil fuit illo saeculo melius: ipsa, ut vir eius loquitur [1], ingenio modesta, pudicitiae pudore praecellens, et, ut omnes eius dotes breviter includantur, patri similis. Effodiunt autem miseratione animum quae de hac clarissima femina, quum iam esset senio confecta, scribit Procopius [2], nempe post captam a gotho Totila anno DXLVI Romam, Rusticianam quae olim amplissimas facultates in egenorum subsidium effuderat, deinde casibus miserrimis virum patremque amiserat; tum demum bonis omnibus spoliatam domoque a militibus pulsam, circumisse cum aliis miseris urbana hostium limina servili ac rustica veste indutam, victumque ostiatim pulsando mendicavisse: imminentibus in eius caedem ob veteris simultatis memoriam Gothis; nisi rex barbarus, Symmachorum, ut ait historicus, sanguinem reveritus, Rusticianam a supplicio atque a militari contumelia prohibuisset. Taetra haec admodum ac miseranda videntur? atqui vices easdem in fortissimis romanae ecclesiae defensoribus nuper sumus admirati. Denique utrum Elpis prior Boethii uxor, an Rusticiana posterior, hymnos duos in festo ss. Petri et Pauli cantari adhuc solitos, composuerit, philologorum quaestio est.

8. Symmachi patricii filiae alteri nomen Gallae fuit, quod item in Symmachorum familia fuisse avitum testis est orator de sui temporis Galla loquens ep. VI. 32: *nepticulae meae Gallae infirmitas conturbat otii nostri securitatem*. Haec si, ut videtur, Fabiani Symmachi filia fuit, utique dicenda est, patricii Symmachi amita; hic autem amitae nomen in filia, ut fit, de qua loquimur renovavit. Gallam Symmachi patricii filiam auctores duo maxime claram fecerunt, s. nimirum Fulgentius afer episcopus, qui ob vandalicam Transamundi regis persecutionem in Sardinia exulans luculentam epistulam ad illam dedit, consolandi gratia in viri obitu, laudandique statum devotae viduitatis; deinde s. Gregorius magnus, qui Gallae ipsius obitum prodigio quodam nobilitatum scripsit [3]. Ex his cognoscimus " Gallam florenti aetate consulari marito traditam, eodemque intra annum orbatam, abiecto saeculari habitu, ad omnipotentis Dei servitium sese apud beati Petri apostoli ecclesiam monasterio tradidisse, ibique multis annis simplicitati cordis atque orationi deditam, larga indigentibus eleemosynarum opera impendisse: nihil sibi de nobilitate generis adsignantem, quamquam avo, patre, socero, marito consulibus pridem fuisset inter saeculares illustris. Apostolorum denique principe per visum praesente, mortalis vitae finem fecisse ".

S. Galla Symmachi patricii filia.

(1) Consol. II. pros. 4. (2) Bell. goth. III. 20. (3) Dialog. IIII. 13.

*

S. Proba Symmachi patricii filia.

9. Gallae soror Proba fuit, virginitatis gloria multisque aliis virtutibus praedita, ad quam duae extant s. Fulgentii epistulae, praeter alios duos desideratos libros, quos ab eo ad eandem fuisse scriptos, perspicuum est [1]. Placet ex ipso Fulgentio ad Gallam scribente notitiam Probae audire. " Disponimus ad sororem tuam sanctam Christi virginem Probam, quam Dominus hoc tempore praecipuum in urbe Roma dare dignatus est virginitatis et humilitatis exemplar, de ieiunio et oratione aliquid scribere, sicut in epistula, quam ad eam nuper dedi, mea pollicitatio continetur: cuius tibi praecipue sancta conversatio est in omnibus imitanda: quae cum sit avis atavisque [2] nata consulibus, et deliciis regalibus enutrita [3], tanta illi est humilitas dono gratiae caelestis infusa, ut amore subiectionis et usu serviendi, dominam se aliquando fuisse iam nesciat, cum omnes dominos habere, delectatione sanctae servitutis, affectat. Scit enim a Domino, cui virginitatem vovit et cordis et corporis *etc.* Delicias vero corporis quanta virtute contemserit, et quomodo suam famem satiandis faciat deservire pauperibus; nec ob aliud ipsa vilibus tegatur indumentis, nisi ut et humilitatis propositum impleat, et vestiendis pauperibus ingem curam sanctae pietatis impendat, plenius ipsa videndo cognoscis, quam ut id a me velis audire, quod minus possum sermonibus explicare ".

S. Symmachus papa.

10. Sanctus Symmachus pontifex maximus, qui Petri sedem ab anno cccciic ad dxiiii tenuit, utrum in patricia Symmachorum gente numerandus sit, dubitare parumper licet, tum quia ab Anastasio bibliothecario dicitur ex patre Fortunato genitus, tum quia in quibusdam sive Anastasii sive aliorum biographorum codicibus natione sardus perhibetur. Rei vero momentis perpensis, haud scio an quisquam existimabit, Symmachum papam haud fortasse recto stemmate a Symmachorum domo procedere; cum iis tamen adfinitate vetere, ac iure aliquo sanguinis, ideoque et honore nominis, fuisse coniunctum. Pro Valerio Fortunato causam olim dixit orator Symmachus, ut fragmentum in vaticano palimpsesto inventum docet. Ad Valerium (intellige Fortunatum) idem scribens ep. viii. 57, ait se in puerum quendam sibi personam parentis arrogare, in quem Valerius (Fortunatus) ius affinis exercebat. Symmachorum igitur cum Fortunatis constat adfinitas. Quod autem Symmachorum nomen aliquando ab adfinibus seu consanguineis revera adsumptum sit, patet ex illo Boethii filio, an. dxxii consule, cui idcirco nomen Symmacho factum a parentibus fuit, quod cum Boethius ex filia Symmachi patricii susceperat. Et quoniam per id tempus summa erat in urbe gentis huius potentia et gloria propter Symmachi patricii opes innumeras et apud regem Theodoricum summam gratiam, hinc etiam facile adducor ut credam, Symmachum qui romanum pontificatum

(1) Fulgentius ep. ad. Gallam, et Fulgentii biographus cap. xxviii apud Bolland. die prima ianuarii. (2) Intellige ipsum oratorem eiusque patrem: quin etiam avum seu abavum qui consul fuit cum Gallicano an. cccxxx. (3) Intellige Symmachi patris opes maximas, de quibus Cassiod. var. IIII. 51.

adeptus est, eundemque Theodorici regis auctoritate contra schismatis vim tenuit, reapse in illa luce symmachianae familiae fuisse versatum. Item opinioni meae favet, quod Avitus viennensis Symmachi papae causam, calente schismate, Symmacho illi patricio per litteras commendavit [1]. Rursus denique favet, quod Symmachus, ut ipse ait [2], catholicam fidem veniens ex paganitate susceperat: Symmachorum autem, recens reapse erat, ut supra dixi, ad Christi partes transitio. Porro quod adtinet ad Sardiniam patriam, primum aio in priscis duabus Anastasii editionibus moguntina atque parisiaca non sardum domo dici hunc pontificem sed romanum. Tum nihil vetat quin hic Fortunati filius in Sardinia sit natus [3], cum qua insula nullam non fuisse Symmachorum consuetudinem probe scimus. Orator enim ep. II. 33. III. 19 fratrem appellat hominem quendam qui Sardiniam rexisse videtur vicarius. Item ep. VIIII. 42 alium quemdam, qui annonae in Sardinia praefuerat, filium vocat. Immo in caeliomontano Symmachorum lare, de quo supra locutus sum, inscriptionem ego legebam a Fortunato quodam vicario positam. Hinc papa Symmachus subsidia quotannis in Sardiniam ad deportatos ex Africa Transamundi regis tyrannide episcopos cum litteris consolatoriis mittebat. Hinc divus Fulgentius ex ea insula ad Symmachorum matronas virginesque scribebat: quae consanguinei pontificis liberalem animum aemulantes pecuniis pariter praedictos exules recreabant, ut Fulgentii epistulae docent. (Et denique Fulgentius quidam archidiaconi munere apud Symmachum fungebatur, ut in synodicis subscriptionibus videre est). Feliciter vero contigit, ut in archio basilicae vaticanae codex s. Hilarii supersit in byzacena olim provincia sub ariano Transamundo per praesbyterum afrum, fideique catholicae ut arbitror confessorem, collatus: ita ut vulgaris scripturae genus, quod sub pontifice vigebat Symmacho cognoscamus. Atque hic fortissimus pontifex, cuius tot et tanta pro ecclesia Dei gesta fuerunt, Symmachorum sine dubio gloriae culmen imposuit. Is ambitum gravi lege compescuit, ecclesiae patrimonium firmiter adseruit [a], fundamenta ecclesiasticae potestatis altius egit, leges Odoacris canonico iuri infensas sustulit, nefarias sectas urbe expulit earumque libros incendit, Anastasium caesarem disertissimo libello ab haereticorum societate atque

a Legenti mihi in vaticanis codicibus scripta Symmachi papae varietates aliquot occurrebant, praesertim in antiquissimo palatino saeculi VII veteres canones continente; quarum varietatum gustum praebebo in tribus editi textus manifestis emendationibus.

In decreto de conservandis bonis ecclesiae §. 6.

Ed. Concilior. Coleti tom. V. p. 475.	Cod. palat.
Quicumque tamen obligatus, Dei, et decreti huius immemor	*Quicumque oblitus Dei et decreti huius immemor*

In epistula ad Caesarium p. 425.

§. 1. *Clericis honorum meritis*	*Clericis emeritis*
§. 5. *Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis aetatem peregisse contigerit.*	*Similiter professas virgines nubere prohibemus, quae annis plurimis etc.*

(1) S. Avit. ep. XXVI. (2) In apolog. adversus Anastas. imp. (3) Eadem fere quaestio fit in vita S. Gregorii magni, cuius maiores partim romani fuerunt partim samnites.

ab odio in apostolicam sedem dehortatus est , rei sacrae in oriente turbatae pro sua suprema auctoritate consuluit , urbanas basilicas partim auxit partim exornavit , sex saluberrimas synodos celebravit , innocentiam denuam suam iudicio licet indebito pro sua magnitudine animi tradidit expendendam [1]. Tum vero contigit inclytum illud atque omni aetate memorabile gallicanae ecclesiae decretum , quo definitum est , nemini licere, ne episcoporum quidem quibusvis synodis, de romano pontifice , utpote omnium apice , iudicare [2] . Tunc etiam Theodorici , ariani licet regis , religiosa modestia inclaruit , qui non suum iudicavit de ecclesiasticis aliquid censere negotiis , quorum nihil ad se , praeter reverentiam , pertinere amplissimis verbis testatus est [3] .

Symmachi omani in oente.

11. Symmachorum gens Constantinopoli quoque versata est . Inde enim Romam venit legatus Symmachus anno DXVIIII in Eutharici consulatu , cuius rei Cassiodorius , ut supra dixi , in chronico meminit . Is est autem Symmachus , de quo Constantinopoli demorante loquitur s. Hormisdas papa Symmachi successor ep. XXXVII et LXVI. Eundem denique Symmachum (aut paulo iuniorem) senatorem praefectumque castrensem bello vandalico in Africa sub Iustiniano Procopius memorat [4] : atque huius Symmachi , dignitate exconsulis , aedes Constantinopoli arsisse in illa maxima contra praedictum Iustinianum seditione ex chronico paschali exploratum est .

Symmachi aevo s. Gregorii magni.

12. Centum fere post Symmachum papam annis occurrit nobis in litteris [5] magni Gregorii Symmachus alter in Corsica defensor (qui fuit temporum illorum magistratus quidam) . Hic autem sine dubio ex ea nobilissima domo fuit ; namque a Gregorio appellatur *vir magnificus domnus Symmachus* [6]. Quin adeo quum retro dixerim Rusticianae nomen avitum esse in Symmachorum familia , ecce nobis in Gregorii litteris aliam Rusticianam nobilissimam feminam , dignitate patriciam , quam Gregorius *excellentiae* titulo (non secus atque reginas) semper ornat . Matronam hanc fuisse de genere Symmachorum vel inde cognoscimus ,

(1) Concil. tom. V. ed. Coleti p. 458. Calumnias autem in Symmachum cognoscimus e mendaci quadam vita eius a schismaticis conficta , quam e prisco codice veronensi vulgavit Blanchinius vit. Pontific. rom. t. IIII. p. LXIX.

(2) S. Avitus viennensis in epistula , quam communi episcoporum Galliae nomine scripsit contra synodum , quae ad iudicandum de Symmacho convenerat , haec inter alia complura ait . *Dum de causa romanae ecclesiae anxii nimis ac trepidi essemus , utpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes . – Non facile datur intelligi qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior iudicetur . – Quid in principatum generalis ecclesiae criminationibus licere censendum est? – In sacerdotibus ceteris potest , siquis forte nutaverit , reformari : at si Papa urbis vocatur in dubium , episcopatus iam videbitur , non episcopus , vacillare .* Tum principes viros adhortans ait : *in conspectu vestro non sit ecclesiae minor , quam reip. status –. Nec minus diligatis in ecclesia vestra sedem Petri , quam in civitate apicem mundi –. Nostis bene inter quas haeresum tempestates fidei puppem ducamus . – Expedit ut gubernatorem vestrum participato labore tueamini* Parem eodem tempore exhibuit honorificentiam ac patrocinium romanae cathedrae gallus Ennodius in luculento, qui extat, pro Symmachi causa libello apologetico .

(3) Concil. praedict. pp. 459. 466. et alibi .

(4) Bell. vand. II. 16.

(5) Lib. I. 52.

(6) Lib. XI. 44.

quod praedictus Symmachus Rusticianae litteras Gregorio tradidit, et quod absentis matronae mandata cum eius universa familia Romae exsequutus est, pompa scilicet, ut illa iusserat, ad s. Petrum deducta [1]. Clientem se Rusticianae fuisse ante episcopatum narrat Gregorius [2]; sibique ab ea commendari nutricem suam libenter tulit [3]: et pro missis ad se redimendorum captivorum causa decem auri libris, et beato Petro donariis, et s. Andreae monasterio subsidiis [4] gratias egit; eiusque versantis Constantinopoli magnum esse in romana urbe desiderium testatus est [5]. Nobilissimas quoque Rusticianae neptes Romae degentes memorat Gregorius [6]: quarum una fortasse erat Italica patricia, ad quam bis scribit Gregorius [7]: namque et Italicam seniorem Symmachi oratoris sororem novimus [8].

Symmachi oratoris scripta.

II. Quum tot fuerint in Symmachorum gente clarissimi homines, nemo tamen parem famam oratori illi veteri consecutus est, ad quem denuo sermo meus deflectit: de cuius scriptis ut pauca cursim dicam, horum genera duo novimus, epistulas videlicet et orationes. Non est instituti mei multa verba de epistulis facere, quarum tamen posthumi libri a filio in vulgus dati adeo nostris eruditis placuerunt, post Politianum et Laetum a quibus primo eximie laudati fuere [9], ut decem saltem eorum editiones extent cum doctissimorum hominum commentariis: et quidem Romae vernaculo idiomate non ingloriam interpretationem curatam video, atque aliam ineditam latere scio. Ceteroqui vulgandarum Symmachi epistularum parva, ut solet, initia fuerunt. Nam princeps veneta Cynisci amerini editio in pontificatu Iulii II typis curata, adeo tenuis vulgoque incognita est, ut eam Fabricius Maittairius atque Panzerius ignoraverint, quamquam neque in vaticana bibliotheca deest, neque olim Iuretum latuit. Item mutila est secunda argentinensis, quam praedicti triumviri primam existimant; donec paulatim auctae sunt Symmachi epistulae in basiliensi, messiensi et parisiaca editionibus, ex codicibus multo plenioribus, quorum tempestive Cuiacius notitiam vulgaverat [10]. Atque ut Symmachi adhuc epistulae codicibus inspectis augeri possint, magnopere vereor: mihi certe complura earum mss. volumina, et quidem vetera, manu versanti, nihil se novi obtulit, praeter variarum lectionum atque emendationum copiosam segetem. Neque tamen infitias eo quasdam nos latere Symmachi epistulas: nam certe ornata illa epistula, et quidem latina, quam Libanius [11] a se receptam narrat valdeque dilaudat, in editis non occurrit. Vaticanus unus codex particulam ineditam relationis Symmachi filii mihi nuper suppeditavit, quam post reliquias orationum do. Sed multa praeterea sunt incommoda codicum a me observatorum: nam hi neque in libros di-

(1) Lib. XI. 44. (2) Ibid. (3) IIII. 46. (4) XI. 44. (5) VIII. 22. (6) VIII. 22. (7) III. 60. VIIII. 123. (8) Symm. ep. VIIII. 40. (9) Forcellinus contraria indicia colligit, id quod ego nihil moror. Sed tamen peccat ibi certe Forcellinus, qui Ammiani verba de patre Symmacho, intelligit de oratore. Nam qui praefectus Aproniano (seu Volusiano) successit, et cuius domus incensa fuit, is pater oratoris erat. Amm. XXVII. 3, Symm. ep. I. 44. (10) Observ. lib. V. 7. (11) Ep. 923.

stribuuntur, neque vulgatum ordinem servant epistularum, neque cunctas continent, neque nomina personarum plerumque exhibent: ita ut conferendi cum editis, praeter temporis iacturam, taedium ingens et labor fuerit. Igitur de orationibus dicendum superest, quarum ante aetatem nostram fama quidem ingens erat, nihil tamen, ne perpusillum quidem, extabat: donec his annis Mediolani in ambrosianae bibliothecae palimpsesto octo orationum partes apparuerunt; nuperius autem in vaticano item rescripto codice fragmenta tria; quorum primum ad laudes priores in Valentinianum seniorem pertinet; alterum ad orationem pro Synesio; tertium frustum est orationis pro Valerio Fortunato, cuius nec res nec titulus in mediolanensi codice erat. Novem itaque Symmachi orationum in editione hac nostra partes sunt. Sed enim orationes eius multo plures desideramus, quarum ingentem fuisse numerum Socrates tradit [1]: καὶ γὰρ αὐτῷ πολλοὶ λόγοι συγγεγραμμένοι τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ τυγχάνουσι. Rursumque Callixtus [2]: πολλοὺς γὰρ καὶ ἄγαν ἀρίστους λόγους ἐξέδετο. Atque his consonans Cassiodorius [3] multos ait reperiri Symmachi libros. Deperditarum orationum tituli ab ipso auctore obiter memorantur in epistulis hi.

Panegyricus Theodosii senioris, quo laudes eius civiles et bellicas stili honore percurrerat, legesque ab eo latas nominatim commendaverat. Ep. II. 13.

Panegyricus Maximi tyranni, quo victo, in maiestatis crimen vocatus Symmachus ad Christianorum ecclesiam supplex confugit. Socrat. hist. V. 14.

Apologeticus, seu defensio praedicti panegyrici, ad Theodosium qui eum crimine clementer absolverat. Socrat. ibid. et Symm. ep. II. 31.

Oratio de abroganda censura. Ter hanc memorat ipse auctor orationem suam, quam deinde opere etiam largiore propagavit. Et modestus alioqui orator tantum ei tribuebat, ut a legentibus adsensum se confideret extorturum. Profecto utilissimum historiae esset scire cunctas rationes, quibus motus senatus id reapse priscae severitatis tribunal sustulit. *Plures* (inquit Symmachus cum familiari loquens) *utilitatis et honestatis assertiones in ipso corpore orationis invenies*. Rursusque, *in oratione nostra non leves causas evitatae huius potestatis invenies. – Nam solis quaedam speciosa nominibus, usu et experiundo plurimum nocent*. Reiectam denique decreto senatus censuram ait, *ne sub specioso nomine fores impotentiae ambire solitis panderentur*. Symm. ep. IIII. 29. 45. V. 9.

Oratio de Polybii filio ep. IIII. 45. Polybium quidem ipsum, qui in Africa proconsularem iurisdictionem egregie repraesentaverat, laudat divus Ambrosius ep. clas. II. 87, sibique summa gratia devinctum ait.

Oratio contra Gildonem habita in senatu quo die is hostis publicus declaratus est. Ep. IIII. 4.

(1) Hist. V. 14. (2) Hist. XII. 21. (3) Hist. trip. VIIII. 23.

Gratiarum actio, ut videtur, Honorio pro Decii urbana praefectura, quam is anno CCCCII administravit. Ep. VII. 50. Fortasse tamen non oratio fuit sed epistula, sicuti illa ad Rufinum pro Flaviani, qui Decium praecessit, praefectura. Ep. II. 22. III. 81.

Praeter epistulas et orationes carmina Symmachum factitavisse compertum est. In his fuit poetica Baulorum historia. Ep. I. 1.

Symmachi historiam prosa oratione scriptam laudat Iornandes de reb. get. cap. XV, atque ex eius quinto libro copiosum fragmentum recitat de rebus a Maximino ante imperium gestis. Sed enim utrum Symmachus orator an quivis homonymus historiae illius conditor fuerit, merito ambigitur.

III. Stili sui Symmachus laudatores multos habuit, nempe Ausonium, Ambrosium, Paulinum, Prudentium, Cassiodorium [1], Sidonium, Auctorem de promiss. D. (graecos etiam Libanium, Socratem atque Callixtum) compluresque neotericos, quorum omnium testimonia idcirco reticeo, quia haec vulgo ante epistularum libros extant. Unicum Macrobii dictum [2] commemorabo, in quo nobis exhibetur Symmachus sectae peculiaris oratoriae auctor, seu certe plinianae instaurator. Sic ergo Macrobius: *quatuor sunt genera dicendi; copiosum, in quo Cicero dominatur: breve, in quo Sallustius regnat: siccum, quod Frontoni adscribitur: pingue et floridum, in quo Plinius Secundus, et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur*. Re tamen vera haud tanta est Macrobii, boni licet et sobrii scriptoris, auctoritas, quin adhuc meminisse liceat dicti quintilianei [3]: *unicum apud nos specimen orandi docendique oratorias artes M. Tullius*. Quid sua aetate faceret Symmachus, quum iam pluribus ante saeculis tot latina eloquentia quateretur erroribus, quot ille auctor dialogi [4], quot Seneca [5] et Fronto [6] et Fabius [7] in cassum reprehenderunt, nec ipsi satis vitare potuerunt? Quamquam igitur esset Symmachus monetae veteris spectator aequus et iudex [8], nihilominus temporis sui usibus victus [9] dabat sedulo operam ut poetico descriptionum nitore, densitate sententiarum, altitudine sensuum, translatorum licentia, plurimo denique ingenii acumine, acclamationem audientium peteret. Quare et filium erudiens, scintillare acuminibus atque sententiis scripta eius gaudebat [10]. Profecto sententiosum symmachiani eloquii genus per id tempus maxime viguit. Namque et divus Hieronymus de s. Paulini ad Theodosium panegyrico loquens [11] *librum tuum*, ait, *quem pro Theodosio principe prudenter ornateque compo-*

De Symmachi stilo.

(1) Symmachi apud Cassiodorium locus quidam e deperditis libris extat, quem ad laudes in Gratianum pertinere suspicor. Sic ergo Cassiodorius var. XI. 1. " Retinetis facundissimi Symmachi eximium dictum: *specto feliciter virtutis eius augmenta, cuius differo laudare principia* ".

(2) Saturn. V. 1.

(3) Inst. III. 1.

(4) De causis corr. eloq.

(5) Ep. CXIIII.

(6) De eloq. et de orat.

(7) Inst. VIII. 5.

(8) Ep. III. 11.

(9) Ibid.

(10) Ep. VII. 9.

(11) Ep. LVIII. 8.

situm transmisisti, libenter legi: ipsum genus eloquii pressum est et nitidum; et cum tulliana luceat puritate, crebrum est in sententiis. Iacet enim, ut quidam ait, oratio in qua tantum verba laudantur. Felix Theodosius qui a tali Christi oratore defenditur! Sed enim quid opus est de Symmachi stilo editorem laborare? satis enim scimus, quarti saeculi hominem, quamquam singulari mentis flagrantia vividisque et grandibus eloquentiae coloribus praeditum, cum augustei aevi scriptoribus non esse comparandum. Sed tamen in antiquitatis thesauris omne genus artificiorum studiosi homines libenter spectare solent. Et quidem in Symmacho multa sunt adiumenta ad historiam romani imperii plenius cognoscendam. Nam tres laudes augustales totae historicae sunt: in ceteris orationibus, praeter historica lumina, ius illorum temporum, curiae potestas, honorum cursus, notitia hominum ac dignitatum et consuetudinum passim elucent. Certe Gothofredus in suis maximis ad ius romanum lucubrationibus epistulas Symmachi, quae solae tunc extabant, saepenumero et insigni cum fructu consuluit. (Mihi vero percommodum accidit, ut cum Symmacho copiosum quoque iuris additamentum edam, reliquias nimirum corporis, quod sine dubio aetate Symmachi ex antiquioribus libris iuridicis consarcinatum fuit.) Corsinio quoque ad perscribendos urbis aeternae praefectos non parvam noster auctor symbolam contulit. Sed enim Symmachi multiplices et perbonas utilitates, ne sim nimius, lectorum curioso ingenio et considerationi permittere satius est.

De Symmachi palimpsesto.

IIII. Superest ut de Symmachi codice, unde has imperfectas orationes excussi, pauca dicam. Is idem est bobiensis palimpsestus, sub quo Fronto latuit, quique partim Mediolani partim Romae servatur, qua super re in praefatione romana Frontonis satis disserui. Ceteroqui Mediolani pars ingens Symmachi est, Romae autem duo tantum paria foliorum inveni, nempe quartum seu intimum quaternionis primi mediolanensis, in quo scribitur supplementum laudum priorum in Valentinianum: rursusque alterum folium par, cuius duae paginae habent incrementum orationis pro Synesio, totidem aliae continent fragmentum inauditae orationis pro Valerio Fortunato. Circa quaternionum autem rationem, propter folia plus solito hiantia, disputare vix licet; priore excepto, cuius evidenter superest secundum quartumque folium, et primi pars posterior, nempe quaternionis paginae postremae duae. Alterius quaternionis paginae tantum quatuor desiderari videntur, sex autem tertii. Reliqua folia omni prope vinculo ac serie carent. Symmachum Mediolani quum ederem, deque codicis aetate quaererem, hunc quidem vix uno saeculo post ipsius auctoris obitum scriptum esse existimavi [1]: quod nunc iudicium adeo non improbo, ut luculento testimonio, seu potius exemplo, comprobare queam. Est in tabulario vaticanae basilicae venerandus codex, fama et admiratione hominum iamdiu celebris, divi Hilarii scripta aliquot continens. Iam codicis huius scriptura tam similis symmachianae est, quam

(1) Praef. ed. mediol. p. XIII.

specimen a me expressum et cum symmachiano comparatum docet. Porro in huius codicis pagina CCLXXXVIII, diversa ac deteriore scripturae specie, minutis ductibus, legitur haec autographa, ut reor, subscriptio: *contuli in nomine domini Iesu Christi aput Kasulis*[1] *constitutus anno quarto decimo Transamundi regis*. Is est autem annus post Christum natum DVIIII. Ergo et ipse Hilarii textus post hunc annum scribi non potuit. Atqui Symmachus certe anno adhuc CCCCIIII vita fruebatur, ut supra demonstratum est. Porro hoc exemplum ad recte iudicandum de aetate scripturae generis symmachiani (quod genus in compluribus vaticanae bibliothecae codicibus superest) maxime idoneum, antiquarii non contemnent. Quod si haberemus alium Hilarii codicem abs Hieronymi manu circa eandem aetatem apud Treviros descriptum[2], valde suspicor similem huic africano nobis esse visurum.

(1) Provinciae byzacenae oppidulum. (2) Hieron. ep. V. 2.

COMMENTARII PRAEVII

PARS III.

DE ·C· IULII VICTORIS RHETORICA

ET

DE ·L· CAECILIO MINUTIANO APULEIO GRAMMATICO.

De rhetoribus unde Victor excerpsit.

I. Quandoquidem Victor in titulo artem suam ex antiquis aliquot rhetoribus haurire se ait, pauca mihi de his (Cicerone tamen et Quintiliano omissis) praefanda videntur. Atque in primis nihil accuratius distinguendum est, quam duos fuisse Hermagoras rhetoras. Cum seniore quidem Posidonius coram Pompeio magno Rhodi disputavit [1]: atque illius libri rhetorici citantur in iuvenili Ciceronis opere de inventione. Iuniorem vero Hermagoram sub Augusto floruisse narrat Suidas, qui et eius rhetorica scripta recenset. Duos fuisse Hermagoras miror aliquando dubitatum a Quintiliano, qui tamen inst. III. 5. duos demum agnoscere cogitur, quorum scilicet opiniones non congruebant: quia nimirum senior Hermagoras theses, seu generales quaestiones, ad rhetoricam pertinere dixerat [2], iunior autem negaverat [3]. Hermagora seniore uti Victorem, docere videtur titulus, in quo Hermagoras ante Tullium ponitur. Iam de hoc Hermagora iudicium Tullii tale est [4]: *Hermagoras satis in arte, quam edidit, videtur ex antiquis artibus ingeniose et diligenter electas res collocasse, et nonnihil ipse quoque novi protulisse*. Monet tamen ibidem Cicero rhetorem praecipientem fuisse Hermagoram non oratorem. Aridissimos Hermagorae libros dicit auctor de causis corr. eloq. [5]; Hieronymus [6] autem tumiditatem Hermagorae reprehendit: quod ceteroqui de eius inanibus pollicitationibus ac gloriationibus dici abs Hieronymo certum est. Isidorus tamen [7] Hermagoram in praecipuis Graecorum rhetoribus ponit. Passim vero Hermagora utuntur, praeter Tullium, Seneca [8], Quintilianus [9], prisci rhetores latini [10], Hieronymus [11], aliique veteres quos numerare lectori non interest: quosque nunc de uno nunc de altero Hermagora loqui existimo.

De Aquilio rhetore nihil fere habeo quod dicam, nisi valde suspicari me scribendum Aquilam. Namque Aquilae romani extat tractatus de figuris rhetoricis. Antonius Aquila declamator memoratur apud Frontonem [12]. Denique graecus rhetor Aquila laudatur a Philostrato in Chre-

(1) Plutarch. in Pomp. cap. XLII. (2) Cic. de invent. I. 6 (3) Quintil. inst. III. 5. (4) Cic. l. c. (5) Cap. XVIIII. (6) Ep. LIII. 10. (7) Orig. II. 2. (8) Controv. I. 1. et praef. libr. III. (9) Inst. III. 1. 3. 5. (10) Ed. Capperon. pp. 60. 121. sqq. 129. 204. 319. 320. 321. 322. 324. 327. (11) Loco cit. (12) Ad amicos I. 10.

sti vita. Aquilii vero rhetoris quisnam meminerit nondum comperi: Aquilii enim Severi sub Valentiniano principe historiam memorat Hieronymus [1], non scripta rhetorica.

Nihil item habeo dicere de Marcomanno, nisi quod eius rhetoricis praeceptis parce utuntur Fortunatianus ed. Capper. p. 68, Victorinus p. 119, Sulpicius Victor p. 285.

Dum Tatianum mente revolverem, primus occurrebat Tatianus ille syrus, sed lingua graecus, professione sophista et rhetor, cuius infinita fuisse volumina tradunt Eusebius atque Hieronymus [2], quorum postremus diserte ait: *Tatianus qui primum oratoriam docens, non parvam sibi ex arte rhetorica gloriam comparaverat. Hic sub imp. M. Antonino Vero et L. Aurelio Commodo floruit*. Ergo quam artem docuit Tatianus, valde est credibile scriptis quoque commendavisse. Veniebat quoque in mentem Tatianus Symmachi in consulatu collega, qui si forte rhetor fuit, summum reip. romanae honorem uno anno ars oratoria sortita est. Neque id mirum. Nam quo item anno Symmachus Romae veteri praefectus imperabat, eodem Themistius rhetor novam Romam aeque praefectus moderabatur. Verum his omissis, valde suspicor mendosam esse scripturam codicis, ut supra in Aquilio pro Aquila, sic heic in Tatiano pro Titiano. Mendi praegravat suspicionem similis error apud editos libros Capitolini in Maximino iuniore cap. I: *usus est Maximinus oratore latino Tatiano filio Tatiani senioris, qui dictus est simia temporis sui, quod cuncta imitatus esset*. Quo loco Casaubonus in adnot. nec non Vossius in historic. lat. recte iubent ut utrumque nomen scribatur *Titianus*, adstipulantibus nempe codicibus; nam et ego vaticanos octo, quos consului, codices in lectione *Titianus* consentire vidi, itemque veterem palatinum, quem iam Gruterus inspexerat. (Et quidem contrarius error, *Titianus* pro *Tatianus*, apud nonnullos auctores de illo homine legitur, qui consul fuit cum Symmacho. Quare non immerito Muratorius in annalibus monet ut huius consulis nomen non per ·i· litteram sed per ·a· scribatur: idque copiosius confirmat Pagius ad Baron. an CCCLXXXXI. Et quidem in iis, qui peccant, Almelovenius est, nobilis alioqui consularium fastorum scriptor; qui fallitur etiam in Symmachi oratoris nominibus, filio nimirum paterna tribuens *L. Aur. Avianus* pro *Q. Aurelius*. Quin adeo *Titianum* non *Tiberianum* legere oportet apud Hieronymum in chron. ad an. CCCXXXIX, ut recte iubet legitque in mss. Scaliger. Is vero Titianus dicitur abs Hieronymo vir disertus.) Porro Titianus celeberrimus apud Latinos rhetor fuit. Nam et Isidorus [3] de rhetoricae inventoribus loquens, *haec*, inquit, *disciplina a Graecis inventa est, a Gorgia, Aristotele, Hermagora; et translata in latinum a Tullio videlicet et Quinctiliano et Titiano*. Verba enim *et Titiano*, quae in aliquot servantur Isidori exemplaribus studiose retinenda sunt nedum eiicienda, ut temere vult Grialius, cuius heic immerito auctoritati obtemperavit Arevalus. Titiani

(1) De vir. ill. CXI. (2) Hist. eccl. IIII. 29; de vir. ill. cap. XXVIIII. (3) Orig. II. 2.

themata rhetorica et controversias Servius laudat [1]. Noster igitur rhetor Titianus est, tertii saeculi homo, sive is pater est, sive filius; nam id rursus fit ambiguum, quoniam uterque in rhetoricis disciplinis eminuit. Sed tamen fama senioris clarior; quare et hunc cogitare apud Victorem aequius est. Erat autem senior Titianus secta frontonianus, ut alio loco me dicere memini [2].

De C. Iulio Victore.

II. Caius Iulius Victor homo mihi novus est, neque utrum sit editus scio: utique in Capperoronerii collectione rhetorum latinorum noster non occurrit. Videtur tamen eum olim agnovisse Rufinus [3], a quo Victor inter eos ponitur qui de numeris oratoriis scripserunt; id quod reapse noster facit cap. de elocutione. Namque ille quidem Sulpicius Victor, qui occurrit in rhetoribus editis, nullum facit verbum de oratoriis numeris. Dicerem aetatem quoque Victoris nobis tradi a Rufino, qui eum nominat inter Donatum et Servium, nisi cernerem aliorum rhetorum ibidem appellatorum aetates perturbari. Illa igitur Rufini praeclara lectio firmiter admodum retinenda est, contra Capperonerii sollicitationem, qui pro Victore scribendum esse Victorinum in cassum suspicabatur. Victoris patriam, siquid audacter hariolari licet, dicerem Galliam; quandoquidem primis christiani aevi temporibus Iulii nomen iam inde a Iulio Caesare tam frequens in Galliis erat. Studia vero Galliarum rhetorica per aetates illas celebria supra memoravimus [4]. Quare et s. Hieronymus adulescens Gallias eruditionis causa peragravit [5]. Praeterea Svetonius [6] professores liberalium artium in Gallia praesertim togata floruisse confirmat. Tum quia noster utitur Titiano tertii saeculi rhetore, haud priorem quarto saeculo existimo: et quidem hominem in ethnica superstitione nutritum frequentibus indiciis nosco. Caius igitur Iulius Victor videtur mihi rhetor provincialium fortasse studiis in Gallia praepositus; non secus ac Iulius Titianus, ut observat Ausonius 7, municipalem scholam apud Visontionem Lugdunumque variando consenuit. Certe a Victore hanc rhetoricam eclogen in gratiam studiosi iuvenis fuisse compositam compertum est: multosque sua aetate extitisse commentarios eiusmodi tradit Svetonius [8], et inclinato adhuc aevo Priscianus 9.

De natura libelli qui editur.

III. Causa mihi edendi huius rhetorici operis eadem est, quae fuit ceteris eruditis, qui vetustos rhetores sive graecos sive latinos studiose in codicibus conquisiverunt, publicaque luce impertiendos iudicaverunt. Etsi enim extabat copiosissimus omnium rhetorum ac sapientissimus Quintilianus, nemo adhuc sanus dixit Pithoeum eoque priores aut posteriores lusisse operam, cum minoribus artigraphis curas suas vulgandis impenderunt, eosque copiosis et perquam accuratis commentariis instruxerunt. Nonne laudabiliter fecit nuper praestantissimus Boissonadus, cum graeci rhetoris Tiberii partem incognitam e vaticano codice tunc Parisios translato deprompsit? Iam Victorem qui legent, non spernendum rhetoricae

(1) Ad aen. x. 18. (2) Praef. rom. Front. p. xxv. (3) Ed. Capper. p. 353. (4) Praef. ad Symmach. I.2. (5) Ep. III. et alibi. (6) De gramm. cap. III. (7) Grat. act. §. 31. (8) De gramm. cap. IIII. (9) Prohoem. de num. et pond.

veteris compendium agnoscent. Ceteroqui ariditas atque subtilitas didascalicis plerisque rhetoribus communis est. Victor autem quod minus de suo affert, id excellentia alienae doctrinae et auctoritate fontium compensat. Scilicet in eius rhetorica deperditorum Hermagorae, Marcomanni et Tatiani (seu Titiani) praecepta legimus: et Ciceronis etiam locos aliquot recuperamus ex amissis vel lacunosis orationibus pro Tullio, pro Fonteio, et contra contionem Metelli, cum mentione desideratarum item ad Axium epistularum [1]. Adde locum Ennii ex Sabinis [2], et Gaii Fannii ex oratione in Gracchum [3]. Adde aliquam commemorationem operum iamdiu deperditorum ipsius Gracchi atque Catonis [4]. Adde denique novarum aliquot vocum et phrasium in linguae thesaurum referendarum nonnullam utilitatem. Prorsus autem commendandae Victoris rhetoris dignitati sufficere mihi videntur vel duo postrema tractatus capita, de sermocinatione videlicet et de epistulis. Editur hoc opus ex ottoboniano vaticanae bibliothecae membraneo codice MDCCCCLXVIII. saeculi ferme XII, Fortunatiani quoque rhetoricam complectente. Scripturae copiosum specimen, nempe ultimum operis caput, in aere excudendum curavi.

(1) Victor rhet. VI. 1. 2. 3. 4. XIIII. XXVII. (2) Cap. VI. 6. (3) Ibid. (4) Capp. I. IIII. 4. XXVII.

DE ·L· CAECILIO MINUTIANO APULEIO GRAMMATICO.

Notitia opusculi.

I. Olim videram obiter in Luduvici Caelii rhodigini antiquis lectionibus citatas aliquoties Caecilii Minutiani Apuleii grammatici auctoritates. Mox in lamiano florentinae Richardiorum bibliothecae catalogo Apuleium de orthographia recenseri observaveram. Itaque quum Florentiam ante hos annos venissem, et richardiani codicis copiam nactus essem, deprehendi non id esse opus vetus a Caelio lectum, sed valde recentius quoddam multoque minoris faciendum. Mox in vaticanis quoque codicibus nihil aliud quam id ipsum richardianum scriptum inveni. Sed ecce demum dum vallicellianae bibliothecae apud s. Philippum in urbe nonnullos codices benignitate docti praesidis cursim inspicio, in illud demum opusculum, quod Caelius prae manibus habuit, lubens incurri. Est is codex quidam miscellus in quo sunt alia bonae frugis complura, inter quae manu propria Achillis Statii occurrit hoc κειμήλιον, quod facultate a dominis impertita nunc in lucem protraho. Achillem Statium lusitanum doctrina varia editisque operibus clarum Romae olim familiaritate divi Philippi usum scimus, cuius novellam religiosorum virorum sodalitatem quum ea qua par erat veneratione prosequeretur, suam ei bibliothecam moriens legavit, et se quoque apud illam tumulari mandavit. Atque hinc videlicet accidit, ut opus hoc grammaticum Statii manu descriptum in vallicelliana bibliotheca conservaretur. Idcirco autem Statius describendo Apuleio operam dedit quia inter cetera studia, grammaticae apprime eruditioni vacavit, id quod eius certe commentarius ad Svetonii grammaticos demonstrat.

II. Sed ante quam de Minutiano Apuleio eiusque codice explanatius dico, locos a me excerptos e Caelio rhodigino scribam, quorum aliqui quum ad verbum in vallicelliano codice occurrant, iustum operis veritati dant testimonium: quod vero aliqui desiderantur, codicis imperfectio in causa est, ut infra docebo. Sic igitur in antiquis lectionibus Caelius.

Caelii rhodigini testimonia.

VII.4. In fragmentis Caecilii Minutiani Apuleii veteris grammatici adnotatum comperi, Virgilium (1) ab virgis esse cognominatum, inter quas sit natus: propterea primam habere .i., non .e., cui suffragetur illud Calvi:

(1) Hunc locum refert etiam Lilius Gyraldus de poet. dial. IIII. ed. Lugd. Batav. tom. II. p. 204. F: *in Caecilii Minutiani Apuleii fragmentis, quae leguntur, modo a virgis Virgilium dictum, modo a vergiliis Vergilium* etc. fere ut apud Caelium. Sane uterque (Caelius nimirum atque Gyraldus) Ferrariae studiis operam dederunt, ibique Apuleii fragmenta legisse videntur: quod eo vehementius mihi persuadeo, quia Perottus, ut infra dicam, Ferrariae describebat falsi quoque Apuleii opusculum. Ceterum tum quia Gyraldus paulo iunior Caelii opus ante dialogos de poetis editos legere potuit; tum quia alibi Apuleio non videtur uti in his dialogis, quamquam Apuleius tot poetas appellet; valde suspicor haud ipsum Apuleii codicem, sed Caelii tantummodo testimonium, a Gyraldo fuisse lectum.

et vates cui virga dedit memorabile nomen
laurea.

Fatetur tamen idem Apuleius, in aliis Vergilium ab vergiliis inflecti.

XII.8. In fragmentis Caecilii Minutiani Apuleii de orthographia diaetam comperi etiam ziaetam dici.

XIII.1. In Caecilii Minutiani Apuleii fragmentis observatum, annis septem in exilio consumptis, functum esse fato Ovidium calendis ianuariis: qua die Titus quoque Livius decesserit: structum item illi a barbaris per multas lacrymas tymbon ante ianuam. Auctor idem Minutianus est, Corvinum ab Ovidio appellatum fuisse ibin ex avis foeditate, cui ventrem rostro purgare insitum sit; et hoc ex Callimmachi imitatione: pulsum quoque in exilium, quod Augusti incestum vidisset.

XV.10. Apuleius grammaticus quod illic (in angulorum augustiis, quos vocant hirquos) haereant oculi, hirquos dici opinatur.

XVI.24. Caecilius Minutianus Apuleius in libro de orthographia, Sunt, inquit, qui scribant coiux, citra ullum omnino .n. a coeo: aliis addere unum placet, et coniux dicunt: sunt qui duplex, ut sit coniunx, ex opinationis varietate in verbi de ductione.

XVIII. 1. Saltationem hanc (nudorum) sive id genus alteram significasse Iuvenalem eo versiculo:

qui lacedaemonium paedaemate lubricat orbem;

putat in libro de orthographia Caecilius Minutianus Apuleius, ac legendum paedaemate, prioribus syllabis diphthongum recipientibus; quia sit utrubique apud Graecos α, et verbo eo plane saltationem innui.

XVIIII. 2. Asciam nonnulli etiam dolabram dici rentur, unde inclinetur Dolabella, ut secunda syllaba prorsum habeat .a. non .o., ut fere vulgo receptum est: quod Caecilius Minutianus Apuleius in libro de orthographia monumentis prodidit.

XVIIII.10. Quam Iamben transtulit Planudes (1), uti meminit Caecilius Minutianus Apuleius.

XX.13. Scribit Caecilius Minutianus Apuleius, Olympum etiam dici Iovem; unde Naevius:

panditur interea domus altitonantis Olympi.

Ex quo Virgilius omnipotentis Olympi. Quod si est, falluntur, qui legendum arbitrantur omnipatentis Olympi. Nam et Ennius ait: decessit Olympius antro.

XX.28. Scribit Caecilius Minutianus Apuleius in libro de orthographia, ignobiles ac quorum ignoretur genus, terrae filios a Cicerone et aliis nuncupari.

XXII.13. Quia partus octimestris non fere vitalis est, putat Caecilius Minutianus Apuleius Parcis tribus facta nomina haec, Mortuam, Nonam, Decimam.

XXIIII.4. Quam scribendi rationem (pulcer pro pulcher) insequi videtur Caecilius Minutianus in libello de orthographia, quamquam insigniter mutilato decurtatoque, ac prorsum vetustatis et incuriae vulneribus confosso: in quo et illud adnotavimus, mihi cum flatili scribendum, ut disparetur a vocativo mi (2).

(1) Rettulerat Caelius Ovidii metamorph. VII. 383 versum *Ophias effugit natorum vulnera Combe*. Tum subdidit *Comben* hanc Planudem interpretatum fuisse *Iamben*, ut meminit Apuleius. Sed ingens aberratio. Neque enim Apuleius Planudis, qui fuit XIIII saeculi homo, videre potuit interpretationem graecam metamorphoseon (quam nuper a cl. Boissonado editam legimus in pulcherrima Ovidii editione quam nobis curavit vir omni doctrina et humanitate expolitus El. Lemairius). Neque rursus Apuleius, si coaevus Planudi erat, tot veteres auctores, quos tertio quoque verbo laudat, prae manibus habere potuit. Spurius est igitur et obtrusus hic Apuleii locus, cuiusmodi alium in Statii codice deletum ab ipso Statio fuisse docui. Porro Caelium miror qui tantum anachronismum non senserit; aut certe alio quovis mentis vel calami vitio laboravit: neque tamen de antiquiore aliquo Planude cogitavisse eum arbitror: praesertim quia nomen illud *Iambe* revera occurrit in praedicto neoterico Planude. Et quidem de hac Planudis interpretis voce legesis disputantem Burmannum ad Ovid. Nisi forte Caelii textus mendosus est, *Planudes* pro *Planciades*; vel aliter interpungendus; ita ut auctoritas illa Planudis parenthesi concludenda sit, mentio autem Apuleii cum praecedentibus copulanda: et nisi denique Caelius hoc a falso Apuleio accersivit, cuius codicem extitisse Ferrariae mox docebo.

(2) Uterque locus, nempe doctrina de scriptura *pulcer* et de *mihi* distinguendo a *mi* extat in falsi Apuleii grammatici ms libello. Rursus ergo Caelius germanum cum spu-

XXIIII.13. Eridanus, fluminis appellatio in Italia; quin et in Thessalia et Attica, ut credit Caecilius Minutianus Apuleius.

Fieri autem potest ut apud Caelium alii praeterea recitentur Minutiani Apuleii loci: spissum enim et grande opus antiquarum Caelii lectionum triginta libris expositarum semel ego properante oculo legi.

Cur exempla praetermissa fuerint in codice.

III. Bene habet, dicet aliquis, Apuleii grammatici editio; sed quonam fato accidit, ut quum mirabilis auctorum numerus apud hunc nominetur, ipsa porro exempla (quod erat caput et decus operis) praeter unum aut alterum omittantur? Magnum, fateor, id damnum est: neque tamen dubitare licet, quominus hi auctorum loci in vetere Apuleii codice fuerint. Nam Statii apographum spatia ubique habet tanti moduli, quanto opus erat ad inscribenda exempla sive ea prolixiora fuissent sive breviora: modo quippe spatium est aliquot versuum, modo unius, modo dimidii, modo minorum partium: quam ego spatiorum diversitatem in editione mea indicandam curavissem, nisi formis idoneis caruissem. Causa autem omittendorum locorum, mihi quidem, qui lacunas huiusmodi in antiquis codicibus saepe observavi, mira non est. Namque in priscis lucubrationibus, si quando auctoritates aut testimonia aliena proferebantur, haec vel litteris paulo diversis vel coloratis ductibus haud raro fiebant: vel potius spatia a librario relinquebantur, ubi deinde illuminator insigniorem, quam dixi, scripturam pingeret; id quod variis postea casibus fieri neglectum est. Praeterea mos erat veterum amanuensium latine scribentium graecos in primis locos praetermittendi, spatio relicto, in quo hi postea a graece perito exararentur, et quidem plerumque alio suco, puta viridi aut rubro. Sic in vetusto, quem repperi, Ciceronis interprete, graeci loci ab alia manu suppleti fuerunt subrubro suco, qui aetatem non tulit, ita ut latina quidem scriptura vivacissima sit, graecae autem vix evanida verba aliquot legi queant. Item in antiquissimo palatino Gellii palimpsesto graecae omnes auctoritates praetermittuntur, spatio congruo, ubi mox scriberentur, relicto, quod numquam postea occupatum est. Quin in codicibus etiam iunioris aevi, genus eiusmodi hiatuum est, qui adhuc manum illuminatoris expectant. Hae igitur abunde causae sufficiunt, quominus Apuleii grammatici lacunas miremur.

De vero Apuleio grammatico coniecturae.

IIII. Quae patria quaeque aetas Lucii Caecilii Minutiani Apuleii fuerit, quis satis probabili coniectura divinet? Insignis ceteroqui est Svetonii locus [1] plurimique faciendus: *constat Lucium Appuleium ab Eficio Calvino equite romano praedivite quadringenis annuis conductum multos edocuisse. Nam in provincias quoque grammatica penetraverat; ac nonnulli de notissimis doctoribus peregre docuerunt, maxime in Gallia togata*. Et quidem in codice vallicelliano consonant praenomen *Lucius* et agnomen *Apuleius*. Etsi autem romani quoque Apuleii fuerunt, nihilo-

rio Apuleium confundit. Nisi potius dicendum est (quod valde reor et quod deinceps argumentis confirmabo) spurium opusculum derivatum esse a genuino, multis novae farinae interpositis.

(1) De gramm. cap. III.


minus propter celebrem illum Madaurensem in mentem mihi Africa venit: in qua Caecilii etiam nomen frequentissimum fuit, ut Afrorum scripta demonstrant. Quid vero? Caecilius ille afer apud Minucium item afrum nonne belle alludit ad Caecilium nostrum Minutianum? Professio ipsa grammatici in Caeciliis et Minutianis nova non est: nam Caecilius Frontonis epistulas recensebat: itemque Menucianus aut Menicianus vitam L. Senecae, auctore filio, scribebat in palimpsesto palatino, ut mihi certe in membranis legere videor. Quod autem Minucianus Apuleius ad voc. *Allia* Romanos dicit *exercitus nostros*, id fortasse non Romam patriam significat, sed hominem qui romano imperio parebat. Denique et ille Minucianus rhetor Nicagorae filius atheniensis, quem in impressis graecis habemus, et cuius item codicem Richardiorum bibliotheca conservat, nihil ad nostrum latinum adtinet: de cuius aetate tum ex superius adscriptis Svetonii verbis, tum e postremis auctoribus qui in fragmentis citantur, coniecturaliter, ut opinor, iudicare licet: quum praesertim locus in quo Donatus et Probus laudantur (nequid de Planudis apud Caelium rhodiginum obtrusa aut perversa commemoratione dicam) νοθείας obelo confixus fuerit.

V. Quandoquidem retro dixi, falsi quoque cuiusdam Apuleii de orthographia in bibliothecis opusculum latitare, superest ut huius rei paulo distinctiorem notitiam scribam. Vir ille infinitae doctrinae Alb. Fabricius narrat [1], in bibliotheca Marqu. Gudii extitisse libellum sub Apuleii nomine de notis adspirationis et de diphthongis; eumque incipere *Omnis adspirationis nota* etc. Et merito ibidem censet Fabricius Apuleium hunc iuniorem esse illo celebri Madaurensi. Idem addit famam super duobus Caecilii Apuleii libris de orthographia, qui in vaticana bibliotheca alibique extare credebantur. Duos autem non tam libros quam libellos brevissimos falsi Apuleii reapse extare in quinque vaticanae bibliothecae codicibus nec non in richardiano testis ipse oculatus sum. Auctor italus christianus est, nam et sacris bibliis interdum utitur, et Hieronymum, Augustinum, Isidorum atque Gregorium commemorat. Praeterea longe recentioris aevi est, ut quidam eius locus ostendit e secundo opusculo excerptus [2]. Neque tamen non valde suspicor, quin hic falsus Apuleius verum aliquoties Apuleium exscripserit. Nam quae verus dicit de *halo* et *alo*, *hedera* et *hereo*, *hostio* et *aequo*, eadem habet et falsus Apuleius. Consideratis tamen opusculi huius momentis, etsi, ut dixi, id multo sequioris aetatis est, nihilominus nullam non habet antiquitatem, testimonio etiam doctissimi hominis Nicolai Perotti, cuius in duobus spurii operis vaticanis codicibus haec habetur subscriptio calci operis libelli secundi adiecta: De falso Apuleio grammatico.

(1) Bibl. lat. in Apuleio.

(2) *Diphthongi, quibus veteres utebantur Latini, quattuor erant, videlicet ae, oe, au, eu etc. Sunt praeterea quaedam aliae diphthongi, quibus nunc utimur, quas a barbaris hodie accepimus: ut ai in Rainaldus, Aimo: uo in Uoldericus: ua in Uazo: ui in Uido: quamvis famosiores nostri temporis per g inchoent huiusmodi nomina, Guazo et Guido scribentes. Plerique autem duo uu* (nempe W) *scribunt, quod omnino caret ratione*. Tum alibi: *Heinricus et Humbertus, quae nuper a transalpinis accepimus*.

Apuleii fragmentum de diphthongis, quod in vetustissimo codice repertum est, finit feliciter per Nicolaum Peroctum, quum Ferrariae apud magnificum et generosissimum virum ·D· Gulielmum ·GR· esset, duodevicesimumque aetatis suae annum ageret.



aucl	deus, divus, dixit
autem	dominorum nostror.
apud forum frumentarium	dumtaxat
aut	esse. est
amantissime	etiam
apud	enim
actionem	etiam, et jam ?
bus	ejus
bene	ergo
con com	ejusdem
cum	est sed
contra, contro	etenim
controversia	ejusmodi
convictu	edictum
cujus de ea re notio est	ejus rem quod nec
clarissimi viri quos non	edicto
causa	filium familias
defunct	funct
divi fratres	fideicommissum
dem	heredem
	hoc
	hem

EX EMPTO ET UENDITO [1].

. . . *Qui a muliere* || sine tutoris auctoritate sciens rem mancipi emit, uel falso tutore auctore, | quem sciit non esse, non uidetur bona fide emisse: itaque et ueteres putant, et Sabi|nus et Cassius scribunt. Labeo quidem putabat nec pro emptore sed | pro possessore. Proculus et Celsus pro emptore, quod est uerius; nam et fructus suos fa|cit, quia scilicet uoluntate dominae percipit: et mulier sine tutoris auctorita|te possessionem alienare potest. Iulianus propter Rutilianam constitutionem [2] eum qui pretium mu|lieri dedisset, etiam usucapere; et si ante usucapionem offerat mulier pecu|niam, desinere eum usucapere. | P. 60. b.

P. [a] lib. III. R. [b] Usurae [c] uenditori post traditam possessionem arbitrio iudicis praestantur | ; ante traditam autem possessionem emptori quoque fructus rei uice mutua praeberi nec|esse est: in neutro mora considerabitur. |

Uenditor qui legem commissoriam exercere noluit, ob residuum | pretium [d] iudicio uenditi recte agit; quo secuto, legi renuntiatum uidetur. |

Qui die transacto legem commissoriam exercere noluit, postea uaria|re non potest [3].

Pap. lib. III. Res. [e] Aede [f] sacra terrae [g] motu diruta, locus aedificii | non est profanus, et ideo ueniri [h] non potest [4]. |

Mulier seruam ea lege uendidit, ut si redisset [k] in eam ciuitatem unde placuit | exportari, manus iniectio esset. Manente uinculo seruitutis [5], si redierit, | quae uendidit manum iniciet, et ex iure concesso mancipium adducet. Post manumissionem autem |

a Nempe *Papinianus*, ut uidetur. b Scilicet *responsorum*. Et quidem infra scribitur *Pap. res.* c Cod. *usure*. d Cod. *ptium*, et alibi *pres*, *interptatio*; ubique scilicet significatur *prae* non *pre*; quae tamen erant corrigenda. e Verba *Pap. lib. III. res* (non *resp.*) scribuntur litteris minoribus inclinatis. f Cod. *aedes*. Ita apud Frontonem ed. rom. p. 232. *colas synonym.* pro *colis synonym.*; et in codice concil. chalc. *patisse* pro *pati se*. g Cod. *terre*. h Ita cod. Sane et in Pii rescripto dig. I. 6. 2. legitur *ueniri*; etsi nonnulli editores praue dederant *uenire*. k Cod. *redisse*.

1 Confer dig. xviiii. 1, inst. III. 24, Paul. II. 17, leg. Burg. xxxv.

2 Caius inst. IIII. 35: *quae species actionis appellatur Rutiliana, quia a praetore Publio Rutilio, qui et bonorum uenditionem introduxisse dicitur, comparata est.*

3 Hunc Papiniani locum refert Ulpianus dig. xviii. 3. 4. §. 2.

4 Extat dig. xviii. 1. 73.

5 Cf. cod. iust. IIII. 55. 5.

si redierit, in perpetuam seruitutem sub eadem lege publice [a] distrahet | quae uendidit. Si manum iniecerit non liberatae, mancipium retinere poterit ac | manumittere. Adimi quippe libertatem, et publice [b] uenditionem ita fieri placuit, | ut propter pericula uenditores quaeuis [c] metuentes, seruis suis offensam uel duritiam [1] | possint [d] paenitendo [e] remittere. |

Quo minus possessio rei uenditae tradatur empti [f] iudicio, decem annorum | praescribtione non inpeditur. |

Euictione circa [g] dolum emptoris et iudicis iniuriam secuta, duplum | ex empti iudicio secundum legem contractus praestabitur. |

Creditor a [h] debitore pignus recte emit, siue in exordio contractus ita conue|nit, siue postea. Nec incerti pretii uenditio uidebitur, si conuenerit ut pecunia fae|noris non soluta creditor iure empti [i] dominium retineat, cum sortis et | usurarum quantitas ad diem soluendae pecuniae praestitutam certa sit. ||

P. 60. a. Iniquam sententiam euictae rei periculum uenditoris non spectare placuit, neque stipula|tionem auctoritatis committere. |

Conuenit ad diem pretio non soluto uenditori alterum tantum praestari: quod usu|rarum centensimam excedit, in fraudem iuris uidetur additum. | Diuersa causa est commissoriae legis, cum in ea specie non faenus inlicitum | exerceatur, sed lex contractus non inprobabilis dicatur. |

Ante pretium solutum dominii quaestione mota, pretium emptor restituere | non cogetur, tametsi maximi [k] fideiussores euictionis offerantur, cum [l] ignorans | possidere [m] coeperit. Nam usucapio frustra conplebitur anticipata lite, nec | oportet euictionis securitatem praestari, cum in ipso contractus limine do|minii [n] periculum immineat. |

Uenditor [2] si per conlusionem imaginarium colonum emptoris deci|piendi causa subposuit, ex empto tenebitur. Nec idcirco recte defenditur, si quo | facilius excogitatam fraudem retineret [o],

a Cod. *publicae*. b Cod. iterum *publicae*. c Cod. *q. u.* superpositis lineolis. d Cod. *possum*. e Cod. *penitendo*. f Cod. *emptio*. g Videtur emendandum *citra*. h Cod. *a d*, sed *d* uidetur deleta. i Cod. *emptio*; sed *o* deinde expuncta fuit. k Ita cod. l *Cum* superadditur. m Ante *possidere* scribitur *pota* (cum deletur) post rasuram uidelicet, sub qua prior extitit pars deleti uocabuli, ut uideatur *antici*, nempe *anticipata*. n Cod. *domini*. o Ita cod.

1 Cf. dig. I. 6. 2. XLVIII. 1. 6. 27.

2 Hic locus usque ad *in fidem suam recipiat* extat, paucis uariatis, in dig. XVIII. 1. 49. ex epitomis Hermogeniani.

colonum et quinque an|norum mercedes in fidem suam recipiat: alioquin si bona fide locauit, | suspectus non erit.

Lege uenditionis inempto praedio facto,| fructus interea perceptos iudicio uenditi restitui placuit, quoniam eo iure contractum | in exordio uidetur: sicuti in pecunia quanto minoris uenierit, ad diem pretio | non soluto. Cui non est contrarium iudicium ab aedilibus in factum de reciperando | pretio, mancipio [a] redditur, quia displicuisse proponitur; quod non erit necessarium si eadem | lege [b] contractum hostendatur [c].

Fructus pendentes [1], etsi maturi fuerunt, si eos uenditor post uenditionem | ante diem soluendi pretii percepit, emptori restituendos esse conuenit, si non | aliud inter contrahentes placuit. |

Uino mutato [2], periculum emptorem spectat, quamuis ante diem pretii sol|uendi uel condicione [d] emptionis inpleta id euenerit. Quod si mille amphoras | certo pretio, corpore non demostrato uini uendidit, nullum emp|toris interea periculum erit. |

Euictis agris [e], quanti emptoris interest, iudicio empti lis aestimatur. Quod si ab ini|tio conuenit, ut uenditor pretium restitueret, usurae quoque post euictionem praestabuntur, | quamuis emptor post dominii litem inchoatum [f] fructum aduersario resti|tuat. Nam incommodum medii temporis damnum emptoris est. ||

. . .
secundum ius in faci . . . P. 61.b.
res inquietari sed actione fidu . . . .
Ualeriano III. et *Gallieno II. conss.* (255) . . . .
Gallienus Aug. . . . .
pupillorum a credito . . .
cari nullo possunt. Si igitur abs . . .
nita contra uenditionem a cr . . .
qui inquietari te in possess . . . . *Seculari*
II. et Donato conss. (260). . . .
per Iulium [g] in Osilium spe . . .

a Nam pro *mancipi?* b Cod. *legem*. c Ita cod. heic et alibi. d Ita cod. Nisi forte dicendum est *condicionem*, et mox *inpletam*. e Cod. *agais*. f Ita cod., non *inchoatam*. g Cod. *per iuim*, cum lineola super *u*, ita ut esset *uen* aut *uel*.

1 Cf. dig. XVIIII. 1. 13. §. 10, cod. iust. IIII. 49. 13. 2 Cf. cod. iust. IIII. 49. 12.

auxilium non potest deneg*ari* . . . . *pe-*
cuniam creditoribus s . . .
habere non potuit in poss*ess* . . .
et usurarum, quia in commun . . .
kal. iuliis . Uiminac*i* . . .
Gallienus Aug. . . .
nandae non sunt . Aditus ita*que praeses prouinciae* . . .
cedente e iussione [a] qui . . .
P P. [b] VIIII. kal. non. Pa*tauii* . . .
Diocletianus et Max*imianus* . . .
cessationem collation . . .
uera fide conparasti et uen [c] . . .
facta conuelli non d . . .
Diocletianus et Aurel*ius Maximianus* . . . . . . *uio-*
lentia ignis qui nunc per poc . . .
tam dicas si uendition . . .
te non adstringet . PP . . .
Diocletianus Claudia . . .
emptori indemnita . . .
possessionem uenditam esse coe . . .
ex qualitate rei perdoc . . . . *Diocletiano*
II. et Aristob*olo* conss. (285) ||| . . .

P. 61. a. . . . tico possessionem pa-
. . . *a*b aliquo directi iuris emp-
tore . . . . *Gallieno* V. et Faustino conss. (262)
. . . *n*ecessitatibus urguentibus pater
. . . *u*iuis parentibus placuit
. . . familia longa aetate
. . . e . PF. [d] urbi. uc. PP.II. kal.
. . . conss.
. . . m Fortunatum militem
. . . e controuersia moueri consti-
. . . *i*pso Aug. III. consule [1] .

a Num scribendum *eius iussione*? *ius* enim unum fortasse ab altero absorbetur. b Nempe *proposita*. c Cod. u, linea superposita. Ergo *uen* aut *uel*. d *Praefecto*?

1 Unius interdum consulis nomen in subscriptionibus fuisse expressum, siue sponte siue librariorum socordia obseruauit Zirardinius in praeclaro commentario ad nouellas aliquot leges p. 255. sqq.

. . . uendendarum possessionum
. . . . i neque alienare eas, neque
. . . *A*gricola et Clementino conss. (230)
. . . *S*abiniani non oportuit post interpo-
. . . cari praeponere igitur procurator
. . . rationis meae possessiones
. . . . ium nec emptor ignora-
. . . . *o*rdine audietur. PP. kal.
. . . [a]
. . . *p*osita in possessione fuisti
. . . eiectus inueniris, is erit
. . . .nc. pro sua aequitate ad effec-
tum . . . . *Au*reliano [1] et Basso conss. (271)
. . . *kar*issime nobis. Tenes tu quidem
. . . *iucun*dissime et lites dirimis
. . . . .um statutis tuis non cu-
. . . . e incipient discedere
. . . . uersum euentum sae-
. . . . litigabatur insidunt par-
. . . u et interpretationem diuersam
. . est non censui quasi uero in ea * || * Q. VI.

. . .

aditus conpetens iudex [b], considerato tutelae iudicio, eam curabit ferre sententiam, | quam agnitam legibus esse prouiderit. PP. IIII. kal. sept. Constantino et Licinio | Augg. II. conss. (312) P. 58. b.

Augg. et Caess. Rutiliae Primae. Inge|nuos progenitos seruitutis adfligi dispendiis minime oportere etiam nostri tem|poris tranquillitate sancitur: nec sub obtentu initae uenditionis inlicite [c] | decet ingenuitatem infringi. Quare iudicem conpetentem adire par est, qui in libe|rali causa ea faciet conpleri quae in huiuscemodi contentionibus ordinari consuerunt, secundum | iudiciariam disciplinam partibus audientiam praebiturus. PP. idib. aug. Romae, | Constantino et Licinio Augg. IIII. conss. (315) |

Augg. et Caess. Fl. Aprillae. Cum profitearis te certa quan-

a Pars huius uersus scriptura uacat. b Similis occurrit locutio ex. gr. cod. iust. V. 25. 4. VII. 21. 1. c Cod. *inlicitae*, quae lectio ferri poterat.

1 Hinc confirmatur primum hunc esse, non secundum, Aureliani augusti consulatum.

titate mancipium ex san|guine [1] conparasse, cuius pretium te exsoluisse dicis et instrumentis esse firma|tum; hoc a nobis iam olim praescribtum est. Quod si uoluerit liberum suum legitimum [a] reciperare, | tunc in eius locum mancipium domino daret, aut pretium quo ualuisset numeraret. Etiam nunc si | a suis parentibus certo pretio conparasti, ius dominii te possidere existimamus. | Nullum autem ex gentilibus [2] liberum adprobari licet. Suscripta [b] XII. kal. augg. [c] | Constantino Aug. III. conss. [d] (313) |

Aug. et Caess. Nulla uerecundiae uel quietis mora uel quolibet interuallo cunc|tandi passim, nunc singuli, modo populi, proruentes in nostros inobtutus [e], | sic uniformes [f] querellas idem [g] fere sermocinationibus uolutarunt, ut nec | interpellantium credulitati ualeret occurri, nec allegationum qualitas dis|parari, parens karissime atque amantissime [h]. Pari [i] siquidem exemplo uociferationibus consules, multitudi|nes memorabunt [k], non iuste [l] res suas esse diuenditas; aliis possidentibus se fis|calia luere: frequenti denique obsecratione delata remedium cupiuerunt. | His sumus ualde permoti, uerentes, ne alicuius calliditatibus aduersabili emo|lumento persuasi res suas uenderent sine censu [3], ac post subsidia nostrae man|suetudinis precarentur [m]; itaque uersutiis calliditatis | commenta miscentibus dum insuarum [n] fallentium non suspicamur ar|cana pro innocentiae nostrae natura ceteros aestimantes detrimento | census nocentis leuaremus. Has fraudes, hos dolos, istas argutias [o] | lege prohibemus [4], constitutione sex ludis [p]: et

a *Legitimum* superadditur. b Ita cod. Et sic etiam interdum in uetustiss. cod. concil. chalc. c Ita cod. quae lectio ferri potest propter pluratiuum numerum. d Ita cum duplici s heic et alibi, etsi unus consul nominatur. e Ita euidenter codex. Sed cod. theod. VIIII. 40. 17. *obtutus*. f Ita cod. 2. manu; at 1. *uniformem*. g Corr. *isdem*. h Cod. *p. k. atq. a. a.* Iamuero litteras *p. k. a. a.* explicandas esse *parens karissime atque amantissime*, prolixe admodum et doctissime demonstrauit Zirardinius op. cit. p. 518. sqq. et 498. sqq., contra scilicet nonnullorum sententiam qui *a. a.* explicauerant *augustorum*. Bene autem est quod in codice nostro ante *a. a.* scribitur *atq.* qua copula omnino exploditur interpretatio *augustorum*: quamquam adhuc locus esset explicationi *augustalis*, uti certe Probus intelligit *a. a.* Sed Zirardinii sententiam, quae alios quoque suffragatores habet, nemo, ut puto, non retinebit.
i Cod. *paris*, errore credo dictata audientis, ob s sequentem. k Ita p. 1. *aedes sacra* pro *aede sacra*.
k Num pro *memorabant*? l Cod. *iustae*. m Cod. *praecarentur* cum explicata diphthongo. n Ita euidenter codex. Num pro *insidiarum*? Sed enim *insuasum* apud Plautum truc. II. 2. 16. est *fumidum* uel *obscurum*. Confer Festum uoc. *insuasum* et *suasum*. An igitur etymologia *insuasum* diuersa est ab illa quam tradit postremo loco Festus, ita ut *insuasum* sit ab *insua*? o Cod. *argutitas*; tum ibidem altera t expuncta.
p Ita euidenter cod. Videtur autem corrigendum *excludimus*; nisi quis mauult *constitutiones ex ludis*.

1 Intellige infantem recens natum, aut filium a patre distractum. Confer autem cod. iust. IIII. 43. 2.

2 Nempe barbaris.

3 Cf. dig. L. 15, cod. theod. XI. 3. XIII. 10, et iust. IIII. 47. 2. XI. 57.

4 Hanc fortasse legem respicit Nazarius in fine panegyrici Constantino dicti: *nouae leges regendis moribus et frangendis uitiis constitutae. Veterum calumniosae ambages recisae captandae simplicitatis laqueos perdiderunt* etc.

idcirco iustae prouidentiae consul|ta deliberatione sancimus ut om-
32 nino qui conparat, rei conparatae ius cognos|cat et censum: neque liceat alicui rem sine censu conparare uel uendere. Inspectio P. 58. a.
autem publice [a] uel fiscalis esse debebit hac lege, ut si aliquid sine censu ue|nierit, et post ab aliquo deferretur [b], uenditor quidem possessionem, conparator uero id quod dedit pre|tium fisco uindicante deperdat. Id etiam uolumus omnibus intimari, nos|trae clementiae placuisse, neminem debere ad uenditionem rei cuiusli|bet adfectare et accedere nisi eo tempore, quom [c] inter uenditorem et emptorem | contractus sollemniter explicatur, certa et uera proprietas [d] uicinis praesentibus de|monstretur; usque eo legis istius cautione currente, ut etiamsi subsellia, uel, | ut uulgo aiunt, scamna [e], uendantur, hostendendae proprietatis probatio | conpletur [f]. Hinc [g] etenim iurgia multa nascuntur, hinc proprietatis iura te|merantur, hinc dominiis uetustissimis molestia conparatur, cum caecitate | praepropera, et rei inquisitione [h] neclecta [i], luce ueritatis omissa, nec perpetuitate | cogitata dominii, iuris ratione postposita, ad rei conparationem accedunt, omissis omnibus, dissimulatis adque neclectis, id properant adque festinant | ut quo quo modo cuniculis nescio quibus inter emptorem et uenditorem sollemnia cele|brentur: cum longe sit melius, sicuti diximus, ut lucem ueritatis, fidei | testimonio, publica uoce, subclamationibus populi, idoneus uenditor | adprobet [k], quo sic felix conparator adque securus aeuo diuturno persistat: quod pro quiete | totius successionis eloquimur, ne forte aliquis uenditor suum esse dicat quod | esse constat alienum. Ita conparator, malo uenditore deterior, incautus et | credulus, cum testificantibus uicinis omnia debeat quaerere, ab uniuersorum | disquisitione dissimulet, quoniam sic oporteat agere ut nec illud debeat requiri quod ex iu|re dicitur, si a domino [l] res uendita sit. Ita ergo uenditionum omnium est tractan|da sollemnitas, ut fallax illa et fraudulenta uenditio

a Cod. *publicae*. b Malim *deferetur*. c Ita cod. *quom*, lineola superposita. Qom quidem apud Petrum diac. significat *quomodo*. Ego heic malim *quo*. d Cod. *proprinetas*, haud semel, sed non semper. e Notemus uocabulum illa aetate subrusticum, quum tamen sit classicum. f Ita cod. g Cod. *hunc*, sed paulo post *hinc*. h Cod. *inquisitio*, absorpto *ne* a sequente simili. i Ita cod. contra Curtii grammatici praeceptum in Putsch. p. 2290; quod tamen ipsum declarat, antiquam esse scripturam eiusmodi, siue recta sit siue mendosa. k Cod. *adprobetur*. Nempe pro *ur* est in codice de more apex quidam curuus. Hanc si lectionem retines, dic supra *luce* pro *lucem*. l Cod. *si ad omnino*.

paenitus sepulta | depereat. Cui legi deinceps cuncti parere debebunt, ut omnia diligenti | circumspectione quaesita per uniuersas successiones tuto decurrant; neque | aliquem ex inprouidentia casum [a] malignae captiones obruant [b]. Dat. [c] IIII. | kal. sept. ap. FF. [d] ad correctorem Piceni Aquileia. Accepta XIIII. kal. oct. | Albae [1], Constantino Aug. III. conss. (313) |

Augg. et Caess. Basso. Ualentinus perfidiam et [e] maxime queritur, quia de | illo [f] a tutore processit, a quo aliquid in fortunas suas perniciosissimum profi|cisci minime omnium decebat. Exuperantius .uc. si tantum auun|culus Ualentino esset, nequaquam in Ualentinum peccare deberet, qui non ||| . . .

. . .

P. 63. b. uidelicet acta non donum quam . . .
fiduciam sibi esse seruatam . . .
obnoxia conparator acced . . .
num proinde posthac saltim . . .
fraudesque talia dissemina . . .
centur nullus aditus fictis . . .
dolis relinquatur ingenui . . .
ad prouincialium preces dudum [g] est con . . .
satis facere uel nollent pub . . .
summa releuaret iam nunc i . . . . *per*-
spicue lege sancire ut quaecumque . . .
fiscalibus debitis luxu ac ne*quitia* . . .
fundis atque mancipiis uel in quibus . . .
auctore uendantur et ut perpetu . . .
cem sub hastae sollemni*tate* . . .
in his utitur uenditoris quae ob d . . .
gi uel permissu iudicum distr . . .
emolumenta malle quam debita . . .
penes perditos maneant sib . . .
nere contractum tergiuersationum . . .
interpretationis insidias pertimes . . .
talis accesserit ignauorum . . .

a Nempe pro *lapsum*; *b* Cod. uidetur *errant*. *c* Scilicet *data*. *d* Num explicandam *apud fiscum frumentarium*? *e* Num pro *eo*? *f* Ita cod. *g* Ita emendatur in cod. quum prius fuisset *dudum*.

1 Albae Piceni meminit Procopius goth. II. 7. p. 120 appellatur albensis in Piceno ager. Tum in corpore agrimensorum ed. Goes.

dixit [a] umquam quo fisco facta uenditio est . . .
hiis quae contra utilitatem prouision . . .
magisque obreptiui praerogati . . .
latur cum haec sit commissa se c . .
adque luxuriam ferre debem*us* . . .
lucana saepius uina rede . . .
per somnum et gulam atque la*sciuiam* . . .
alienare uelle nec posse defend*i* . . .
mus est ita status debet esse fe . . .
concedit qui et in satisfactio ‖ . . .
. . . nitas nisi forsitan hi copiam P. 61. a.
. . . que repetendi cum in praeteritum
. . . uis omnium rerum multis ex
. . . do aliquid eorum pro fiscalibus debi-
tis . . . . *facu*ltas in omnem intercipiatur aetatem
. . . o res obnoxiae necessitatibus
. . . pius respexere leges, quia paren-
. . . ut desidia mereri posse secre-
. . . IIII. id. nou. Treu. Acc. [b]
. . *Ualentiniano* nobilissimo puero et Uictore conss. (369)
. . . P [c] R. PU. Lug. prim. [d] Modesto et Ha-
rintheo conss. (372)
. . . bus tantum praedii rustici sit interdicta
. . . nullum debitum doceatur haec
. . . supplicans Eugrafius memo-
. . . ad speciem fuerit ementitum
. . . a res gesta probatur, ut precibus continetur
. . . fuisse suggerit, Fauste karissime, aes-
tima . . . . rem sit an in rem eius uersum
. . . si res minori profuisse potuerit
. . .
. . *em*ptio et uenditio bonae fidei auctori-
. . . plic. memorant raptis adque
. . . t terroris iniectum ut ei casula

a In cod. est tantum *d*, linea traiecta, qua nota significatur alibi *dixit*, tam etiam *diuus* aut *deus*. Tamen heic dubitabam num potius linea traiecta fuerit ob delendam litteram. *b* Nempe *Treueris*. *Accepta* etc. Confer. p. 8. v. 5. *c* Pro *P* uideor mihi cernere reliquias litterae *R*. Sed quid significarent heic duae *R*? *d* Nempe *praesidi prouinciae lugdunensis primae*, ad quem datur lex Constantiui cod. theod. XI. 3. 1.

. . . scinderet uitesque inspectori
. . . bonam fidem gestam in possessionis
. . *a*uxilium iure congruum ita faciat
. . . a aestimet. Dat. prid. non.

. . .

. . . te patris, ut Maximus adserit
. . . conparata omnium heredum conmu-
. . . suam quoque consortes obtineant |||

F.88.b. ... Diocletianus et Ma‖x. Constantius Tannoniae Iuliae. Usumfructum locari | et uenundari posse a | fructuario, nulli dubium est. Proinde, si uendente filio tuo | possessionem, etiam tu cert|o| pretio usu fructu proprio cessisti, quem testamento mariti tui relictum | esse proponis [1], quandoquidem em|p|torem contractus fidem commemores minime custodire, aditus | Aelius Dionisius [a] .uc. amicus ‖ noster [b] id tibi faciet repraesentari quod te constiterit iure deposcere. | PP. VI. id. mart. Carthagini [c], Fausto II. et Gallo conss. (298) | F.87.b.

Aurelio Loreo, cui et ‖| Enucentrio. Fructuario superstite, licet dominus proprietatis rebus humanis e‖xhimatur [d], ius utendi fruendi non tollitur. Subscripta V. id. feb. Sirmi, A‖ug. [e] V. et IIII. conss. (293)

Cl. Theodoto. Habitat|io morte finitur; nec proprietatem ea, quae habitationem | habuit, legundo [f] per ui|n|dicationem uel debitum negandum testamento, creditoris | actionem excludit. Su|b|scripta ·IIII· kal. oct. Uiminaci Caess. conss. (294)

. . . [2] lib. II. R. Aur. Felici. Fr|uctus ex fundo per uindicationem pure relicto post aditam | hereditatem a legatar|io perceptos, ad ipsum pertinere. Colonum autem cum herede ex | conducto habere actione|m|.

Paul. lib. II. Manualium ex tribus. Tametsi usus|fructus fundi mancipi n|on sit, tamen sine tutoris auctoritate alienare eum mulier non potest, cum aliter quam in iure ced|endo id facere non possit; nec in iure cessio sine tutoris | auctoritate fieri possit. I‖demque est in seruitutibus praediorum urbanorum.

Idem lib. I. Manualium. ‖ Actio de suo fructu [g] hisdem modis perit quibus ipse usus|fructus, praeterquam non utendo. ‖ Pecuniae quoque usus fructus legatus per annum non | utendo, quia

a Ita cod. *i* pro *y*. b Cod. *a. n*, imposita *o* super *n*. c Ita cod. d Ita cod. e Ita cod. pro *Augg*. f Ita cod. pro *legando*, ut est in cod. Iust. III. 33. 11. g Ita cod. Sed corrige *usufructu*.

1 Cf. dig. XXXII. 2. 2 Papinianus? an Neratius?

nec usus fruc‖tus est, et pecuniae dominium fructuarii, non heredis, est.

Item. Per mancipationem ded|u|ci ususfructus potest, non etiam transferri. Per " do lego " | legatum, et per in iure ce‖ssionem et deduci et dari potest. Item potest constitui, et factum ‖ est [a], uel communi diuidundo iudicio legitimo. | In re nec mancipi per traditi‖onem deduci ususfructus non potest, nec in homine si peregri|no tradatur. Ciuili enim action|e| constitui potest, non traditione, quae iuris gentium est.

Item. Ad certum tempus e‖t in iure cedi, et legari, et officio iudicis constitui potest. |

Item. Ex certo tempore l‖egari possit an in iure cedi uel an adiudicari possit, ua|riatur. Uideamus ne non pos‖sit; quia nulla legis actio prodita est de futuro. |

Item. In mancipatione uel i‖n iure cessione an deduci possit uel ex tempore uel ad tempus, uel ex condicione, ‖ uel ad condicionem, dubium est: quem ad modum [b], nisi [c] is,
P. 87. a. cui in iure ceditur [d], ‖| dicit, " aio hunc fundum meum esse de- P. 88. a.
ducto usufru|c|tu ex kal. ian. "; uel, " deducto usufructu usque ad kal. ian. decimas ": uel, " aio hunc fu|n|dum meum esse deducto usufructu, si nauis ex Asia uenerit ": item in mancip|a|tione: " emptus mihi est pretio, | deducto usufructu, ex kal. illis usque ad kal. illas ": |e|t eadem sunt in condicione. | Pomponius igitur putat non posse ad certum tempus deduci, nec per |i|n iure cessionem, nec per mancipationem, sed tantum transferri ipsum posse. E|go didici, et deduci ad | tempus posse; quia et mancipationem, et in iure cessionem ‖ lex ·XII· tabularum confirmant [e] |. Numquid ergo et ex tempore et condicione deduci pos|s|it? sequitur ut et legatum de|duci ad certum tempus possit. ‖

Adquiri nobis potest ususfructus et per eos quos in po|t|estate manu mancipione habemus [1]: sed non omnibus modis, sed legato, uel si |here|dibus illis institutis deducto usufructu proprietas legetur. Per in iure cessi‖onem autem uel iudicio familiae herciscun-

a Pro *et factum est* uidetur scribendum *familiae herciscundae*. b Cod. *q. a. m*, totidem lineolis superimpositis. c Videtur corrigendum *si*. d Haec pagina habet uersus tantum XXXI. e Ita cod.

1 Confer Caium apud dig. VII. 1. 6.

dae non posse : uel [a] mancipationem ita potest , |u|t nos proprietatem quae | illis mancipio data [b] , deducto usufructu , remancipemu|s . |

Ususfructus ad certum tempus constitutum cum || adiectione temporis | sui dari debere [c] . Diuersum est si in statu libero const||itutus sit . Tunc enim iure [d] uin|dicandus est , sicut pure uindicatur qui simpliciter cons||titutus est non adiectis | casibus , quia [e] solet amitti ususfructus .

Ite|m| . Si altius tollendo aget | is qui in infinitum tollendi ius non habet , si non expre||sserit modum , plus pe|tendo causa cadit , quasi intenderit ius sibi esse i|n| infinitum tollere | .

Sicut legato usufructu loci sine seruitu||te , iter quoque per loca testatoris | debetur, ita in iure cessio [f] iter quoque contineri Neratiu||s scribit . |

Usus fructus sine persona esse non potest : et ideo seruu||s hereditarius inutiliter usum | fructum stipulatur . Legari autem ei posse dicitur , quia dies e||ius non cedit statim ; stipulatio autem pura suspendi non potest . Quid ergo , si sub condicione s||tipuletur ? uideamus ne | nec hoc casu ualeat, quam [g] ex praesenti uires accipit sti||ulatio , quamuis petitio ex ea | suspensa sit .

Item . Seruo uia inutiliter leg||atur ; stipulatur autem eam utiliter , | si dominus fundum habeat .

Usus fructus " do lego „ seruo legatus , m|o|rte et alienatione serui perit : si stipulatur, non perit . Igitur et post mortem suam, sic||ut cetera , usum fructum | seruus stipulari potest ; quod aliter est in legatis .

Si heres fundi , cuius usus fructus ab ips||o sub condicione
legatus ||| sit , usum fructum legau*erit* . . . . *existen-* P. 91. v.
te ea desinit ad posteriorem pertin*ere* . . .
desierit habere usum fructum . . .
Item . Ac siquis usumfructum . . .
si ea nupserit , nubente ea . . .
deinde amittet . si iurauer*it* . . . . *le-*
gis enim beneficium quaten*us* . . , ... *Uidea-*
mus , quid dicendum sit , si Titius . . . . . . *capite demi-*

a An *per* ? b Supple *sit* uel corrige *datus* . c Dic uel *usufructus* etc. *constitutus debet* ; uel *usum fructum* etc. Nisi potius heic *usufructus* usurpatur pluraliter . d An *pure* ? e Corrige *quibus* . f Corr. *cessio* . g Corr. *quia* . In cod. Frontonis saepe est mendum *quam* pro *quom* .

nutus sit . Nihil enim habuit quod amit*teret* . . . . . . *Titio* ac si id ipsum testator expre*sserit* . . . . *legauerit* Maeuiae , deinde Titio . . .

Ulp. lib. XVII. ad Sabinum . Ue . . . cedere . Quamquam [1] usufructus *ex fruendo consistat* , *id est facto aliquo eius* , *qui fructibus* | utitur , tamen ei semel cedit d*ies* . |

Item . Dies [2] autem usufructus , ut *usus* , *non prius cedet* , *quam adita heredi*|tate . Et Labeo quidem putabat , etiam a*nte aditam hereditatem cedere diem ususfructus* , *sicuti ceterorum* | legatorum . Sed est uerior Iul*iani sententia* , *in usufructu diuersam esse rationem* . *Tunc enim constituitur* | ususfructus , cum quis iam *frui potest* . |

Item . Amitti [3] autem usumfructum *kaptitis minutione constat* : *nec solum usum*|fructum sed etiam actionem de usuf*ructu* . . . uel per fideicommissum lego . . . . *Et parui* refert , utrum iure sit constitut*us ususfructus* , *an uero tuitione praetoris* : *proinde* . . . | licet in fundo stipendiar*io* . . . . . *non* | iure constitutus , kapitis min*utione amittitur* . . . *kapitis* | minutio extinguit usum*fructum* . |

Item . Sed [4] ita demum amitt*itur kapitis diminutione ususfructus* , *si iam constitutus est* : *ce*|terum , si ante *aditam h*ereditatem , aut ante d*iem cedentem quis kapite minutus est* , *constat non* | amitti . Et ita Iulianus lib. *XXXV*. *dig*. *scribit* . . . *per damna*tionem fuit ex die legatus . . . diminutio . Hodie enim incip*it* . . .

Item . Usque [5] adeo autem kapitis d*iminutio eum demum*
32 *usufructum perimit* , | qui iam constitutus est , ut si in *singulos annos legatus sit* , *is demum amittitur* , *qui iam processit* . |||

P. 98, 2. *Item* . *Sicut* [6] *in annos singulos usufructus legari potest* , *ita* nec capitis [a] diminutione amis|*sus legari possit* ? *ut adiciatur* : " *quotiensque capite mi*nutus erit " , uel sic : " quotiens amis|*sus erit ususfructus* , *ei do lego* " : *et nunc si capitis di-*

[a] Ita heic cod. per c, non k.

1 Extat dig. VII. 3. 1. pr.
2 Ibid. §. 2.
3 Dig. VII. 4. 1. pr.
4 Ibid. §. 1.
5 Ibid. §. 3.
6 Dig. VII. 4. 3. pr.

*mi*nutione amittatur, repetitus | *uidebitur* .... norum ante aditam hereditatem . . .

. . . .

. . . . . . netur. |

Papinianus lib. VII. Responsorum [1]. *Equis per fideicommissum legatis, post* moram faetus quoque praestabitur: sed faetus | *secundus* . . .

. . . si gregem reliquit, uel more actio
. . . relictum sequatur. |
. . . um usufructu legato. Ulp.
. . . usumfructum posse lega-
ri . . . .

. . . *adc*rescendum, ut ne cuius-
. . . m summam igitur patientiam eam
. . . a te ususfructus caperet cete-
. . . in ea, aut in re noua omnes
. . . fructum. Sed in ueteribus [a] rebus
. . . *dise*rte ibi scribtum est. Uerendum
. . . . ae. |

. . . ter non recipit hanc quaestionem, quia et di
. . . sit. Et ueteres quidem aestiman-
. . . *ita* constituendum quantum sit in
. . . cessit; ait enim posse quartam ex eo
. . . us probat. |

Item. Lucius Titius testamento suo ita cauit: do lego eidem Seiae uxor*i meae* ... us mihi pro parte heres est, usum*fructum* ... cum in diem quo legitimae aeta*tis erit* . . . *q*uem exigi ueto; ita tamen ut ab ea . . . et studiis liberalibus insti . . . *fideicommissaria* praeter uxorem de . . . . toris non debere conpelli ad satis ||| *dationem* . . . [b]

. . .

Item. Si fundi ususfructus fuerit legatus [2], *et sit ager, unde palo in fundum, cuius ususfructus legatus est, solebat paterfamilias uti, uel salice, uel arundine: puto* ||| fructuarium P. 98. aa. (c)

[a] Cod. *ceteribus*. Num pro *ceteris*? [b] Paginae 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. quaternionis XV deperditae sunt. [c] Nimirum hoc folium constat quatuor laterculis diffisis, id est 98. a. b; iterum 98. a. b.

[1] Dig. XXII. 1. 8.

[2] Dig. VII. 1. 9. §. 7.

actenus [a] *uti posse, ne ex eo uendat; nisi forte salicti ei, uel siluae pala*|ris uel arundineti usus fructus *sit legatus: tunc enim et uendere potest. Nam et Trebatius scribit*, | siluam caeduam posse *fructuarium caedere, sicut paterfamilias caedebat*. | Item, ut arundinetum ...
alebat, non puto. Prohibetur . . . . *licet paterfamilias uendere* | non solebat, sed ipse uti: *ad modum enim referendum est, non ad quantitatem uten*|di. Cassius autem .... *Seminari* quoque usumfructum ita q . . .
tantum agri causa facta su*nt* . . . . *arbores*
demortuas ad fruc*tuarium pertinere* . . .
ceteraeque materiae . . .
secuntur numquid . . . . *ad proprie*tarium spectet ut . . .
Trebatius autem sim*pliciter* . . .
esse eas fructuarii . . .
fructuarium adm . . .

Item. Ex [1] *silua caedua* | usque ad usum suum *et uillae posse usufructuarium ferre; nec materia cum pro ligno usurum, si* | habeat, unde utatur li*gno, Labeo ait: idemque esse in arboribus euulsis, uel ui uentorum* | etiam deiectis. Puto tamen . . .
casum passus, om*nes arbores auferret fructuarius*. | Materiam tamen ipse *succidere, quantum ad uillae refectionem, poterit: quemadmodum Ne*|ratius lib. III. mem*branarum ait, calcem coquere, uel harenam fodere, aliudue* | quid aedificio necess*arium sumere eum posse* . . .
. . .
apud Labeonem agit a . . .
pertinere: quamuis Proculus non . . .
. . .

Nunc [2] uidendum, si *serui usus fructus sit legatus*. | legato, quidquid is ex opera *sua adquirit, uel ex re fructuarii, siue manci*|pium accipiat, siue stip*uletur, siue . . . siue ei possessio fuerit tradita. lega*|tario adquirit. Et si here*s institutus sit, uel*

a Ita cod. sine adspiratione.

1 Dig. VII. 1. 12.

2 Dig. VII. 1. 21.

legatum acceperit, poterit . . . |
32 quaeri; quamuis Labeo distinguat, *cuius gratia uel heres instituitur uel legatum acceperit* |||
. . . ne fructuario adquirit P. 98 b. b
*fruct*uario. Iulianus [a] XXXV
dig. . . . . ationem ei *p*arere.
. . . *ad fructu*arium pertinere. Sciendum
. . . quae castigationem fruc-
. . . *iu*ris ciuilis scribit, ita ut neque
. . . *haren*ae gladiatoriae ei usus
. . . nt conpetere posse. Ut uero pug-
. . . *I*dem *e*t Sabinus [1], quamuis nauis
*usufructu legato, nauigandum mittendam puta*t, licet naufragii peri|*culum immineat*; . . . . *n*aues enim ad hoc parantur, *ut nauigent* . . . |
. . . ndos et mancipia dona
. . . niente recepit stipu-
la . . . . *uten*di fruendique partis
. . . *in die*m uitae suae ex uo-
luntate . . . . a habuerit usque in
. . . os partis alterius adpro-
. . . Paterno conss. (233 *uel* 269)
Ulp. lib. XVII. ad Sabinum . . . . ex his aliqui mortuus
. . . . si per damnationem
. . . *l*egauerit liberis mor-
tuis . . .

Item. Quotiens [2] *ususfructus legatus est, inter fructua*rios [b] ius adcrescendi. Sed . . .
. . . . in do lego legato m [c] | . . .
*Ceterum si separatim usu*s*fruct*us sit relictus, sine du*bio ius adcrescendi cessat. Denique apud Iulianum* | lib. XXXV dig. quaeritur, si | *communi seruo ususfructus sit relictus, et utri*que *ex domin*is adquisitus sit, an al*tero repudiante, uel amit-*

a Supple *lib.* b Supple *est*, ut in dig. c Ita in cod. *m*, duobus punctis (nisi forte est lineola) superimpositis. Num significat *modo*? an potius littera expungitur?

1 Ita in cod. Sed enim dig. VII. 1. 12. sic: *Ulpianus lib. XVII ad Sabinum. Nauis usufructu legato, nauigandum mittendam puto, licet* etc.

2 Dig. VII. 2. 1.

tente usumfructum, alter totum habeat? Et Iulianus quidem | *putat ad alterum pertinere: et licet dominis* ususfructus non aequis partibus, | *sed pro dominicis adquiratur, tamen persona eius, non do*minorum, inspecta, ad | *alterum ex dominis pertinere, non proprietati acce*dere. ||| Idem ait [1], etsi communi seruo et separatim Titio ususfructus legatus sit, amis|sam partem ususfructus non ad Titium, sed ad solum socium pertinere debere, | quasi solum coniunctum: quam sententiam neque Marcellus neque Mauricianus probat. | Papinianus quoque lib. XVII quaestionum ab ea recedit; quae sententia Nerati fuit e libro I Responsorum relata [a]. | Sed puto esse ueram Iuliani sententiam; nam quamdiu uel unus utitur, potest dici usumfructum | in suo esse statu. Pomponius autem [b] libro VII ex Plautio, relata Iuliani sententia, quosdam esse | in diuersam opinionem [c] ait; nec enim magis socio debere adcrescere quam debere | ei, qui fundi habens usumfructum, partem ususfructus proprietario cessit, uel non utendo | amisit. Ego autem Iuliani sententiam non ratione adcrescendi probandam puto, sed eo quod quamdiu seruus est, cuius persona in legato spectatur, non debet perire portio. | Urgetur tamen Iuliani sententia argumentis Pomponi; quamquam Sabinus responderit ut et Celsus. |

P. 85. b.

Iulianus [d] lib. XVIIII. dig. refert, eum qui partem ususfructus in iure cessit, et | amittere partem et ipso momento recipere: quam sententiam ipse ut stolidam repraehen|dit; etenim esse incogitabile | eandem esse causam cuique et amittendi et recipiendi. |

Iulianus scribit: Si seruo communi et Titio ususfructus legetur, et unus ex | dominis amiserit usumfructum, non adcrescere Titio, sed soli socio: quemadmodum fieret si duobus | coniunctim et alteri separatim esset relictus. Sed qui diuersam sententiam probant quid dice|rent? utrum extraneo soli, an etiam socio adcrescere? Et qui Iulianum consuluit, | ita consuluit, an ad utrum pertineat, quasi possit et ipsi socio adcrescere. Adquin | quod

a Cod. *relatum*. b Cod. *ait* pro *autem*. c Scribe sextum casum, ut est in uersu 31. d Immo uidetur omittendum nomen *Iulianus*, et continuanda sententia sic: *ut et Celsus lib. XVIIII. dig. refert*. Nam respse non Iulianus sed Celsus libro illo de usufructu egit. Facilis autem fuit lapsus librarii propter saepe infra occurrentem Iulianum.

1 Dig. VII. 2. 1. §. 2.

quis amittit, secundum Pomponi sententiam ipsi non accedit. |

Interdum [1] tamen, etsi non sint coniuncti, tamen ususfructus legatus alteri adcrescit: ut puta, | si mihi fundi ususfructus separatim totius et tibi similiter fuerit ususfructus relictus. | Nam, ut Celsus lib. XVIII dig. et Iulianus lib. XXXV scribit [a], concursu partes habe|mus, quod et in proprietate contingeret: nam altero repudiante, alter totum | fundum haberet; sed in usufructu hoc plus est (contra quam Atilicinum respondisse | Aufidius chius refert) quod et constitutus nihilominus amissus ius adcrescendi a|mittit. Omnes enim auctores apud Plautium de hoc consenserunt, ut et Celsus | et Iulianus eleganter aiunt [b]: ususfructus cotidie constituitur et legatur, non, ut pro|prietas, eo solo tempore quo uindicatur. Cum primum itaque non inueniet alterum | qui sibi concurrat, solus utetur totum. Uindius tamen, dum consulit Iulianum, in ea | opinione est, ut putet non alias ius adcrescendi esse, quam in coniunctis; qui responso | ait: nihil refert, coniunctim an separatim relinquatur. ||

Iulianus lib. XXXV scribit [2], si duobus heredibus institutis, deducto usufructu proprie|tas legetur, ius adcrescendi heredes non habere: nam uideri usumfructum constitutum, non per| concursum diuisum. P.85.1.

Neratius [3] putat cessare ius adcrescendi | lib. I. R., cuius sententiae congruit ratio Celsi dicentis, totiens ius adcrescendi esse, quo|tiens in duobus, qui solidum habuerunt | concursu diuisus est. |

Unde Celsus [4] lib. XVIII. Si duo fundi domini deducto usufructu proprietatem man|cipauerint, uter eorum amiserit usumfructum, ad proprietatem redire: sed non to|tam, sed cuiusque usumfructum ei parti accedere quam ipse mancipauit: ad eam enim partem | redire debet, a qua initio diuisus est. Plane, inquid [c], si partem ususfructus habeat, et | ego totam proprietatem cum partis usufructu, non posse me meam partem tibi

a Cod. *scr.* In dig. autem habemus *scribit*, non *scribunt*. b Cod. *adiunt*. c Ita cod.

1 Dig. VII. 2. 1. §. 3.
2 Ibid. §. 4.
3 Dig. VII. 2. 3. pr.
4 Ibid. §. 1.

man|cipare, quae est sine usufructu, quoniam nullam partem habeo, in qua non est tibi ususfructus. |

Papinianus quoque libro XVIII quaestionum sententiam Nerati probat, quae non est sine ratione. |

Poterit, quaeri: si duobus seruis heredibus institutis deducto usufructu proprietas sit le|gata, an altero defuncto, ususfructus proprietati adcrescat? Nam illud constat, ut et Iulianus lib. XXXV scribit, et Pomponius lib. VII ex Plautio non reprobat, | si duobus seruis meis ususfructus legetur, et alter decesserit, cum per utrumque quaesissem usumfructum, ius || adcrescendi me habere; cum si alterius nomine repudiassem, alterius quaesis|sem, haberem quidem usumfructum totum iure adcrescendi, sed ex solius persona amitte|rem. In proposito autem, siquidem pure fundus non ex persona serui. Et ita Iulianus quoque lib. | XXXV dig. scribit: quamuis Scaeuola apud Marcellum dubitans notet. | Ad [a] si sub condicione sit legatus, potius ex persona domini constitui usumfructum Mar|cellus lib. XIII dig. scribit; ubi Scaeuola notat; quid si pure [b]? Sed dubitare non debuit, | cum et Iulianus scribat, ex persona serui constitui, secundum quae ius adcrescendi locum habere | in duobus seruis, siquis contrariam sententiam probaret. Sed nunc secundum Iuliani sententiam et Nerati cessat quaestio. |

Non [1] solum autem, si duobus do lego ususfructus legetur, erit ius adcrescendi, uerum si alteri ususfructus, alteri | proprietas; nam amittente usumfructum [c] altero cui erat legatus, magis iure adcrescendi ad | alterum pertinet quam redit ad proprietatem. Nec nouum: nam etsi duobus ususfructus legetur, et apud alterum sit consolidatus, ius adcrescendi non pe|rit, nec ei ad quem consolidatus est, neque ab eo: et ipse quibus modis amittere [d] ante conso|lidationem, iisdem et nunc ipso quidem iure non amittet; sed praetor subsecutus exemplum | iuris ciuilis utilem actionem dabit fructuario: et ita Neratio et Aristoni | uidetur, et Pomponius probat. Quamquam Iulianus lib. XXXV dig. scribat, ipsi quidem ius adcrescendi ||| * . . . .

*Q.XV.

a Ita cod. pro *at*. b Cod. *purae*. c Cod. *usufructu*. d *Amitteret*?

1 Dig. VII. 3. 3. §. 2.

P.96.a. difficile est dicere. Quamquam non si|t longe, quod Marcellus lib. XII dig. scribit: si duobus pure Stichus | legetur, et alter manumitt|at, alter post manumissionem repudiet, ubi non fit caducum, | libertatem locum habere. Id||emque, et si [1] herede [a] deliberante legatario manumittat, | mox legatarius repud||iauerit: nam hoc casu liberum fore ait. | P.95.a.

Si tamen per damnationem || ususfructus legetur, ius adcrescendi cessat: non immerito, quoniam | damnatio partes faci|t. Proinde si rei alienae ususfructus legetur, et ex Neroniano | confirmatur legatum, sine du|bio dicendum est ius adcrescendi cessare, si modo | post constitutum usum fructum |f|uerit amissus. Quod si ante, et socius amittat, erit | danda totius petiti|o|. Idemque et si sinendi modo fuerit legatus ususfructus: | an tamen in Neronian||o, quoniam exemplum uindicationis sequimur, debeat | dici, utilem actionem am||isso usufructu ab altero alteri dandam, quaeri potest: et puto secundum Ne|ratium amittendum [b] ||. In fideicommisso autem id sequimur quod in damnatione. |

Nouissime, quod ait Sabinus, || si [2] uxori cum liberis ususfructus legetur, amissis liberis | eam habere, quale sit, || uidendum: et siquidem do lego legetur, tametsi quis filios | legatarios acceperit, si||ne dubio locum habebit propter ius adcrescendi. Sed si legatarii | non fuerint, multo magis ||, quoniam partem ei non fecerunt, tametsi cum ea uterentur. | Matre autem mortua, si || quidem legatari fuerunt, soli habebunt iure adcrescen|di: si heredes, non iure adcres||cendi, sed iure dominii: si fundus eorum est, ipsis ad|crescit: sin minus, do||mino proprietatis. Sed si nec heredes fuerunt, nec legatarii, nihil ha|bebunt.

Quod si || per damnationem fuerit ususfructus legatus matri, siquidem | legatarii sunt fili, partes || sunt: si non sunt, sola mater legataria est, nec mortalitas liberorum | partem ei facit. Sabinus c|erte uerbis istis non hostendit, utrum legatarii fuerint, | nec ne. Sed Iulianus lib. XXXV || dig. relata Sabini scriptura, ait

a Corr. *heres*. a Corr. *admittendum*.

1 Dig. XL. 1. 2. 2 Dig. VII. 2. 8.

intellegendum, eum, | qui solos liberos heredes || scribit, non ut legatariorum fecisse mentionem, sed ut ho|stenderet magis ma||trem ita se uelle frui, ut liberos secum habeat: alio|quin inquit in damnatio||ne ratio non permittebat ius adcrescendi. Proposuit | autem Iulianus uel do lego || legatum usumfructum, uel per damnationem: et sic sen|sit, quasi legatarii sin|t et heredes soli, in do lego legato non esse ius adcrescen|di. Adque si alteri ab al||tero legetur, quoniam a semet ipsis inutiliter legatum| est, sibi non concurrunt || ; matri uero non in totum concurrunt, sed alter pro alterius | portione: et || in eo dumtaxat ius adcrescendi erit, mater tamen aduersus | utrumque ius adcr||escendi habet. |||

P.95.b. Iulianus subicit Sextum quoque, et Pomponium praeferr||e, P.96.b. si per damnationem ususfruc|tus, et liberis uxori [a] legetur, singulare hoc esse, adque || ideo fili personam matri | accederet [b] nec esse legatarios, sed matre mortu||a liberos quasi heredes usumfructum | habituros. Ego, inquit Pomponius, quaero, quid si mixti f||uerint liberis extra|nei heredes? Ait, et filios pro legatariis habendos, et mortui partem interituram: Aristonem autem adnotare haec uera esse: et || sunt uera. |

Ulp. ad Sabinum lib. XVI [1]. De illo Pomponius dubitat: si fugiti||uus, in quo ususfructus meus est, stipuletur [c] aliquid, uel mancipium accipiat; an per hoc ipsum quasi [d] || retineam usumfructum, magisque | admittit retineri. Nam saepe etiamsi praesentibus seruis || non utamur, tamen usumfructum | retinemus, ut puta aegrotante [e] seruo, infante, cu|ius operae nullae sunt, | uel defectae senectutis homine [f]. Nam et si agru||m aremus, licet tam | sterilis sit, ut nullus fructus nascatur, retinem||us eum. Iulianus tamen lib. XXXV | dig. scribit, etiamsi non stipuletur quis seruus fugitiuus in||tra annum mancipioque | accipiat, tamen retineri usumfructum. Nam in qua ratione, i||nquit, retinetur a proprietatis | domino possessio, etiamsi in fuga seruus sit, pari ratio||ne etiam ususfructus non amittitur. |

. . . lib. I de interdictis, sub titulo: " in eum qui legatoru||m nomine, non uoluntate | eius, cui bonorum possessio data

a Corr. *uxoris*. b Corr. *accedere*. c Cod. *stipulet*. d Cod. *q. s.*, lineolis superductis. Excidit autem *utar*, librarii incuria. e Cod. *egrotante*. f Cod. *hominem*.

1 Dig. VII. 1. 12. §. 3. ex lib. XVII.

erit, possidebit „. Si usufructu legato [1] legat|arius fundum nanctus | sit |, conpetit interdictum aduersus eum, quia non possidet leg|a|tum, sed po|tius fruitur inde. | Et interdictum " uti possidetis „ utile hoc nomine proponitur. U|nde ui, quia non possidet, utile | . . . tali concipiendum est : " quod de his bonis legati no||mine possides, quodque uteris | frueris, quodque dolo malo fecisti, quominus possidens u|tereris fruereris „. Cetera [a]. |

Idem lib. II de interdictis, sub titulo : " si uti frui prohi|-bitus esse dicetur, non is, ad quem | ea res pertinet „ . . . . legatum est, qui utendi f|ruendi causa, cum ususfructus ad | eum pertineret, missus in qua re sit, possidere eam uidetur, et || ob it [b], qui utifrui prohibitus, | proprie deiectus dici non potest. Ideo specialiter hoc interdictum || eo casu desiderari . . |

Idem lib. IIII de interdictis, sub titulo : " a quo ususfructus petetur, || si rem nolit defende|re „. Sicut corpora uindicanti, ita et ius, satisdari oport||et ; et ideo necessario exemplum interdicti : " quem fundum „ proponi etiam interdict|*o*| " que*m* usumfructum uindicare | uelit „ de restituendo usufructu. |

Post pauca, sub titulo suprascripto. Restitutus ex hoc interdicto || ususfructus intellegitur, cum | petitor in fundum admissus, sine periculo interdicti u||nde ui ad eam rem propo|siti, depelli non potest. Idem Paedius ait [c], diuersam causam || esse possessionis, cum ille qui posses||*or est* . . .

a Ita cod. pro *et cetera*. b Ita cod. pro *id*.

1 Cf. Ulpianum dig. XLIII. 1. §. 8.

DE RE UXORIA

AC DOTIBUS.

. . . *Paulus lib. VII Responsorum . Fundus*[1] *aestimatus in dotem datus , a creditore antecedente ex causa pignoris* P. 94. a. *uel* ||| fiduciae ablatus est ; quaero an mulier , si aestimationem dotis repetat , ex|ceptione submouenda sit ? ait enim se propterea non teneri , quod pater eius dotem pro se dedit , | cui heres non extitit . P. respondit: pro [a] praedio euicto ; si [b] sine dolo et culpa uiri , pretium petenti [c] | doli mali exceptionem obesse ; quae tamen officio iudicis rei uxoriae continetur . | Poterit mulieri prodesse hoc , quod ait se patri heredem non extitisse , si conueniretur : am|plius autem et consequi eam pretium fundi euicti euidens iniquitas est , cum dolus pa|tris ipsi nocere debeat .

P. respondit : solam testationem dotis repeten|dae non sufficere ad moram doti factam , ut actio eius ad heredem transmittatur . |

Die[2] nuptiarum uirgini optulit munus , et duxit eam . Quaero de donatione . | P. respondit : si ante nuptias uxori futurae [d] sita . . a . . geniali traditus est , dona|tionem perfectam uideri . Quod si post nuptias donatio intercessit , tunc iure do|nationem inpedisse . Quoniam igitur die nuptiarum munus datum proponitur , facilius | in iudicio examinari posse tempus donationis et matrimonii . |

P. respondit : id quod dotis nomine marito datum est , si post mortem mariti nulla mora | intercessit , apud heredem mariti remanere oportere . |

P. respondit : stipulationem quidem in hunc casum conceptam : " cum moriar , dari ,, utilem esse etiam|si mi-

a In edd. recte omittitur *pro* . b In edd. omittitur *si* . c In edd. inseritur *mulieri* . d Cod. *future* .

1 Dig. XXIIII. 3. 49. §. 1. 2 Cf. Scaeuolam dig. XXIIII. 1. 66. §. 1.

xti [a] casus non interuenirent. Ut autem de dote sua, quam apud maritum habet, mu|lieri testari liceat, inutiliter conuenisse uideri. |

P. respondit: filiamfamilias ex dotis dictione obligari non potuisse. |

Mater pro filia partem dotis dedit, partem dixit. Filia in matrimonio decessit re|lictis filiis ex alio matrimonio. Quaero de iure dotis. P. respondit: eam quae data est, mortua in matrimo|nio muliere, apud uirum remansisse; eam quae dicta est a matre, repeti non posse. |

P. respondit: rebus non aestimatis in dotem datis, maritum culpam, non etiam periculum, praesta|re debere.

L. Titius, cum esset in patris potestate, absente eo, duxit| in matrimonium Septiciam filiamfamilias, cuius nomine dotem accepit a pa|tre. Postea superuenit pater, quo praesente dotauit [b] in diem mortis filii [c] matrimonium. Post|modum decessit L. Titius. Quaero, an ex eo, quod non contradixit pater, etiam dotis dationi consen|sisse uideatur; et ideo actione rei uxoriae filii nomine teneatur? P. respondit: patrem | etiam postea nuptiis consentientem, et matrimonium filii sui et dotem efficere; et id|eo ex persona filii rei uxoriae iudicio uulgari conueniri posse; in sua actione pe|culi quantitas deducitur. Tamen in proposito tutius fuit respondere, ex persona filii eum | conueniri posse, qui solus contraxerat: et si alias placeat, patrem quo consentiente filius || dotem accepit, rei uxoriae iudicio uulgari conueniri posse. | P. 91. b.

P. respondit: rei uxoriae titulo id solum peti posse quod in dotem datum est: ex donatione | autem non potest peti id, quod ante matrimonium in stipulatum deductum non est, saluo eo, | ut quaeratur utrum perfecta fuit donatio an non. |

P. respondit: dignitatem multorum ex honore matrimonii et augeri et minui solere. |

P. respondit: rebus in dotem datis, et manente matrimonio euictis, uiro aduersus uxorem ex empto conpetere actionem; et ideo eius quantitatis quae in aestimatio|nem deducta est, sextas retineri posse. |

[a] Ita omnino uidetur in cod. [b] Cod. *dotauit*. Iam littera u pro o non est insolita in antiquis codd. [c] Vox *filii* super additur in codice loco uocis *pater*, quae subesse in litura uidetur.

Conuenit in pacto dotali, ut diuortio facto, sextae liberorum nomine retinerentur; quae|ro an discidio interueniente, sextae retineri possint? P. respondit: secundum ea quae proponuntur, | posse.

Item. Quaesitum est: si uir qui repudium misit, et eandem reduxit, | eaque mulier absente uiro de domo discesserit, an aeque sextae reti|neri possint ex priore pacto? P. respondit: si uerum diuortium intercessit, et ad eun|dem rursum reuersa, non renouato pacto, manente [a] dote, diuortit [b], sextas | liberorum nomine ita demum retineri posse, si culpa mulieris diuor|tium intercessit.

Paulus lib. VIII. Responsorum titulo de re uxoria [c].

P. respondit: patrem dotem a se profectam, | mortua in matrimonio filia, deductis quintis singulorum liberorum | nomine, repetere posse. |

P. respondit: pupillorum matrem uxorem ducere tutoribus interdictum non esse, et ideo | eum, de quo quaeritur, et priuignum fuisse, et recte heredem institutum uideri.

P. respondit: etiam post nuptias copulatas dotem promitti uel dari posse: sed non curatore praesente promitti debere, sed tutore auctore.

L. Titius a Seia uxore sua inter cetera accepit aestimatum etiam Stichum puerum, | et eum possedit annis fere quattuor; quaero an eum usuceperit? P. respondit: si puer, | de quo quaeritur, in furtiuam causam non incidisset, neque maritus sciens alienum | in dotem accepisset, potuisse eum aestimatum in dotem datum post nuptias anno [d] usucapi: quoniam [e] Iulianus et ante nuptias res dotis nomine | traditas usucapi pro suo posse existimauerit, et nos quoque idem probemus: | tamen hoc tunc uerum est, cum res dotalis [f] sunt. Cum uero aestimatae dantur, quoniam ex empto [g] incipiunt possideri ante nuptias, aut pendente uenditione, non prius ususcapio sequi potest, | quam nuptiis secutis.

Apud magistratus de plano ·L· Titius his uerbis a ma|rito

a Cod. *mante*. b Ita cod. c Verba *titulo de re uxoria* adduntur in cod. ab alia manu. d Cod. *anteno*; mox factum *antino*; tum denique, ut uidetur atque ut debet, *anno*. e Cod. *qu*. linea superposita. Sed corrigendum uidetur *qu*, hoc est *quamuis*. f Ita cod. pro *dotales*. Nimirum *is* pro *es* etiam nom. plur. casu in compluribus uidi antiquis codd.; quamquam id contra grammaticos canones fieri uidetur. g Supplendum uidetur *non*.

32 repetit. Anicius Uitalis dixit : quoniam praesto est ·FL· Uetus
junior, peto rem ‖ . . .
. . . e ab eodem ex legibus et edictis dotem et peculium P. 99. b.
. . . *d*ixit tabulis signatis, nec protulit [a] ·FL· Uetus iunior dixit
. . . us sum. Duumuir dixit [b] : sermo uester in actis erit
. . . *a*d heredes eius rei uxoriae actio transierit, cum his quaerere
. . . curator, neque procurator, neque cognitor, aut *aduocat*us
. . . haberet. P. respondit : mulieris nomine postulatum *utrum*
. . . *po*sse actionem rei uxoriae perpetuari. *‖
. . . *u*erecundiam, hoc est uitae probabilis instrumentum
. . . iculum redigi, ut eam praelatam *l*iceat *proprie*tatis eum **
. . . fretus coni*u*nctionis firmitate proi . . [c] em
. . . m iuxta statutum iudicantis adflixerit
. . . a deprimitur. Uiderit enim, utrum in praeteritum
. . . *d*ote repromissa aestimantis aliquid remanere
. . . constituta petendi firmitas putaretur, e conmu-
. . . tior parentium affectus persuasit, ut in solo
. . . dote obligatio gigneretur frustra euidens
. . . am restituendae dotis uoluntatem astutia her-
ed . . . . . . *s*peciebus quas doti pater filiae nomine designaue-
. . . um libelli scribtione promat, et de redhibitione
. . . a filiae dotem restitui uoluit. Frustra Maximus
. . . *de*siderat Renato submoto, cui dos Paulinae no-
mine . . . . *re*petitionem instituere potuisse iudicauit
. . . ui uoluntas soceri primo per libellum dehinc
. . . consuluit auxilium nostrae mansuetudinis [1] in
. . . *un*diqueuersum eius actionibus aditum daret, qui cum re-
petitionem . . .

* *In margine scholion.* Posse per quemcumque actionem . . . perpetuari.

** *In marg. sch.* Donum per libellum promi*ssum* et sine stipulatione af*fert* actionem.

a Cod. uidetur *pertulit*. b Cod. *d* cum linea traiecta. Iam haec nota in antiquis iuris seu ciuilis seu canonici codicibus a me obseruatis significat *dixit*; in hoc autem codice significat etiam *deus* uel *diuus*. c Quinque uel sex litterarum spatium exesum.

1 Ergo loquitur imperator.

. . . set uiolato necessitudinis iure secundo soceri iu– . . . *ad*ipisci merebatur. Quapropter Maximi sententia dotem, cuius . . . ta extremam restitui uoluntatem, qui eam reddi . . . *proh*iberi placuit. Nec enim dubium est, effectum restitutio . . . *de*stinatum cui dotem filiae nomine per libellum.

Paulus lib. VIII. R. (*Inter*) uirum et uxorem conuenit, cum res et . . . *in do*tem darentur, ut diuortio secuto, utrum uellet mulier ‖

P. 99. a. eligeret, uel mancipia, uel aestimationem. Manente . . . pepererunt. Quaesitum est, si mulier mancipia elegisset . . . berent? P. respondit quoniam periculo mariti uixeru*nt* . . . tempore perceptos apud uirum remanere deb*ere* . . . talem consultationem et responsum [a] . . .

Lucia [b] Titia cum nuberet Septicio maioris dign*itatis* . . . milia in dotem dedit, cum non amplius in bonis ha*beret* . . . uerum est [c], quod a quibusdam dicitur, omnia in dotem da . . . da [d] . . dari posse, argumento esse in manus conuentione*m* . . . [e] . . ia filia repudium genero misit. Quaero . . . nis dotem petere possit? P. respondit: matrimonium quidem re . . . uideri, set . . patri filiam inuitam a marito . . . dotem repetere posse, nisi filia consentiente.

Lucius Titius Septiciam ducturus ux*orem* . . . Postea Septicius datus tutor Septiciae eund*em* . . . tutorem. Quaero an excusandus sit? P. respondit: de offic*io* . . . eum facturum, si eum, de quo quaeritur, potiorem non . . . destinatas earum inpediat.

P. respondit: etiam ma*nente* . . . eam, quae rea facta erat, nubere potuisse.

Ulpianus lib. II de officio proconsulis. Imp. Augg. Iulio Iu . . . tam dotem recte reddi sibi desiderare dixit [f] quae . . . quod etiam in patre seruabitur, qui consentiente filia re . . . nec moratoriae dilationi locus erit, quod mal . . .

Ulpianus lib. XXXIII ad edictum. Inter cetera in reddenda . . . ut retentionum ratio habeatur. Siquidem conueni . . . non deterior dotis causa fiat, nisi in eum casum quo . . .

a Post uerbum *responsum* sequitur spatium uacuum. b Ita omnino uidetur habere codex, licet heic aliquantum exesus. c Cod. pro *est* habet de more *e*; sed heic nulla, ut uidetur, lineola superposita. d Spatium quattuor litterarum. e Spatium uacuum septem fere litterarum. f Cod. *d* cum linea traiecta.

hoc enim iure utimur [1]; et Iulianus scribit, et est rescriptum [a] . . . dos retineri uno filio interueniente potest, si modo non culpa . . . Quod si nihil conuenit, exercendae retentiones non sunt [b].

30 Papinianus lib. IIII. R. Non ab eo culpa dissociandi matrimonii procedit, qui nuntium diuor|tii misit, sed qui discidii necessitatem inducit [c] *

32 Item. Conuenit, ut diuortio uel morte uiri soluto matrimonio . . . |||

---

* *In marg. sch.* Non ab eo culpam diuortii procedere, qui repudium dedit, sed qui dandi necessitatem indixit [d]

---

a Cod. *rt.* b Reliquum spatium huius uersiculi scriptura uacare uidetur. c Ita cod. Sed corrige *induxit*. d Ita cod. Sed corrige ut supra.

1 Locutio similis Ulpiani dig. III. 3.27.§.1.

DE EXCUSATIONE [1].

P. 83, a. . . . . ||| eum, de quo agitur, et de incolumitate eius sibi rescribant. |

Item. Ili quoque, qui sunt ex collegio sex primorum, habent a tutelis ex|cusationem; sed non simpliciter, sed post unam. Nam non alias a ceteris uacant, nisi unam habeant.

Item. Olim uarie obseruabatur [a] circa | numerum tutelarum; sed hodie certo iure utimur, tam ex rescriptis diuorum [b], | quam ex constitutionibus imperatorum nostrorum. Nam si quis tres tutelas siue curas habeat [c], | excusatur.

Item. Haec locuti sumus de tutelis finitis non in|putandis: eodem loco sunt et non coeptae. |

Item. Sed hodie hoc iure utimur, ut si filium quis habeat in potestate, tam | patris quam fili honera patri in numerum procedere [d]. |

Item. Hodie itaque, ut quis excusetur, tria honera allegare debet, siue tutelarum, | siue curarum, siue etiam curae kalendari; et siue [e] eiusdem tituli sint tria honera, a quar|ta excusant.

Item. Ualetudo [2] quoque mala praestat [f] uacationem, | si talis sit, ut hostendat, eum ne quidem rebus suis administrandis| idoneum esse.

Item. Si quando autem huiusmodi ualetudo adfirmetur, | inspectio praetoris necessaria est. Siue autem quis arthrytricus sit siue posicus [3] siue epi|lempticus [g] siue orbus, et his similia, excusantur. |

Item. Uerba rescripti: libertus, qui negotia senatoris P. R.

a Cod. *obseruatur*. b Supple *principium* ut inferius p. 32. c Cod. *habeant*; sed *n* fortasse deleta. d Vel dic *procedant*; uel dele superius *ut*. e Cod. *su*, superducta lineola. Videtur autem mox excidisse *siue non* post *honera*. f Cod. *praestant*, sed *n* uidetur expuncta. g Ita scribuntur haec nomina in codice.

1 Dig. XXVII. 1; Paul. II. 27.; cod. th. XIII. 4; cod. iust. V. 62. sqq. et 64.

2 Cf. Ulpianum dig. XXVII. 1. 10. §. 8. in fin.

3 Notemus rem et uocabulum. Sed num pro *sonticus*? dig. II. 11. 2. V. 1. 46.

curat, a tutela excusatur : | a muneribus autem ciuilibus, cum ipse quoque bonis publicis fruatur, non uacat. |

Item. Sic autem interpetrantur prudentes has constitutiones, ut unum libertum | procuratorem in quaqua domo senatoris uoluerint uacare, non quotquot erunt, | si plures fuerint.

Item. Ergo uidemur hoc iure uti, ut is uacet, | cui omnium rerum generaliter procuratio mandata sit : et non amplius quam unus. |

Item. Arcari caesariani, qui in foro Traiani habent stationes, ex sacris | constitutionibus multifariam emissis habent immunitatem. |

Item. Qui iam tutores uel curatores sunt, si rei publicae causa absint, ad tempus excu|santur.

Item. Eum, qui uiae curam habet ab imperatore | iniunctam, excusari.

Item. Anabolicari [1] a tutelis curatio|nibusque habent uacationem.

Item. Ii, qui in centuria censorum | uelatorum sunt, habent immunitatem a tutelis et curis. De litibus, quas | tutor cum
32 pupillo habet, an propterea excusetur? Et dicit [a] propterea non excusandum : | et extant rescripta.

Item. Ueterani [2] quoque post emerita stipendia || missi, si honesta missione, in perpetuum a tutelis uacant. | P.32.b.

Item. Primipilaribus ob id ipsum, quod primipilares sunt, uacatio a tutelis | a diuo Hadriano dari coepit. |

Item. Decuriales quoque, qui ob id ipsum uacant, a tutelis condecurialis [b] filii non | uacare, si non habeant aliam excusationem. |

Item. Neque autem primipilarium filii, neque ueteranorum, a tutelis excusantur. |

Item. Is [3], qui inter uigiles militat, quamuis post emerita stipendia legitima mis|sus sit, non in perpetuum uacat a tutelis, sed intra annum, quam [c] missus est : ul|tra non uacat.

a Ita cod. b Cod. *condecuriales*. Notemus autem uocabulum. c Ita cod. pro *postquam*.

1 Notemus uocabulum. Vopiscus quidem Aurel. XLV habet adiectiuum *anabolicus*. Cf. ibi Salmasium.

2 De ueteranis cod. iust. XII. 47.

3 Cf. Modestinum dig. XXVII. 1. 9. § 4.

Item. Officium quoque militare excusat: namque [a] mu|nus emeritum prodest: multo magis, cum frequentatur. |

Item. Qui Romae magistratu funguntur, quamdiu hoc funguntur, dari tutores non possunt. |

Item. Imperatores nostri constituerunt, ne ultra [b] ducentesimum miliarium | senator P. R. cogatur res pupillares administrare. Itaque in usu ita seruatur, | ut ad eas res, quae ultra ducentesimum lapidem sunt, equestris ordinis [c] | uiri dentur tutores uel curatores a praetore: et hoc non tantum in eo senatore seruatur; | qui decreto tutor uel curator datus est, sed et in eo, qui testamento. |

Item. Is [d] qui in portu pro salute imperatoris sacrum facit ex uatici|natione archigalli [1], a tutelis excusatur [e]. |

Item. Filosophis [f] quoque, et medicis, et rhetoribus [g], et grammaticis, quibus | per [h] hanc professionem immunitas dari solet, etiam uacatio a tutelis datur tam diuorum principum rescriptis, quam imperatoris nostri. Quod [i] ad medicos uniuscu|iusque ciuitatis pertinet, intra numerum quinque esse debere, sacrae constitutiones docent [2]. Cetera [k]. |

Item. Neque geometrae, neque hi, qui ius ciuile docent, a tutelis excusantur. |

Item. Qui muniti sunt aliquo priuilegio, aliquando admittuntur ad excusationem, | ueluti si minor sit annorum XXV, si adfini datus sit tutor, et aliquem | usum rerum habeat, quod ius uenit ex epistula diui Hadriani. |

Item. De libertis [3] quoque, quamuis multa priuilegia excusationum praetendant [l], | tamen a patroni sui liberorum tutela non excusantur. |

Item. Qui patri pupilli promiserunt se suscepturos tutelam, non excu|santur, quia [m] est inicum [n] alios non esse datos. |

a Eadem leguntur fol. 90. a. v. 7. 8. Sed ibi melius *nam cum* pro *namque* *b* Cod. *intra*. *c* Cod. *aequestri ordini* mendose. Tamen *ordini* uidetur addita s. *d* Cod. *iis*. *e* Cod. *excusantur*. *f* Ita cod. per *f* et. *ph*. *g* Cod. *raetoribus*. *h* Cod. *p* traiecta subter lineola, qua nota in codice significatur *per*. Atqui heic mallem *propter*. *i* Cod. uidetur habere *quam*. *k* Ita cod. pro et *cetera*. Ita cod., quantum uidere licet, non *praetendantur*. *m* Num *quamuis*? *n* Ita cod. uti apud Frontonem *aecum* pro *aequum*.

1 Apud Tertullianum apol. XXV archigallus sacrificat pro salute M. Aurelii imp. §. 5.

2 Cod. iust. X. 52. 5.; dig. XXVII. 1. 6.

3 Confer cod. iust. V. 62. 5.

32 Item. Si inmiscuit se administrationi tutor, perdit beneficium ex||cusationis; plus enim eg||it, quam si promisisset; idque diui Fratres Domitio Rufo rescripserunt in | haec uerba: liberis tute||lam [a], quam sponte suscepisti, praebe: nam desiderasti [b]. |

P.97.a. P.91.b.

Item. Igitur obseruan||dum deinceps erit, ut qui tutor datus [c], si quas habere | se causas excusationis || arbitrabitur, adeat [d] ex more: nec [e] in infinitum captiosi silentii tempus [f], || per quod [g] res interfrigescat, concessum sibi credat. Hi qui Romae | uel intra centesim||um fuerint, sciant in proximis diebus quinquaginta | se excusationis causa||s allegare debere, aut capessere administrationem: ac nisi id fecerint [h], in ea cau|s|a fore, in qua sunt, de quibus consules amplissimi decre|uerunt, periculo suo |e|os cessare.|

Item. Formam autem e|x| hac constitutione datam hodie in usu ita celebrari | animaduertimus, ut|| ex eo die incipiant quinquaginta dies enumerari, | ex quo scierat [i] se esse tu|t|orem uel curatorem; scilicet ex eo, ex quo in notitiam | eius decretum prolatu||m sit testato [k]: uel si testamento datus sit, ex quo id quoque sci|erit. Itaque ubi sciit, ne praescribtione ·L· dierum excludatur, si sint sessiones [l], uel pro tribunali, uel || de plano, aduersario, id est ei, qui eum petit, denuntiare | debet, et adire praeto||rem, et titulum excusationis suae apud eum exprome|re. Si feriae sint, libellos det contestatorios.|

Item. Tunc demum e|x|cusandus est, qui prius datus fuerat, si is quem nomi|nauerit, et potior n||ecessitudine, et idoneus re fideque, uel absens re|praehendatur [m]. ||

Item. Pars orationis [n] imperatoris Seueri: pro|miscua facultas po||tioris nominandi, nisi intra certos fines cohi|beatur, ipso tractu te||mporis pupillos fortunis suis priuabit: cui rei | obuiam ibitur, P. C. [o], si c|e|nsueritis, ut collegae patris sui uel [p] pupilli in decu|ria uel corpore, item cognati uel affines [q] utriusque necessitudinis, qui | lege iulia et papia e|x|cepti sunt, potiorem non nominent: ceteri cogna|ti uel adfines amiciu|e atque municipes,

a Cod. *liberi tutela*. b Cod. *desideras*. c Nam hinc excidit *sit*? anne scribendum *datur*? d Cod. *adea*. e Cod. pro *nec* habet *sed*. f Cod. *temporis*. g Cod. uidetur habere *quam*, ut pag. praec. h Cod. *fecerit*. i Cod. *scierant*. k Ita cod. l Cod. *cessiones*. m Ita cod. n Cod. *oratione*. o Nempe *patres conscripti*. p Cod. *suis*. An *siue*? q Ita cod. At mox *adfines*.

eos tantummodo nominent, quos | cura conplexus sum [a]. Ui|cinitatis autem iure nemo potior existimetur. |

Imp. noster [b] Aelio Diod|o|to. Tutores secundum patris uoluntatem, decreto praetoris | c. u. quod [c] non iure testamento, uel cod|icillis dati fuerant, confirmatos, potiores nominare | posse non arbitramus [d]. Nam iudicium patris licet iure deficiat, seruandum est |.

Item. Libertus, sicut excu|sare se a tutelis, ita nec potiorem nominare potest. |

Item. Ex ea die ex qua || quis potiorem nominauit, deinceps omnibus sessio||nibus aduersus eum, quem nominauit, adi- P.92.b. P.97.b. re debe|t, usque dum causam finiat. | Ceterum, si aliquam sessionem intermiserit is, qui pot||iorem nominauit, prae|scriptione excluditur. Plane, illa sessio, quae de plano || celebratur, ei non conputabitur. |

Item. Si [1] is qui potiorem nominauit, litteras petier||it ad magistratus, ut | conpellant eum uenire, quem potiorem nomina||uit: libellos [e] dedit, alia | die litteras accipere debet, ac [f] magistratibus redde||re per dinumerationem | uicenum milium passuum.

Item. Illud cu||rare debet, ut intra diem | decimum, quam litteras reddidit magistratibus, rescripta [g] d||eposcat: et ubi eas | acceperit, per dinumerationem simili modo reuerti debe||bit: et si sessionem in|uenerit, pro tribunali reddere praetori, ut subnotet s|u|a manu, quod uolet. |

Item. Si quis eos, quos potiores [h] nominauit, non probaue||rit, si adhuc intra ·L· simum diem est, alios potiores potest nominare. |

Item. Quamuis [2] supra dixerimus, eum; qui potiorem no||minauerit, si aliquam ses|sionem intermiserit, pro tribunali praescribtione subm||oueri; utique uerum est, si litte|rae non sunt impetratae [i], ceterum, ex quo inpetratae sunt, || in eum diem, quo reddi | praetori rescribtae debent; et [k] hoc medio spatio ses-

a Ita cod. Sed tamen inferius p. 46. *arbitramur*. Et quidem utraque positio recta est. b Cod. *n*, superposita o; itaque licet dicere etiam *impp. nostri*. c Cod. *quos*. d Ita cod. e Sic in cod. An *qui libellos*? f Cod. *ad*. g An *rescriptas*, ut infra? h Cod. *potiorem*. i Eadem leguntur inferius p. 41. Sic in cod. non *inpetratae*, ut mox. k An *et si*?

1 Cf. dig. XXVII. 1. 13. §. 2. 2 Paulus sent. II. 28.

s‖io fuerit, non oberit si | sessionibus non adierit [a]: et ita in usu seruatur. |

Item. Libelli ita formandi: cum proxime decreto tut|orem me dandum existimaueris illi, quod mihi in notitiam pertulit illa | die, nomino potiorem [b], ut | municipes suprascriptos [c], illum Ueientanum, morantem eo loco, habentem in | substantia plus minus tantum [d]. Si eques [e] romanus fuerit, qui |p|otior nominabitur, etiam | hoc compraehendi debet. Deinde fine talem clausulam || addat: rogo, praetor, propter | praescriptiones, tempora, libellos accipere digner|i|s. |

Si pro tribunali dabuntur, uel de plano, ·IIII· dandi erunt, || et petendum, ut denun|tietur ex auctoritate: cum denuntiauerit [f] et non uene|r|it, libellos det, ut litteras | petat.

Item. Quidam tamen iustos secundum has |l|eges putant dici. Diui | quoque Marcus et Lucius Apronio Saturnino ita rescribse|runt: "si instrumentis | probas habere te iustos tres liberos, excusationem || tuam Manilius Car|bo praetor u. c. accipiet". Sed iustorum mentio ita acc|ipienda est, uti secundum ius ciuile | quaesiti sint. |

Item. *In* [g] adoptionem dati ad hanc causam proderu|n|t. |

Item. Ius liberorum a principe impetratum, nec || ad hanc causam nec ad mu||| Desiderantur paginae duae.

. . . . . .

tionem poterit . . . P. 94. b.

Non enim testamentarius . . .

Paulus libro II Sententiarum. [1] Pro t . . .

ut est latinus iunia*nus* . . . . *codicillis* ad testamentum non pertinen . . .

Ulpianus de officio praetoris *tutelaris* . . . . *in Italia* [2] domicilium cons . . . . *honeribus* subicietur ta . . .

recuperabit . . .

uti sacerdotium cont . . .

tutelam priuileg . . .

a Ita cod. pro *adfuerit*. b Cod. *potior*, linea traiecta per mediam, qua nota significatur *res*. c Cod. *ss*, superducta lineola. d Cod. *p. m. t.* superductis lineolis. e Cod. *aeques*. f Ita fortasse cod. 1. manu; at 2. *denuntiaueris*. g *In* suppletur a me.

1 In editis haec non extant. 2 Cf. dig. XXVII. 1. 19.

apertum testamentum sacerd . . .
Item. Haec de sa . . .
excusationem cons . . .
quo quis consul, uel praetor, uel . . .
Item. Collegas eo . . .
exerceant quam pater f . . .
quo pater pupillorum ex . . .
Item. Sicut autem de. . . .
lium. Et ita imperator noster . . .
Item. Ueteran . . .
Ueteranorum autem *filii* . . .
Sed utrum simul non plu . . .
unam, tractari potest. Puto *tamen* . . .
inueni rescriptum . . . . *ex-*
cusantur. Et ita de ig. . . .
riae Sabinae R. R. R. [a] . . .
exauctoratum e . . . . *Sed ignominia missi*
ab [1] urbicis plan*e tutelis excusabuntur, quia ingredi eis urbem non licet.* |
Sed etsi non sint perfectis . . .
si missionem non ig. . . .
Item. Sed primipil. . . . . ||

F. 94. a. . . . *pr*imipilarem dabunt
. . . legare quoque ipse quoque [b] in locum [2]
. . . . .
. . . m sacerdotio fungitur
. . . rescripto diui Pii declaratur
. . . . .
. . . unt in primipilaribus
. . . *exem*plo ueteranorum
. . . . .
. . . ueterem suam emp-
. . . sexteritia centum mi-
. . . mmatam eam nan-

a Nempe *rescripserunt*. Nam in pagina codicis 84. n. 18. scribitur *RRRUNT*. b Ita bis *quoque* in cod.

1 Dig. XXVII. 1. 8. §. 9.
2 Cf. dig. XXVII. 1. 8. §. 11.

. . . . .

. . . ducit : nam minor uiginti *quinque annis* . . . . : . . . . *tut*ela excusantur ut

. . . o daret minores XXV *annis* . . .

. . . t a principio negotiorum

. . . honera tutelarum

. . . m iniuriam adferat

. . . *a tutela* excusabitur . Hi quos

. . . tutelas quas ante

. . . . .

. . . *excusa*bitur etiam ab ea quam antea sus-

. . . si ad tempus curator

. . . . .

m per rusticitatem [1] se alie-

. . . mereri paupertas pla-

. . . . .

Item . Tria [2] *honera tutelarum excusation*em tribuunt . Tria autem h*onera sic sunt accipienda , ut non numerus pup*illorum plures tutelas faciat , | *sed patrimoniorum separatio : et ideo qui tribus* | fratribus tutor datus est , ||| qui indiuisum patrimonium habent , uel quibusdam tutor, quibusdam curator , unam | tutelam suscepisse creditur . F.93.b.

Item . Qui curam kalendarii [3] Gaditanorum a principe inductam , in eques|tri [a] ordine susceptam administrabat [b] . In tribus non inputabitur tutela | uel cura , quae affectata est : affectatam sic accipiemus , si uel appetita uideatur , uel cum posset quis se excusare , ab ea se non excusauit . Creditur enim affectasse , qui honus , | cum posset declinare , non recusauit . Et id saepe decretum est in tutore , qui non potuit in|uitus dari tutor , uel curator ei [c] , qui cuius fuerat tutor , curator est nominatus . |

Item . Si quis [4] inter tres [d] emancipati fili sui tutelam administret , an ei haec in nume|ro cedat [e] , scio dubitatum . Inuenio

a Cod. *sequestri*. b Excidisse aliquid manifestum est. c Ita cod. Sed uidetur dicendum *curatore*. d In dig. additur *tutelas*. e Dig. *numerum procedat*.

1 Cf. dig. XXVII. 1. 6. §. 19.
2 Dig. XXVII. 1. 3.
3 Intellige codicem accepti et expensi publici, uel foenebris pecuniae.
4 Dig. XXVII. 1. 13. §. 16.

tamen Fuluio Aemiliano in persona Manili | Optimi rescriptum, emancipatae filiae tutelam numerari ei [a] inter honera oportere. |

Item. [1] Tria autem honera in domo [b] esse sufficit. Proinde si pater alicuius uel | filius uel fratres [c], qui est in eiusdem potestate, tria honera sustineat, quae ad periculum patris | pertinent; quoniam [d] uoluntate eius administrant, omnibus excusatio a tutela conpetit. |

Item. Numerus quoque liberorum a tutela excusationem tribuit: ciuibus | quidem romanis earum tutelarum, quae Romae sunt iniunctae, a [e] trium filiorum; earum | uero, quae in municipiis italicis iniunguntur, quattuor numero liberorum: | idque imperator noster et diuus Seuerus Claudio Herodiano rescripserunt. Et ideo, si quis a magistratibus | municipalibus fuerit datus, quattuor numero liberorum debebit excusari. |

Item. Sed et si in prouincia delata fuerit tutela, licet Romae excusatio alle|getur a quinque liberis, debet recipi. |

Item. Exemplo ciuium romanorum latinos iunianos [f] excusari oportet.

Item. Iusti autem, an iniusti sint filii, non requiritur: multo minus, in potestate nec || ue sint; cum etiam iudicandi honere iniustos filios releuare Papinianus lib. V. quaestionum | scribat.

Item. Ex filia nepotes prodesse [g] ad tutelae liberatio|nem, sicuti nec ad caducorum uindicationem palam est: nisi mihi proponas | ex ueterano praetoriano genero socerum auum effectum; tunc enim secundum oratio|nem dei [2] Marci, quam in castris praetoris [h] recitauit, Paulo iterum et Apronia|no consulibus (168) VIII. id. ian., id habebit auus, quod habet in nepotibus ex filio natis: | cuius orationis uerba haec sunt: " et quo facilius ueterani nostri soceros | repperiant, illos quoque nouo priuilegio sollicitabimus: ut auus nepotum | ex ueterano praetoriano natorum iisdem commodis nomine eorum || fruatur, quibus frueretur, si eos

P. 93. a. haberet ex filio. " |

a In dig. omittitur *ei*. b In dig. additur *una*. c Sic cod. Sed in dig. est *frater*. d Dig. *patris sui spectent, quia*. e Ita prorsus codex. f Cod. *iunanos*. g Videtur corrigendum *non prodesse*. e Ita cod. pro *praetoriis*.

1 Dig. XXVII. 1. 13. fr. 5.

2 Ita explicatis litteris in cod. haud semel Marcus non *diuus sed deus* dicitur; peculiaris uidelicet honoris causa. Certe Capitolinus cap. XVIII. de Marco extincto ait: *priusquam funus conderetur, ut plerique dicunt (quod numquam antea factum fuerat neque postea) senatus populusque non diuisis locis, sed in una sede propitium deum dixit.*

Item. In adoptionem dedisse non nocet; nec adoptasse ad excusationem | proderit, quoniam soli naturales tribuunt excusationem. |

Item. An bello amissi a tutela excusare debeant? nam et in fascibus sumen|dis, et in iudicandi munere pro superstitibus habentur, ut lege iulia de ma|ritandis ordinibus, de fascibus sumendis, et publicorum kapite uiginti sex [a], | item priuatorum kapite uicensimo VII de iudicando cauetur. Et puto | constituendum, ut et a tutelis excusent. Proinde, siue tres bello amise|rit, siue unum duosue, pro superstitibus cedent. |

Item. Sed utrum soli filii, an et nepotes debent [b] prodesse, subsistendum; quoniam lex quidem priuatorum kapite XXVII senatus [c] appellat, lex uero publicorum | kapite XXVI liberorum facit mentionem. Puto tamen eandem esse aequitatem | in nepotibus, qui in locum filiorum succedunt, quae est in filiis. |

Item. Utrum in acie dumtaxat amissus, an tempore belli amissus prosit? Sed Aristo | in acie amissum dumtaxat: ego [1] puto, per tempus belli amissum debe|re prodesse, ne publica strages patri noceat. |

Item. Erit haec etiam excusatio, si quis se dicat tutelam alicuius admi|nistrasse, et ad curam eius uocetur. Nam inuitum non esse conpellendum suscipere, impe|rator noster cum patre Polo Terentiano rescripsit. |

Item. Si quis uxoris [d] suae curator datur [e]. Nam sicuti senatus censuit ne quis eam ducat, cuius tutor uel curator fuit, ita uxoris suae non debere cu|ram administrare, diuus [f] Seuerus Flauio Seueriano rescripsit. |

Item. Proinde, si cui fuerit pupilla a patre desponsa, non debebit ei tutor | dari, ne nuptiae inpediantur, et datus excusabitur; et si sponsae suae | curator fuerit datus, debebit excusari, nisi forte a patre tutor uel cura|tor fuerit destinatus. Aut enim ipse eam pater despondit, et utrumque perficiet; aut | post mortem patris desponsa est: et magis est, ut uoluntati patris obtem|peretur in honere, quam ipsius in matrimonio: quare nuptiae inpediuntur. |

a Ita cod. b Ita cod. c Corr. *solos natos*. d Ita cod. e Supplenda uidetur uox *excusatur*. f Ita cod. explicatis litteris.

1 Contraria sententia eidem Ulpiano adscribitur dig. XXVII. 1. fr. 18.

Item. Est et hoc genus excusationis [1], si quis se dicat domicilium non habe|re Romae delectus ad munus, uel in ea prouincia ubi domicilium non habet; idque et deus [a] Marcus Pertinaci et Aeliano [2] conss. (163?) rescripsit. |

Item. Proinde qui studiorum causa Romae sunt, praecipue [b] ciuilium, debent ||| . . .

P.100.b. . . . ris causa Romae augunt studii cura distracti. Et ita . . . imperator Antoninus Aug. Caereali a censibus [c] et aliis *rescripsit*. Item. Proinde, si quis ad urbicam dyocesim pertinens . . . r excusare se debebit ab eo patrimonio, quod in regio . . . r a re prouinciali, sed caueat, si legatum accepit, hoc facere li . . . administratum, quoniam in plenum uoluntati paret legati *excusa*bitur; idque deus [d] Marcus in eo, qui se a re prouinciali excusauit | . . . s Claudio Pulchro rescripsit. |

Item an is qui se uoluit excusare, nec optinuit. Postea potiores nomi|*nare possit*, *quaeritur*. Et magis est ut possit, si eum [e] tempora patiantur. Uos enim | . . . us licet potior nominatus, alterutrum debeat eli|*gere an uelit negar*e se potiorem, an uero magis potiorem nominare; | *idque imperator noster Diodoto* [f] praetori [g] rescripsit.

Item. *Licet is qui* tutor datus est, et excusare se, et non recepta excu|*satione potiores* nominare potest, si tempora dierum patiantur; | *tamen si uelit* potiores nominare, postea ad excusationem transi|*re non potest*. *Nam confit*entis est, nullam se excusationem habere, cum potiores | *nominauerit* : *nec* ferendus est, si dicat se sine praeiudicio hoc facere, for|...teatur excusationem et potiorum nominationem. |

. . .

Item. *Is qui potior* nominatus est, siquidem negat se esse in ea coniunctione, am|*plius nominare* potiorem non potest: conuictus ne excusare se quidem poterit. || *Et ita est rescripto ad He*rodianum de excusatione insertum. |

. . . nominatus est, ad omnia haec dies eos habebit, quos . . . sunt, ut eodem rescripto declaratur. |

a Cod. *d*, traiecta linea. Ergo *deus*. b Cod. *praec'puae*. c Nam *Caereali accensibus*? d Cod. *d*, linea traiecta. d An *dierum*? e Ita supplendum fuit Cf. p 34. u. 3. Cod. *praetor*.

1 Dig. XXVII. 1. 46. §. 2.

2 Notemus hoc consulum sub Marco collegium partim, nisi fallor, incognitum. Conferantur autem fastographi Sigonius aliique, nec non Muratorius in annal. et in inscript. p.335.

Item . Is qui potiorem nominat , libellos debet quaternos dare praeto|*ri de plano* , *uel pro* tribunali , ut epistula dei [a] Marci ad Aemilianum | *continetur : et dicere* , *quo* iure potiorem nominet, id est gradum necessitu|*dinis eius uel cognatio*tionis aperte designare : et ideo non sufficit , cognatum | *uel collegam generaliter* dicere , sed debebit gradum dicere , uel nomen | *collegii digni*tatisue designare , et ius cognationis expri|*mere : nec sufficit collegam* dicere , nisi , in quo collegio , addiderit . Et si forte ||| in P.100.a. aliquo horum deliquerit , emendandi ei facult*as intra tempus* , *quo po*|tuit potiorem nominare , conceditur ; postea non . Idque imp|*erator noster . . . rescripsit* .

Item . Ne hi quidem possunt [b] , quos praetor confirmauit , testamento de|*stinatos ut Dio*doto praetori rescripsit . Proinde, si a matre fuerint desig*nati* , *an potiores* | nominare possint , quaeri potest ; et puto eos nomin*are non posse* , *sicut de iis* | rescriptum est , qui a patre erant designati . Sed hoc erit . . . | alio uirilis [c] sexus per uirilem sexum descenden . . . | curae destinati. Nam et Papinianus respondit [1] , libertum a patro*na nepoti des*|tinatum tutorem posse potiorem nominare .

Item . Nominare autem potiores non possunt in primi*pilari* . . . | diuus [d] Seuerus constituit . |

Item . Licet autem patris appellatio in oration*e* . . . | accipiendam : quamquam circa primipilares hoc iure *utimur*, *ut filio primi*|pilaris dentur soli , non etiam nepoti . |

Item . Sed nec cognati uel adfines possunt nominare potiores . . . *ex*|pressum est , hi soli qui lege iuliaue [e] excepti sunt . |

Proinde , siquis cognatus alterultra [f] lege exceptus lic . . . | *Dio*|doto praetori est rescriptum , potiorem nominare non poterit n . . . | nominare adfinis qui alterultra [g] lege exceptus . . . |

Item . Excipiuntur autem lege quidem iulia cognatorum . . . |

a Ita cod. litteris explicatis . *b* Excidisse uidentur uerba *potiores nominare* . *c* Cod. *uirili* , *s* absorpta a seq. *d* Ita cod. explicatis litteris . *e* Videtur dicendum *papia ii hone* . Confer infra v. 27. Nisi mauis supplere *publicorum priuatorumue* . Sic dig. XXII. 5. 4, ubi in editis legitur *lege iulia iudiciorum publicorum* , in cod. palatino 737. p. 168. col 2. scribitur *lege iulia et papia iudiciorum publicorum* . *f* Ita cod. Sed dic. *alterutra* . *g* Ita cod. Sed corr. ut supra .

1 Confer inferius p. 43.

no sobrino sobrinaue natus; sed et nata per interpretati*onem* . . . | horum potestate sunt, quaeue in matrimonio, uel hii, qui su . . . | trarum hoc gradu nos contingentium mariti u . . . | tate nostra cognati contingentis eos ea cognati . . . | non excedit.

Item. Nuptarum nobis co . . . | gradum uel nostri cognati ab uxoribus nostris . . . |

Item. Lege autem papia hii adfines [1] excipiuntur, qui u . . . | et socer et socrus umquam fuerunt.

Item. Uitricus . . . | priuigna, uel ipsorum, uel eorum qui in eorum potestate | fuerunt.

Item. Memini itaque, me suad . . . | Alcimum libertum maternum Furi Octaui c. u. i. . . . | cum tutelam eius administrasset, necessariusque ad . . . |||

P.90.a. nam et liberti materni in pari sunt condicione. Oratio enim dei [a] Marci ita scribta est, | ut patroni patronae libertus tutor deligi possit, tametsi aliquo priuilegio sub|nixus sit.

Item. Si alius eum latinum fecerit, alius iterauerit, | an utriusque liberorum tutelam suscipiat, uidendum, quasi utriusque meritum | habeat. Nisi forte, exemplo munerum, ut deus [b] Marcus rescripsit apud Orignem [c] eius | qui latinum fecit debere eum fungi, solus [d] eius liberorum tutelam sus|cepturam [e], dicemus.

Item. Officium quoque militare excusat. | Nam cum munus emeritum prodest, multo magis cum frequentatur prodesse debet. | Sed si ad tempus rei p. causa absit, non in perpetuum, sed ad tempus excusabitur. Denique, cum ex facto sub diuo Hadriano, quidam cum legatus esset legionis, testamentum recitatum| esset, quo tutor erat datus; non in perpetuum, sed ad tempus, quo legatus legionis | erat, meruit excusationem. Etiam is, qui commentarios habet praefecti, quamdiu hic | commentarios habet praefecti, ut deus [f] Marcus cum filio rescribsit. |

Item. Hi, qui muniti sunt aliquo priuilegio, aliquando non admittuntur ad excusationem, | uelut si minor sit annis XXV adfini datus tutor, et aliquem usum rerum | habeat hereditaria-

a Ita cod. explicatis litteris. b Cod. *d*, linea traiecta. c Sic in cod. d Ita cod. Sed dic *solum*. Num primitus fuit scriptum *solius* pro *solus eius*? e Ita cod. Dic autem *suscepturum*. f Cod. *d*, ut supra.

1 Confer cod. th. XIII. 5. 7.

rum . Quod ius uenit ex epistula diui Hadriani , quam scribsit | Claudio Saturnino legato Belgicae : quae constitutio uidetur de his loqui , qui a praetore | dati sunt . Ego idem esse accipiendum, si testamento datus sit . In ean|dem sententiam et diuus [a] Pius Plaetorio [b] Nepoti scribsit . |

Papinianus lib. XI. quaestionum respondit : uerbis orationis Fratrum imperatorum libertum,etsi ob aliquod | priuilegium a tutelis *uacet*, patroni tamen patronaeque liberorum [c] tutor | ut delegatur, conpraehensum . In numero liberorum pronepos patroni sine | dubio continetur . Sed potest dici , non aliis patroni liberis libertum hoc debere ,| quam qui iure patroni hoc *sperare* possunt : et ideo neque patronae nepotis tutelam | administrare conpellen*dum*, priuilegio . . [d] irum ,neque pupilli [ex filia] pa|troni uenit , quia uacatione propter [e] liberos patronorum , qui per uirilem sexum descendunt , liberti fruuntur . |

Item . Et hac *quae* . . . de eo , cui beneficium datae libertatis exprobrari potest . | Alioqui nequaquam [1] credendum est , ei priuilegium [f] ablatum , cui fideicommissa [g] libertas | soluta est. Nam in toto fere iure manumissor eiusmodi nihil iuris (*ut*) patronus ad|uersus personam modo liberti consequitur , licet in bonis eius patroni ius exerceat ;| excepto , quod in ius uocare patronum iniussu praetoris non debeat . |||

Item . Ius anulorum ingenuitatis imaginem praestat , saluo iure patro|norum , patronique liberorum [2] . | P. 92 b.

Paulus libro sexto quaestionum sub R. [h] (*de*) legitimis tutelis . Apollinaris Paulo . Duo [3] sunt Titi , pater et filius : datus est tutor Titius , nec apparet de quo sensit testa|tor ; quaero quid sit iuris ? R. Is, datus est quem dare se testator sensit . Si id non atparet [i] , non ius deficit , sed probatio . Ergo [k] neuter est tutor . Hoc rescriptum est in Sti|cho manumisso , si duo sint Stichi , et incertum , de quo testator senserit ; uel si Erotem legauerit, qui plures eodem nomine habuit seruos . | Quod in num-

a Ita cod. explicatis litteris. b Cod. 1. manu *Platorio*; deinde, ut uidetur , *Plaetorio* . c Cod. *libertorum* . d Supple quattuor litteras. e An *praeter* ? Cod. *pp* . linea superposita . f In dig. additur *excusationis* . g Dig. *fideicommissaria* . h Nempe *rubrica* . i Ita cod. k Dig. *igitur* .

1 Haec extant dig. XXVII. 1. 24.
2 Dig. II. 4. 10. §. 3.
3 Dig. XXVI. 2. fr. 30.

mis legatis non ita placuit : si non atparet uoluntas, id accep|tum est, quod minus est. |

Antoninus Granio Firmino militi. Ex duobus tutoribus, qui non| specialiter in locum excusati dati sunt, sicut precibus tuis adlegas ; si unus pro | tutore res tuas administrauit, aduersus eum tantum tibi conpetere actionem, | ignorare non debes. Nec enim mutuo cessationis periculo, qui nihil gessit, ten|eri potest. Cum simpliciter datus est, qui administrationi se miscuit, contutor | iure fuisse non uideatur. |

Paulus libro singulari de testamentis. Parentibus licet, liberis suis [a] | in potestatem habentibus testamento tutores dare, masculis quidem inpuberibus, | feminis uero etiam puberibus, et tam notis, quam etiam postumis. Itaque post institu|tionem *her*edum hoc modo scribere potest : Lucio Titio filio meo, et si mi|hi uiuo mortuoue nati erunt, tutores do Lucium Aurelium et Ga|ium Optatum ; a quibus peto, ut tutelam liberorum meorum gerant, | ita ut ea, quae in Asia reliquero, Aurelius ; ea autem quae in Italia, Op|tatus administret. |

Possumus autem et singulis liberis alium atque alium tutorem | dare, ueluti hoc modo : Titio filio meo Aurelium tutorem do ; Seio filio | meo tutorem Optatum do. Pluribus quoque liberis unus tutor, item | uni plures dari possunt. |

Paulus libro singulari de excusationibus. Hii, qui tres pluresue tutelas, | uel curationes, uel permixto modo cuiuscumque separatas admi|nistrant ; excusari a tutela curationeue solent. Quod si fratrum tu|telam suscipiant, pro una tutela . . . antur eadem bona . . . ||

P. 89. a Ulp. de officio praeto||ris tutelaris. Obseruari autem oportet, ne his pupillis | tutorem det, qui patrimo||nia in his regionibus habent, quae sunt sub iuridicis, ut Cl. Pompeiano praetor||i imperator noster rescripsit ; multo magis, si in prouincia sit patrimo|nium, licet is, (*qui*) petitur [b], in urbe consistat. | P.84.F.

Ulp. de officio praetoris || tutelaris. Qui [1] in collegio pistorum sunt, a tu|telis excusantur, si mod||o per semet ipsos pistrinum exerceant. Sed non alios | puto excusandos, quam qui in||tra numerum constituti centenarium, pis|trinum secundum lit-

a Ita cod. b Num *petit*?

1 Eadem dicit Paulus lib. sing. de cognitionibus in dig.lib.XXVII. 1. fr. 46. pr.

teras diui Traiani ad Sulpicium Similem exerceant: | quae omnia litteris praefecti a||nnonae significanda sunt. |

Ulp. lib. suprascripto. Sed ostien||ses pistores non excusansantur, ut Filiumniniano imperator | noster cum patre rescripsit. ||

Item. Urbiei [1] pistores a collegarum quoque | filiorum tutelis excus||antur, quamuis neque decuriales, neque qui in ceteris corporibus sunt, excusentur: et |i|ta Hadriano [a] rescripto ad Cl. Iulianum [2] praefectum annonae | significatur; quam epistul|a|m quodam rescripto ad Uernam et Montanum | pistores imperator noster cum patre || interpretatus est et ad pistores pertinere. Cum in eo negotio | frumentum agentibus | daretur a collegarum filiorum tutelis uacatio, plus etiam imperator noster indulsi|t|, ut a tutelis quas susceperant, antequam pistores | essent, excusarentur. Sed ho|c| ab ipso creatis pistoribus praestitit; et ita Mar|co Diocae praefecto annonae rescripsit. |

Item. Sed et qui in foro |*s*|uario negotiantur, si duabus partibus bonorum | annonam iuuent, habe|n|t excusationem litteris allatis *a praefecto* urbis | testimonialibus neg|o|tiationis; ut imperator noster et diuus Seuerus M. An*icio* Cerea||li rescripserunt: quo rescripto decla|*r*|atur ante eos non habuisse inmunitatem. Sed non eis | dari eam quae data est his |*qui*| annonam populi romani iuuant. |

Paul. lib. singular|i a|d municipalem. Urbici [3] autem pistores a collega|rum quoque filiorum tu|t|elis excusantur. Sed et si qui in foro suario nego|tiantur, si a duabus parti|bus| patrimonii annonam iuuent, a tutelis habent | excusationem. ||

Ulp. de officio praetoris tutelaris libro singulari. Proinde, si mu|t|us surdusue quis sit, sine dubio a tutela excusa|bitur. Hi uero, quos ualetudo, |uel furor, uel morbus perpetuus excusat, etiam eas | tutelas, quas ante s|us|ceperant, deponunt. Alia causa aetatis est. Luminibus etiam captum Port*a*|t|o Faustino rescripsit imperator noster cum patre.

F.34.a. Item. Furio ||| Epatidae, cum allegasset se unum oculum F.89.b.

a Corr. *Hadriani*.

1 Haec itidem repetit Paulus l. c.

2 Ad Cl. Iulianum, huius fortasse filium, scribit non semel Fronto.

3 Eadem Pauli uerba, sed ex libro singulari de cognitionibus, extant dig. XXVII. 1. fr. 46. §. 1.

amisi||sse et in alio periclitari, rescripsit, | an propter aduersam ualetudinem oculorum excusari || deberet, praetorem aestimaturum. | Hi etiam a susceptis excusabuntur. |

Item. Paupertas [1] plane [a] dat excusationem, si qui||s imparem se oneri [b] iniuncto | possit docere [c]: idque diuorum Fratrum rescripto contin|etur. |

Item. Si quis autem in prouincia domicilium habet, de||bet excusari: sed et siquis patri|monium in ea regione, quam iuridicus adminis|trat, habet. |

Item. Scio tamen quosdam, cum per errorem ad potio||rum nominationem | prosilissent, haud impetrassent [d] ut deserto | iure potiorum ad excu|sationem se converterent. |

Paulus libro singulari ad municipalem. Pa|u|pertas [2] quoque solet tribuere ex|cusationem; quod honeri tutelae inpar esse [e] || uideatur. |

Paulus libro singulari de officio praetoris tut||elaris [f]. Mediocritas [3] et rusticitas et domesticae lites interdum excusationes merentur, ex epistula | diuorum Hadriani et Antonini et Fratru m ad Caerellium Priscum | praetorem tutelarem. |

Item. Qui conplura allegant, quae singula non sint fir||ma, interdum excusari solent. Nam et Fratres imperatores Sentio Potito ita rescripserunt: Quam||uis, singula quae litteris tuis | conplexus es, non praestent sibi iustas causas excusa||t|ionis, tamen, quia multa simul | congruerunt, mouere nos possunt, ut excusatio tu|a a tutela recipi possit.

Paulus libro singulari de excusatione tutorum. Imperatores nostri Aelio Diodoto | suo *salutem*. Tutores secundum patris uoluntate|m| decreto praetoris c. u. quod non iure testato [g] uel codicillis dati fuerant, confirmato || nominare potiores posse | non arbitramur. Nam iudicium patris; licet iure |*d*|eficiat, seruandum est. |

Paulus libro I. editionis secundae [4] de iurisdicti|o|ne tutelari. Qui tres pluresque liberos habent superstites excusari solent, i|dque

a Dig. *sane*. b Ita cod. sine adspir. Contra alibi. c Dig. *probare*. d Corr. *impetrasse*. e Cod. *inpetrasse*. f Cod. *tutelari*. g Ita cod.

1 Dig. XXVII. 1. fr. 7.
2 Eadem fere, a Paulo repetita in lib. II. Sententiarum, leguntur dig. XXVII. 1. f. 40. §. 1.
3 Dig. XXVII. 1. fr. 6. §. 19. paucis mutatis.
4 Notemus hunc titulum paulini libri.

conpluribus constitutionibus | cauetur, tam dei [a] Marci et Luci, quibus Pontium Ma|*rc*|ellum trium liberorum | patrem liberauerunt, litteris ad eum em|i|ssis, quam dominorum nostrorum. Sed
30 hic | numerus in Italia ciues romanos liberat: nun|c e|x constitutione principum | nostrorum nec in Italia, sed Romae tantum exem|p|lo municipalium mu|nerum. Nam Clodio Herodiano ita
32 scribserun|t| : sicut in Italia ciues romani | consistentes numero quattuor liberorum |*inc*|olumium a ciuilibus * ||| . . . * Q. XXVII.

a Ita cod.

QUANDO DONATOR INTELLEGATUR REUOCASSE UOLUNTATEM.

P.21.b. . . . ipsam contumeliis pers|e|qui ; in affectu pietatis monitos posse mitescere . Uolumus igitur , ut si const|*abi*|t iuxta patrem liberos , contra quam humanitatis ratio | deposcit , superbe cru|*deliterque* | se tollere , emancipatio firmitudine euacuetur ; | idque , quod liberis pater do|*nati*|onibus contulit , patris dicioni naturaeque *iuri* subiu|gati , patriae [a] reccida|*t p*|otestati . Et ita illi , qui sacris euoluti , a functione obsequii recesserunt , nec|*ess*|itatis laqueis adstricti , in qua [b] commendatio|ne pietatis etiam detre|*cta*|ntes adueniant . Dat. XVII. kal. augg. Constanti|nopoli , Gallicano |e|t Symmacho conss. (330) | P.86. b

Constantinus et Caess. [1] || Multas saepe natas ex donatione causas cog|nouimus , in quibus uel adu|mbrata pro espressis , uel inchoata pro perfectis , uel plurima | pro omnibus controuersiam faciant , cum agentium uisa [c] ex ingenio ac facul|tate dicendi , aut perfecta d|e|formarent , aut inchoata perficerent . Inde ius an|ceps , ac pro dicentium in|p|ulsu uaccillanti [d] sententiarum decreta differebat , | Maxime karissime ac iucundissime . Hi|n|c enim nuper exceptis personis dicta lex est , in quibus sum|mum ius , et uoluntas |o|mnibus libera , sollemnitate more perfecta , ortus [e] | suos praesenti munere o|p|ulentat [f] ; tempestiua dehinc communium | donationum cura suc|c|essit . Absolutis enim illis , quae ideo prima sunt , quoniam | sunt religione potiora , cir|*cum*|acto animo ad uniuersum donationum genus , | conspeximus omnes ear|*u*|m species signis ac nominibus inprimendas , ut in hominum contractibus |*d*|ifferentium sui nuncupationum proprietat|e secernant . Itaque siue |*il*|la donatio [2] directa sit , siue mortis causa insti|tuta , siue condicionibus fa|*ci*|endis non faciendisue [g] suspensa ,

a Ita cod. cum duabus cc. b Ita cod. Sed legendum uidetur *iniqua* , c Sic , quantum uidere licet . d Ita cod. e Ita cod. f In cod. additur e , lineola superimposita , nempe *est* ; mox tamen e uidetur expuncta . g Cod. th. et iust. *faciendi* .

1 Conferenda est haec Constantini lex cum alia eiusdem ex empt. et uend. u. ult. p.6.sqq.

2 Cod. th. VIII. 12. c. 1. cod. iust. VIII. 54. c. 25.

	7. officiales consularis	officium consularis /	

	10. curias	curiales	
	apud	apud	
	14. habentur nummariae exactionis facultas denegetur.	habentur nummariae exaction (*sic*) suariis autem celebrandae nummariae exactionis facultas denegetur (*a*)	
	in transmittendis	transmittendis	
Leg. 4.	v. 1. Praetextatum P. U.	Praetextatum	
	3. inter susceptionem et erogationem	inter susceptiones	
	12. desiderit	dediderit	P. 27.
	14. ut cum a	cum a (*b*)	
	21. insculpi	insculci	
	dat. VIII. id.	dat. (*c*) id.	
	Iunino	Iunino	
Leg. 5.	v. 1. AAA.	*deest*	
	6. abluendum	abnuendum (*d*)	
	8. originales	originalis	
	v. 9. dat XV.	*spatium uacuum.*	
Leg. 6.	v. 1. AAA.	Ag.	
Tit. 6.5.1.	v. 1. Aethio	Etio	
	4. et nostrarum	ut nostrarum (*mendose*)	P. 38.
	5. IIII.	III	
Tit. 7. 1.	v. 1. Graeco (*e*)	Gracchо	
	2. retrahendis collegis	trahendis collegiis	
	3. ciuitates	ciuitatis	
	4. erunt (*f*)	sunt	
	5. agnatione	agnitione (*sed paulo post* agnatio.)	
	7. VIIII.	*deest*	
Leg. 2.	v. 1. PP.	P. Po *Ita heic et deinceps codex.*	
	7. VIIII.	*deest; et saepe infra, ita ut adnotare non sit opus.*	
	Theod. V. A. A.	Theod. conss.	
Tit. 8. 1.	4. adnectantur	colligiis (*pro* collegiis (*g*)) adnectantur	
Leg. 2.	v. 1 imppp.	impp. *Ita et deinceps.*	
	v. 5. Uictore conss.	Uictore u. c conss.	P. 35.
	AAA.	*deest*	
Tit. 9. 1.	v. 4. ueniundi	ueniendi	
	5. proferant	perferant	
	et merita	*deest*	
	13. conuiuia	conbibia (*h*). *Ita et alibi.*	
	14. ut siquis	siquis	
	15. uicesimum	XXsimum	

(*a*) Gothofredus malebat *delegetur*. Sed en contradicit codex. (*b*) Goth. delebat *a*; contradicente nunc codice. (*c*) Nimirum heic et saepe alibi nota numeralis scripta fuerat minio aut alio suco, qui euanuit, spatio relicto. (*d*) Merito Goth. emendabat *abnuendum*, adstipulante nunc codice. (*e*) Apud Scaurum in Putsch. p. 2256 negat Varro *Gracchus* adspirandum, quoniam a gerendo sit cognominatus. Cf. Quintil. I. 5. (*f*) Goth. malebat *erant*. Item mox Goth. malebat *desiderii* pro *desiderio*, contradicente codice. Omnino hic, quae Gothofredus in suis notis criticis uel addit uel demit uel emendat, saepissime aduersatur codex. Quare ubi uarietatem non scribo, ibi sciat lector codicem cum Cuiacio conspirare et Gothofredi coniecturis, siquae sunt, contradicere. Ita contingit etiam nonnullis Conringii emendationibus. (*g*) Pro *collegiis* male Goth. supplebat *corpora* aut *corpori*. (*h*) Sic scribi puto pronunciati uis uitio. Cetero qui eiusmodi scriptura imitaretur graecam συμπόσια, a qua tamen recedere latinam etymologiam τοῦ *conuiuium* docet Cicero ad fam. VIIII. 24.

	19.	remeari	remeare	
Leg. 2.	27.	AA	Aug. *Ita fere et alibi.*	
Tit. 15.4.	v. 8.	adque	atque. *Contra alibi.*	
	10.	dat.	data	P. 34.
Leg. 5.	v. 8.	robor	robur	
	9.	cons.	coss.	
	v. 2.	inpunita	inpunitate	
	3.	quidquam	quicquam	
	4.	constiterit	constetirit. *Sic et alibi non semel.*	
	7.	perpeti	perpiti	
	8	cons.	conss. *Et sic alibi.*	
Tit. 16.1.	v. 4.	quidquid	quicquid	
		super	supra	
	v. 6.	subgestorum	sub gestorum	
		testificatio	testificatione	
	v. 8.	insinuetur	insenuitur	
		de eo	adeo	
	v. 9.	temptabitur	temtabitur	
		auctoritate	auctoritati	
	v. 14.	maii	mai	P. 29.
		AA.	*deest*	
Leg. 2.	v. 1.	PU.	PP.	
	v. 7.	deputata	deputato	
		cognoscantur	*deest, et quidem recte.*	
	8.	cogentur enim	cogentur	
		Theodoro	Theodosio u. c.	
Leg. 3.	v. 2.	sescentarum auri librarum	sexcentarum librarum auri	
	v. 3.	postea	post	
	v. 6.	sit	*deest*	
	v. 10.	quantitatis	quantitas	
	v. 12.	Aspera	Aspare	
Tit. 17.1.	v. 2.	earum	eorum	
	v. 4.	sint	sunt	
Leg. 2.	v. 1.	Idem AA.	Idem	
	v. 2.	inhibetur	inhibeatur	
Lib. XV. 1. 50.	v. 4.	lucra	iura	
	3.	pulchritudine	puleritudine. *Ita et infra.*	P. 37.
		laetetur	laetentur	
	9.	pro ea	pro eo	
Leg. 2.	v. 2.	urbis	urbis	
		hi	his	
	6.	proprio	propio	
	8.	potientes	potientur	
	10.	Lucio u. c. cons.	Lucio cons.	
Leg. 52.	v. 1.	Idem AA.	Imp. Theodosio Aug. (a)	
	v. 1.	Zeusippi	Zeusippi	
	4.	urbis huius	huius urbis	
		Idem AA.	Imp. Theod.	
Leg. 53.	v. 3.	et	ac	
		concessibus	consessibus	
	6.	pa* tamen	patens peruias facit ueterum usibus popinarum iubebit adscribi. His tamen	
	v. 7.	ipsisque	ipsis quae	
	10.	emptione	temptatione	P. 36.

(a) Recte sic emendandum praeuiderat Gothofredus.

	12.	D. N. A	*deest*	
Tit. 2, 1.	v. 1.	De aquae ductu	I de aquae ductu	
		cons.	consularem (*a*)	
	12.	nec earum	ne (*b*) earum	
		corumpant	corumgant	
Leg. 2.	2.	Fortunaciano	Fortunatiano	
	4.	adpotis	adpositis (*c*)	
	7.	usurpare	usurpasse	
	8.	rescribti	scribti	
		aliquis	aliqui	
Leg. 3.	v. 2.	adtritas	adstrictas	P. 31.
	5.	exhibere	exibere	
	9.	rectores	restores	
Tit. 5, 5.	v. 1.	Idem A.	Imp. Theodosius	
	2.	natale	natali	
	7.	urbes	urbis	
	11.	nisi	ne si	
	15.	uniuersis	uniuersi	P. 36.
	16.	Theod. XI	Theod. Aug. XI	
	17.	Caes.	C. I.	
Tit. 6, 1.	v. 4.	IIII et III	III. et III.	
Leg. 2.	v. 3.	uindicabit	uindicauit	
Tit. 7, 1.	v. 3.	necessitati	ac necessitate	
	8.	antistites	antistitis	
		consequantur	consequentur	
	10.	perferatur. Quod inspectoribus missis sedula exploratione quaeratur, an indulgeri	perferatur, an indulgeri	
	11.	Triu.	Treueris	
	12.	Probo	Probo u. c.	
Leg. 2.	v. 3.	direptionibusque	direptionisque	
	4.	conuersatione	conuersationem	
	5.	Gratiano A. II. et Probo conss.	conss. *tantummodo*.	
	6.	inpensis	expensis	P. 40.
Leg. 3.	v. 3.	mulieres	mulieris	
Leg. 4.		reuerentia	reuerentiae	
	7.	retrahi	trahi	
	9.	meruerunt	meruerint	
		dat. VIIII.	dat VI. (*d*)	
		Med.	*deest*	
Leg. 5.	3.	transtulerit	transtulit	
Leg. 6.	v. 1.	Ualerianum	Uerianum. *Sed in seq. constitutione* Ualerianum.	
	8.	uoluptates	uoluptatis	
	10.	mai	mart.	
	11.	Eucherio	Eucerio. *Ita et deinceps*.	
Leg. 7.	v. 3.	pertinere	oportere (*e*)	
		Eucherio et Syagrio conss.	conss. *tantummodo*.	
Leg. 8.	v. 1.	Idem AAA. ad Ualerianum P. U.	Dat. ad quem supra	
	4.	prodidisse	prodisse (*f*).	P. 41.
	5.	detegetur	detegitur	

(*a*) Ergo sic recte explicabat Goth. (*b*) Ita recte emendabat Goth. (*c*) Frustra *adpotis* defendebat Goth. qui tamen recte infra emendabat *natali*, *uniuersi*, *uindicauit*. (*d*) Goth. putabat *V*. (*e*) Goth. immerito tuebatur *pertinere*, contra etiam codicem Iust. in quo est *oportere*. (*f*) Huiusmodi syllabarum defectus alibi quoque obseruaui in codice.

		detracta (a)	retracta	
	8.	Aquila	Aquil. (b)	
Leg. 9.	v. 1.	Herasio P. U.	Erasio proc.	
	v. 3.	et in	et	
Leg. 10.	3.	aut (c) delectationis desiderio	ad delectationis desiderium (d)	
	5	Bautone	Bautone u. c.	
Leg. 11.	v. 3.	a latino	aletino *mendose*.	
	4.	robur (e)	rubor	
	5.	scuclatis	scutlatis (f)	
		sericis	siricis	
Leg. 12.	v. 3.	pantomimum ueste humili	humili ueste pantomium (*sic*)	
	v. 6.	prosceniis	proscaeniis	
Lib. XVI.	8.	et ut	ut	
T. 11.	v. 4.	saccofori	saccopori	P. 23.
	6.	pariter	parietes	
		euidenta	euidenter (g)	
Leg. 12.	3.	maced.	et maced.	
		apolliriniana	apollinariana	
	4.	cultu	ratione (*ut uidetur*.)	
	9.	seu in urbibus seu in agris in quibus passim turbae	seu in urbibus seu in quibuscumque locis Paschae turbae	
	11.	hi	hii	
	16.	officia	et officia	
	17.	congregationis	conuersationis	
		sequentiae	sententiae	
Leg. 13.	v. 2.	Apolliriani	Apollinariani	
		inter sacrae	interuersa sacrae	
	4.	pontificium	pontificium sibi	P. 24.
	7.	huius	huius urbis	
	9.	XII kal.	XII	
		Richomere et Clearcho coss.	Ricomere et Clearcho V. conss.	
Leg. 14.	v. 6.	iis	his	
	v. 8.	huius dignitatis amittant	dignitatis huius admittant	
		hos	his	
	9.	quemadmodum	quodam	
	10.	nectimus	adnectimus	
Leg. 15.	1. 3.	sinant	sinantur	
	7.	deprehensos	depraehensos. *Et sic alibi*.	
	9.	Stobis	Sto[d]iis	
		D.N.	*deest*	
	10.	U.C.	*deest*	
Leg. 16.	v. 3.	his	suis	
	5.	prolatum	probatum	P. 25.
		teneatur	teneantur	
	6.	Constp.	*deest*	
Leg. 17.	v. 5.	infacta	infecta	
		dat. III.	dat IIII.	
Leg. 18.	v. 4.	facultates	facultatis	
Leg. 19.	v. 3.	et qui	et si qui	
	4.	haeresis	heresis. *Ita constanter sine diphth. cum deriuatis*.	

(a) Frustra Goth. hanc lectionem turbatur. (b) Ita cod., traiecta linea per *l*. Quare legere licet etiam *Aquileiae*. Certe *Aquila* improbatur a Goth. (c) Frustra Goth. hanc lectionem tuetur. (d) Ita fere recte emendabat Fornerius. (e) Rarum hunc archaismum iam heic tueri cum Goth. inutile est. (f) Ita recte emendabat Goth. (g) Sic etiam apud Goth.

	et funestis	ex funestis	
	6 Timasio et Promote	*deest*	
Leg. 20.	v. 2. uicinis	uicis (*a*)	
	5. latiora (*b*)	latentiora	
	dat. XIIII.	dat. XIII.	
Leg. 21.	8. ac uilitate	hac uilitate	*P.* 30.
	cum illud	tum illud	
	9. dominica	domina	
	dederit	dediint	
	11. repertos	reppertos	
	12. usurpare	usurpat s	
	14. Arc. III.	Arcadio Aug II. *Ita uult Goth.*	
Leg. 22.	v. 1. Idem AAA.	Impp Theod et Honor. Aug. cons. (*c*)	
Leg. 23.	v. 5. Idem AAA.	Impp. Arcadius et Honorius Aug.	
	v. 3. genitoris	genitores	*P.* 47.
Leg. 52.	v. 11. executori	exsecutori	
	15. subsequetur	subsequitur	
	23. Ru.	Rau.	
	AA.	*deest*	
Leg. 53.	v. 3. coerceri	cohereceri. *Ita et alibi.*	
	5. insulam	in uam (*d*)	
	ceteris	ceteros	
	8. uetita	uefitata	
Leg. 54.	v. 2. haereticos	Eritocos (*e*)	
	3. percelli	percelsis	
	quatenus	quatinus	
	praeceptione	p ecceptioni	
	v. 5. habere	habere contractus (*f*)	
	a coetibus	coetibus	
	v. 15. succinctus	subcinctus	*P.* 40.
	obseruantiam catholicam	ob ruata catholica	
	v. 21. aceruius	acerbius	
	23. libras soluat argenti	argenti libras soluat	
	decuriones	decurionis	
	27. tantam pensionem	tantum pensione	
	31. referetur	referatur (*g*)	
	38. inlatione	inlationem	*P.* 33.
	39. n lucrint	uolucrint	
	42. parte	partem	
	quae huiusmodi	quae ex huiusmodi	
	43. largitiones	largitionis	
Leg. 55.	v. 3. ea quae	eaque (*h*)	
	perire debet	parare debit	
	5. Rom.	Romae (*i*)	
Leg. 56.	v. 2. haeresis	heresi	
Leg. 57.	v. 1. PP. II.	PPo.	
	et execrabilia	exsecrabilia	
	10. ablegandos	obligandos	*P.* 40.
	11. eorum nunc extant	eorum propria nunc extent	

(*a*) Hanc praeclaram lectionem habent quidam apud Goth. in adnot. (*b*) Probabilis haec lectio uidebatur Gothofredo, qui tamen et *latentiora* suspicatus est. (*c*) Ita emendabat Goth., et ita est in cod. etiam seq. constitut. (*d*) Recte se habet lectio *insulam*. Ceteroqui de *insua* superius p. 6. not. n. (*e*) Lectionem quidem *haereticos* sollicitabat merito Goth. Superest tamen quaerendum quinam sint *Eritoci*. (*f*) Ita recte intelligebat Goth. (*g*) Male Goth. *referentur*. (*h*) Frustra Goth. nihil immutandum censebat.
(*i*) Ita explicate in cod. Frustra igitur Goth. corrigebat *Rau.*, putans in mss. fuisse *Rum.*, id quod male lectum fuerit *Rom.* pro *Rau.*

	12. orthodoxae sectae	ortodoxae rectae	
	15. ac	adque	
	16. Honorio X. et Theod. VI. AA. conss.	conss. *tantummodo*.	
Leg. 51.	v. 1. PP. II	*deest*	
	2. clericorum	*deest*	
	2. in quas (*a*)	in quebus (*corr.* in quibus.)	
	4. claruerit	fuerit	
	5. indultae fidei	indulta fide	
	temere	e (*corr.* et) temere	
	14. dogmatis uel creari. Confirmatis itaque	dogmatis. Itaque	
	14. uoluntates	uoluntatis	
Tit. 6. 4.	v. 21. probetur	prodeatur (*b*)	P. 48.
	iusta etiam praesentiam	iusta etiam per sententiam (*c*)	
	22. notauit	notabit. *Ita etiam Sirmondus*.	
	24. praediorum	*deest*	
	coerciti	cohercitos	
	27. his	hiis	
	34. a supradictis	ex supradictis sectis (*d*)	
	35. propria permixtione	propriam permixtionem	
	36. testandi	testantur	
	uerum adipiscendi	uel ad adipiscendum	
	38. reuerendo aduersus fidem consilio	reuertendo ad ueram fidem consilii (*e*)	
	39 constringit	constringet (*f*)	
	40. conibentiam	conhibentiam (*g*)	
	41. huiusmodi	huiusce	
	consensum putauerint	putauerint consensum	
	commodandum	commodauerint	
	45. Stilicone-Antemio	Stilichone-Anthemio. *Et sic alibi*.	
	v. 1. Adriano	Hadriano	
Leg. 5.	2. pollutam	polluta (*h*)	
	deest	uel Montanistarum	
	secreta (*i*) uiolarent	secta uiolaret	
	4. cetera	certa (*k*)	
	homines poena	poena homines	
	6. si qui	siquis	
	rebaptizasse	rebaptizare	P. 49.
	8. Rauennae Stilicone et Antemio coss.	Aug. conss.	
Leg. 6.	v. 1. PP.	P U.	
	2. abripiat	adripiat	
	3. coeno	caeno	
	profanatarum	profanarum (*l*)	
	4. fidam (*m*)	fidamus	
	ut prauae	prauae	
	6. renouari	renouare	

(*a*) Hanc antiptosim tuebatur immerito Goth. (*b*) Ed. Sirmondi *prodetur*. Immerito autem Goth. tuebatur *Probetur*. (*c*) Ita recte ediderat Sirmondus; sed idem *iustam* pro *iusta*; quod postremum tuetur Gothofredus. (*d*) Ita etiam Sirmondus; et non idem *permixtionem*. (*e*) Heic quoque cod. congruit cum Sirm. et recedit a Goth. (*f*) Ita uolebat etiam Goth. (*g*) Tit. 5. 21. 4 frustra Goth. pro *cohibentia* uolebat *continentia*. (*h*) Lectio praeclara. (*i*) Pessima lectio. (*k*) Immerito de hac lectione ambigit Goth. (*l*) Ceteroqui et lectionis *profanatarum* uestigia sunt in cod. (*m*) Goth. explicabat *confidam* propter uocabuli ambiguitatem; quae nunc dissipata est.

8. qui	quia
10. et	est
11. potiores	potioris
14. in saeculis (a) dicta	diem saeculis
15. proscriptio	proscribtio
16. delictum	delicto
18. pene	poenae (*corr.* paene)
19. dat. XII.	dat. XIII. (b)

LEGIS BURGUNDIONUM FRAGMENTUM

e palimpsesto vaticano cum supplementis ex editione Amadutii.

Tit. 28. v. 7. Quod si frater defuerit, *mater (c) et filiae quantae* fuerint aequales capiunt (d) *portiones* *secundum spec*iem Pauli libro quarto (e) de intesta*torum successione* ad senatus consultum *tertullianum* (f). Palimpsestus uat. P. 46. a.

Tit. 29. Siquis caballum ligando ei *os aut scindola uel* per pannum rubium eum ita tur*bauerit ut pereant,* si factum suum non (g) negauerit, *simbla hoc satisfac*tione conponat; si negauerit *et conuictus fuerit,* dupli (h) secundum (i) legem a Aquiliam, qua in*efiantes duplum te*nentur.

Tit. 30. Nequis omnino exequi prae*ceptionem praesumat* nisi per principes appara*torum* (k) *offitii probato*ria ordinatus, et ab hiis quo*s conueniunt si ad* praeceptionem Dn. reges (l) de causis *singulis seu diuisis et* in unum consortes qui pulsati *fuerint teneantur non amplius* ab executoribus quam solidum (m) in *sportola requiratur*. Hii uero qui conueniuntur quos (n) *consortis habent et* in principio lites (o) nominare (p) *debebunt, ut et ipsi* conuenti audientiae tempore dee*sse non possint* e . . . Agrorum uero consortes si *diuisas in uno* agro portiones habent (q) quod *quicumque in agro ipso* possedit assis (r) singu*lorum ei* facti. Ipsi etiam apparatores . . . a suscepto offitio *discedere non licebit* nisi uacationes *benefitium a principe offitii* consequantur

Tit. 31. *De inscriptione temporum constat legibus* constetutum ut tricennalem *constitutionem in* haereditariis causis in repe*titione legatorum* in pecuniariis id est cerografis (s) *hoc est uiuentum* cautionibus de repertis *fugiuis aduersus* fisco uel pro fisco (t) uel *inminutione* uel notistia (u) *testium testamenti custodiant* iudicantes. Reliquae uero *causae in expressu* mitarum suarum terminus *finiantur, id est de inoffi*ciosis testamentis, *de inmodicis donationibus*, hoc (x) ubi falcidia filiis *non seruantur* intra quinquennio debiit (y) *et proponi et peragi* de numerata (z) pecunia. De *seruitutibus uero* superiore titulo conprehen*sum quid quali*ter iudices debeant obseruare. *Siquis duas centisimas* pro cautione sibi *stipulare* fecerit aut fieri pertulerit etiam *eius pecuniae quam praestetit* amissione multahe*tur secundum legem* theudosiani de usuris intra *annum criminalem quaes*tionem, et proponet debeit *finiri secundum legem* nouellam uel diuersorum *auctorum constitutiones* (a) quae sunt per tetolus *superius indicatae*. P. 45. b.

Tit. 32. *Falsarios pro magnitudine* crimines *arbitrio iudicis aut* multari aut deportari in *exilium constitutum est. Hoc* etiam de illis *qui obiectam falsitatem probare* non potuerint *obseruandum secundum legem theu*dosiani quae de falsariis ad legem Corniliam data est (b).

Tit. 33. Actorem (c) cuiuscumque negotii, id est petitorem, iudicem suum interpellare debire, nec eum qui pulsandus est, longius trahere. Et (d) pulsatus in eius audientia respondeat, ad cuius sententiam conuenitur; sic (e) tamen in eius territuriis possessor esse cognoscitur. Quod si in eius territurio nihil possedit, tun dimum (f) a pulsati iudice audiantur. Quod si audientiae tempus, quaelibet pars appell*ans* ad principem appellare (g) dilibe*r*at, iudecare iudeces non praesumant. Appellationes sana (h) tempora haec sunt ut pen*dentes* (i) sententia quisque P. 44. a.

(a) Frustra Goth. intelligebat *in saecula*. (b) Ergone male Goth. in chronologia aiebat scribendum esse IIII? (c) Supplementa scribuntur inclinatis litteris. (d) Am. *accipiunt*. (e) Am. *III.* Sed Berol. *IIII.* (f) Deest *tertullianum* in ed. Amad. sed adest in Berol. (g) *Non* immerito abest ab Am. (h) Am. *duplum*. (i) Ita cod. (k) Am. *apparetorum*. (l) Am. *regis*. (m) Am. *solidus*. (n) Am. ei *quos*. (o) Am. *litis*. (p) Am. *nomena*. (q) Am. *habeant*. (r) Am. *assis*. (s) Am. *cyrographis*.
(t) Praeclara lectio *uel pro fisco*, quae nulli fortasse editioni cognita est. (u) Am. *notiam*. (x) Am. *hoc est*.
(y) Am. *quinquennium debeii*. (z) Am. *numera*. (a) Codex noster accedit ad ed. Berol. (b) Hunc uersiculum habes in aere incisum in specimine. (c) Am. *auctorem*. (d) Am. sine *et*. (e) Am. *si*.
(f) Ita cod. (g) Am. *prouocare*. (h) Am. *sane*. (i) Die. *pendente*.

appellare uolnerit, intra dies quinque per libellus, id est data petitione, appellit contestans se (a) audientia principis prouocare. Ceterum praesentibus partibus secondum leges data et relicta (b) sententia postea non poterit reuocare (c). Iudicii (d) queque neque suam neque sententiam leceat refragare; quia hec (e) discussio soli principi reseruatur: quia legum est letigia sententiis uel transactionibus terminata non posse iterum reuocare.

Tit. 34. *Qui* res proprias agnuscit, necesse est qui ei de *manu tollat* aut aliquid (f) causationes opponat, res suas praesumendi habiat liberam potestatem. Quas si postmodum male aut agnouisse aut praesumpsisse conuincitur, res male praesumptas dupli satisfactione restituat.

Tit. 35. In uindendis et emendis contractibus hic ordo seruandus est (g), ut quisque (h) rei (i) iures uindiderit repetendi eam postea (k) non habiat potestatem. Uinditionem (l) uero ex hoc maximae ius firmitates accepere, si, traditione celebrata, possessio fuerit subsecuta. Si uero post possessionem dierum aut mensium praecariam fuerit subsecuta, ut ille (m) iterum rem uideatur possidere qui uindedit, documenti professio et (n) firmitatem praecariae possessionis opponat (o). Quod si quis male uindedisse fuerit adprubatus, empturi in duplum et (p) meliorate rei teneatur obnoxius. Fructus enim male fidei possessor post conuintionem duplus ante simblus ex lege (q) praestauit secendum legem theudosiani uel sententias Pauli. Res uero quae petentur (r), aut de quibus iam actio praecessit, aut de quibus litegatur nec uindi nec donari possunt, nisi forte aut dominus aut procurator lites quicumque mandatum (s) fuerit institutus (t). P. 444.

Tit. 36. Tutures (u) legitimi agnati sunt, id est (x) per uirilem sexum a paterna linea uenientes: quia (y) tutellam post quintum decimum aetates annum uocantur; fratres (z) primum, patrui, fratres patruelis, hoc est aui paterni fratres uel filii eorum, per uirilem sexum, ut dictum est, uenientes, quibus omnino (a) mater si (b) tutelam suscipere uoluerit licitum, et (c) praeponitur. Sciendum tamen quod agnati sicut ad successionem sic ad tutillam uocantur. Pupilli uero post impletum quartum decimum annum curatores sibi ipsi petere debebunt.

(a) Am. *se ad*. (b) Male legit Am *selicta* (c) Male Am. *prouocare* (d) Am. *indici*. (e) Ita cod. (f) Am. *aut aliquas*. (g) Am sine *est*. (h) Am. *si quis*. (i) Am. *rem sui*. (k) Am. *nunquam*. (l) Am. *uinditione*. (m) Am. *illi*. (n) Am. sine *et*. (o) Am. *obteneat*. (p) Am sine *et*. (q) Am. *legibus*. (r) Am. *repetuntur*. (s) Am. *per mandatum*. (t) Sequuntur alia apud Amadutium, nempe uersus octo. (u) Ita cod. (x) Male legit aut scripsit Am. *idem*. (y) Ita et Am. Sed dic *qui ad*. (z) Am. *hoc est fratres*. (a) Am. *hominibus*. Cod. *omo*. (b) *Si* abest ab Am. (c) Am. *liceto*.

CODICIS THEODOSIANI SUMMARIA QUAEDAM
E PERVETERE CODICE.

Lib. IX. tit. 2. Leg.

1. Senatorem macula non foedari nisi probationis uiribus fulciatur.
2. Iubet nullum damnari spectabilium accusatorum per prouincias, sed principi de eo referre uel clarissimorum.
3. Praecipit nullum retrudi carceri sine conuictione et sine inscribtione. Eadem (a) actorem, si non docere maluerit, poenam mansuram. Etiam praecipit praesente iudice spatium XXX dierum accipere in ordinanda domo sua. Aduocati defensionem accipiens pari utroque id est actorem cum reo custodia teneat.
4. Praecipit nullum praesentari iudicio accusatum, nisi de quo iudex praecepit.
5. Defensor ciuitatis, uel curator, uel magistratus reos in custodiam non mittont; sed acta confecta sub prosecutione certa cum accusatore iuci demandare.
6. Similis tertiae. Haec praecipit ut siquis accusatus iussione iudicis ad iudicium deducitur auxilio (b) curialium confessione extracta XXX dierum indutias acceptas sub diligenti custodia mandari. Adicit etiam ut si uelit hanc humanitatem oblatam suscipere, conseruantur minus ut una cum accusatore mandentur.

Tit. III. 2. Nullum sine delicto carceri detrudendum nisi de quo manifestatio facta fuerit. Et rursus qui custoditus fuerit iterum in publico praesentetur, ut commemoratio perpetrati criminis in conspectu omnium fiat.
4. Iubet accusationem (c) custodiae mandari nisi actor fecerit inscriptionem. Similis XVIIII tituli primi. Nota apud uicarium inscriptionem agi.
5. De commentariensi. Commentariensem curam habere personarum, et si elabore fuerit de carcere eundem reum pena multari. Quod si fugerit commentariensis, ipsius adiutor (d) subrogetur.

(a) Ita cod. pro *eandem*. Grammaticae nimirum regulae in his summariis seu scholiis haud raro uiolantur; uti reapse usuueniebat in rustico sermone. (b) Ita cod. (c) Ita cod. (d) Cod. *adiutur*, u pro o. Sic interdum et alibi, et uice uersa.

6. Similis XVIII primi tituli. Ex hoc inserit ut commentariensis et nomina personarum et crimina intra XXX dies dinumeret.

7. Omni die dominica reos carcere educendos (*a*).

Iubet iudices ut dominicorum diem (*b*) reos discutiant, ne eis humanitas denegetur. Etiam eos sub custodia lauare iubet.

Tit. VI. 2. Contraria superiori titulo.

Tit. VII. 2. Iubet nullum accusare mulierem nisi consanguineus suus, idest frater uel pater: et dicit non solum coniugem ulcisci in uxore (*c*), sed etiam suspicione damnare.

3. Hic de sodomitis loquitur.

4. Commemorat ut dum adulterii causas (*d*) perquiruntur, si domi fuerit familia omnis quaestionari; siue dum unus de coniugibus alio aut parauit aut dederit uenenum.

5. Proibet iudeum christianam coniugem accipere.

6. Simile terciae de sodomitis.

Sodomitae flammis tradantur.

7. Praecipit in accusatione criminis exceptionem dotis abesse, sed discuti diligenter: et cognita ueritate momentum mulier dotis accipiet accusatione uiri confusa.

8. Qui uerbi gratia cum uxore fratris adulterio fuerit accusatus ... inuicem esse proxi ... defuncto fratre in nubtias coierint, tamquam ostensi seuerissime puniendos.

Tit. IX. 9. Quicumque accusatus adulterio forum mariti uitauerit, non eludet; sed ibi ubi est accusatus auditur.

leg. 1. Praecipit ut mulier ingenua seu nobilis quae se seruis coniunxerunt legibus puniendas, nec eosdem dici liberos quos genuerunt, quibus turpitudo materna uel paterna dedecoris ulalus inflixit.

Commemorat ut si uterque mortui fuerint, sint fili a culpa liberi et liceat eis in successione parentum ad hereditatem uenire. Hoc Antestius legis sanctionem post constitutionem iubet occidi.

Tit. X. leg. 1. Quicumque docetur in iudicio uiolentiam fecisse, non prouocatione aliqua se liberari confidat, sed capitali sententia puniatur.

2. Si quis fines alienos ingredi cupiens uim fecerit domino possidenti, capitali sententia percellatur.

3. Iubet nullam possidenti uiolentiam inrogari sed conuentione iudiciaria uti: ita tamen, ut si probauerit suam esse rem, unus ex ipsis possideat sin autem actor, poenam, quam reo opponebat, excipiat. Quod si possessorem ui deiectus esse cognita reparationis auxilium accipiat.

4. Admonet ut si qui seruorum uiolentiam possidenti fecerint, poena esse multandos, si inscio domino. Quod si praesente domino ui metuque conpulsi, dominus infamiae macula polluatur; seruis in metallo damnatis. Ipsum uero iudicem pari feriri sententia, qui probatum aput se facinus conibitione interposita ulcisci desierit.

Tit. XI. 2. Alibi; nec est contraria superiori.

Tit. XIIII 1. Hic de mulieribus loquitur, quae paruulos infantes occidunt, uel de uiris.

2. Hic ordinat, ut quicumque repertus fuerit per noctem latro in agro alieno ab agri domino interficiatur, siue obsidionem faciens, antequam per *latronem* perimatur.

Eadem censura uoluntatem et effectum sceleris puniri debere.

3. Praecipit ut hi siue inlustres siue spectabiles seu clarissimi qui cum barbaris uel militibus communicant in innocentum perditione consilium, capitali feriri sententia: filios ab hereditate mares expelli, filiabus de bonis maternis falcidiam tantum accipere: et qui nuntiauerit consilium ante perfectionem sceleris, et honore donari et munere. Qui uero tardius tantum, meretur absolui. Simili modo de eorum conplicibus placet.

Similis infra tit. X VI ad legem iuliam de ambitu const. 1.

Tit. XV. 1. Parricidas insui culleo mandat.

Tit. XVI. 1. Ordinat in aruspices proibere, et siqui cum eis societatem faciunt, proscriptis in insulam deportari.

2. Similis superiori sed hic addit dicens uel qui eis ministrauerit. Sed hoc in ri (*e*) siue dixit ut templa conducta publica secundum ritum pristinum sacrificare.

3. Duo hic capita proposuit, ne contra hominum salutem aliquid moliantur, aut castas religione ingenuas hominum mentes ad adulterii pollutionem inuitas adducant.

(*a*) Hanc particulam incidendam curaui in specimine. (*b*) Ita cod. (*c*) Vel *in uxorem*. (*d*) Ita cod. (*e*) Ita cod.

Hactenus delibare summaria e peruetusto codice placuit.

INDICES

Fragmentorum vaticanorum iuris civilis.

I. IURISCONSULTI.

II. IMPERATORES.

III. CONSULES.

(a) *Symmachus hic avus vel abavus Symmachi oratoris fuit.*

*

IIII. PERSONAE.

Personae fictae.

(*a*) Alexandriae *feminae extat inscriptio cum protome Veliteis, teste cl. Clemente Cardinalio in nupero perdocto opere inscriptionum veliternarum n.* XLIII. *Neque est cur quisquam credat legendum esse* Alexandra ; nam et Graecia *mulier legitur in cod. iust.* IIII. 51. 2. (b) *In inscriptione veliterna* XL. *op. cit.*

V. DIGNITATES SEU OFFICIA.

VI. URBES

in subscriptionibus.

VII. RES ALIQUOT NOTABILIORES.

VIII. LATINITAS.

VIIII. ORTHOGRAPHIA.

ADDITAMENTA ET EMENDATIONES.

P. 6. n. d. *Adde*. De alterius consulis omissione non infrequenti in subscriptionibus loquitur Zirardinius ad novell. p. 255. sqq.
14. v. 13. kapitis *corr.* kapitis.
v. 4. *a fin. corr.* ususfructus.
18. v. 11. *corr.* sententiam.
23. v. 12. *corr.* un fr.i.
25. v. 21. *corr.* iudicio.
25. *corr.* accepit.
27. *marg. p.* 99. b. *Adde notam*. Sequentes paginae duae mutilae inscribuntur tantummodo *de re uxoria*; rectene an secus, non iudico.
32. v. 22. *adde notam*. Confer infra p. 42. v. 3. a fin.
34. v. 6. *corr.* iudicium.
35. v. 5. potiorem *corr.* potiores.
36. v. 2. *a fin. corr.* sextertia.
40. v. 7. *corr.* agunt.
41. v. 4 *corr.* cognationis.
50. *dele notam e.*
61. v. 24. lege *restitui*.

Q. AVRELII SYMMACHI V·C

NOVEM ORATIONVM

PARTES

CVM ADNOTATIONIBVS.



Symmachi palimpsestus bobiensi-ambrosianus

Q. aur. symmachi. v.c. laud. in valen. sen. aug. I

Symmachi palimpsestus bobiensi vaticanus

S. Hilarii codex in tabulario basilicae vaticanae

Codex theod. in palimpsesto bobiensi-vaticano

Scholia — *Lex Burgundionum in palimpsesto bobiensi-vaticano*

omnibus die domi
nica reversi con
... diacono

·Q· AURELII SUMMACHI ·U · C· [a]

LAUDES

IN UALENTINIANUM SENIOREM [1] AUGUSTUM I [b].

ARGUMENTUM.

Hac priore acephala laudatione commemorat primum Symmachus Valentiniani pueritiam atque adulescentiam, qui in pluribus mundi plagis cum Gratiano parente apud exercitum versatus fuerat: vices eius sic fortuna moderante, ut notitiam totius orbis mature nancisceretur, qui futurus erat omnium dominus. Exin breviter laudatur Gratianus pater ob sobolem ad tantum culmen apte educatam. Obiter etiam mentio fit iunioris Gratiani Valentiniano geniti, qui admodum puer Augustus creatus est. Hactenus primum folium mediolanense. Exin post unius folii hiatum locus est vaticano fragmento foliorum duorum continuorum, in quo primum loquitur orator de militari quadam seditione, ex qua Valentinianus adhuc privatus evasit incolumis: quam rem inlustrat Marii exemplo, cui Minturnis capto pepercit immissus percussor. Sublimiore deinde ingressu, multoque ingenii acumine utens, describit Symmachus Valentiniani inviti ac reluctantis ad imperium evectionem in comitiis militaribus. Haec paulo fusius in sequentis amissi folii spatio prosecutus fuerat orator; itemque dixerat de Valente fratre ad imperii societatem adsumpto, cuius narrationis pars in secundo folio mediolanensi superest. Iam quum fratri Valentinianus regiones orientis regendas commisisset, ipse in Gallias ad continendas Germanorum irruptiones se recepit: ibidemque sub pellibus, barbaro in agro, caeloque inclementi, tuendi imperii causa diu versatus est. Interim rebelles in oriente motus (duce nempe Procopio) extitisse ait orator, qui quum citius reprimi possent a coniunctis utriusque imperatoris viribus, noluit tamen Valentinianus, rebus Germaniae nondum compositis, in orientem signa transferre. Adlocutiones etiam innuuntur, quibus exercitum suum Valentinianus ad bellum potius germanicum quam civile persequendum hortatus est. Tum et ipse Valens breviter commendatur, qui parta de perduellibus victoria non est crudeliter usus. Laudatur denique civilis administratio Valentiniani, qui fugato

a In codice scribitur saepe *Summaci*, raro *Summachi* (quam nos postremam emendatiorem lectionem sequimur); numquam uero scribitur *Symmachi*. Scripturam huius nominis per *u* et sine *h* diserte confirmat inscriptio nuper detecta Romae, nostri oratoris consulatum habens: *Ti. Tatiano et Quinto Aur. Summaco uiris clarissimis ego Zita locum* etc. Eadem aetate scribebatur *Porfurius*. (Legesis arcadicum diurnale an. MDCCCXXI. mense octobri p. 93 - 94.) Nimirum quum *y* pronunciaretur *u* (qua de re Cornutus et Papirianus apud Putsch. p. 2286, 2292.) facile contigit ut scriptura saepe cum pronunciatione congrueret. Notandus etiam titulus *uir clarissimus*, (non *uir consularis*) qui in codice nostro significatur siglis *u.c.* Et quidem apud Augustinum ep. 182. 183 modo scribitur explicate *uir clarissimus*, modo *u.c.* Item Iulii Valerii, qui de Alexandro scripsit, titulus in ambr. codice est *u.c.*, in taurinensi *u.cl.* Diserte uero grammaticus quidam apud Putsch. p. 2775 ait: *u adiuncta c, cum uirga iacente superposita, uir clarissimus*. Fuisse autem hunc titulum senatorii hominis, nemo non nouit. *b* Sic in codice apponitur nota numeralis non uocabulo *laudes*, sed post *Augustum*, in summis membranarum oris: et tamen nota pertinet ad uocabulum *laudes*. Illud etiam moneo, capita scilicet orationis carere quidem in codice nota numerali, sed relicto ampliore spatio satis indicari.

1 Idem dicitur *maior* ab Augustino de C. D. XVIII. 52; *magnus* autem a Nicephoro in chronographia.

ambitu dignitates virtuti tribuendas curaverat, ac felici concordia togatos magistratus cum sagatis ordinibus implicuerat.

Plane autem mihi persuadeo hanc priorem laudationem dictam esse a Symmacho in primo lustro imperialium Valentiniani annorum. Nam lustrum quidem peractum memorat infra orator. Id autem contigit anno post Ch. N. CCCLXVIII *in secundo Valentiniani consulatu. Iam laudationem alteram (quam mox subiungemus) recitavit Symmachus in Valentiniani consulatu tertio (ut ex ea lecta cognoscitur) id est anno Ch.* CCCLXX*; sequitur ergo ut hanc priorem recitaverit anno vel* CCCLXVIII *vel* CCCLXVIIII. *Sed illud probabilius propter quinquennalium celebritatem et ipsum Augusti secundum consulatum. Accedit, quod apud Graecos Themistius in quinquennalibus Valentis, anno nempe eodem* CCCLXVIII, *recitavit Marcianopoli eam orationem quae in editione harduiniana octavum locum obtinet. Eadem igitur de causa eodemque anno apud Latinos Symmachum in castris gallicis recitavisse hanc laudationem coram Valentiniano arbitror. Erat autem eo anno plane iuvenis Symmachus, quod constat ex Ausonio (in epistulis symmachianis lib. I. 32.) qui ait Symmachum secutum esse tyronem castra, et quidem, ut docebit laudatio altera cap.* VI, *Valentiniani. Quare et oratio iuvenili vigore exsultat et floret.*

. . I. ITEM totius orbis est indegenae [a]; alibi fructum lucis, alibi usum laboris indepti. An non ipsam quoque Africam iure patriam tuam dixerim, quae te prima in contubernio parentis edocuit [1] qualis [b] princeps esse deberes [c] [2]? Nec umquam te existimes aliis militasse futurus Augustus. Sibi quaesiuit quidquid ante defendit, seruabit [d] tenera aetas quod regeret matura felicitas. Ibi primum tolerans solis et pulueris esse didicisti [e], cuius dudum cunabula Illyriae niues texerant [3], qui caesam glaciem paulo ante potaueras. Ita ueluti ad alia elementa translatus arentis Libyae [f] sitim patientia [g] temperabas. Prosus [h] quasi ad [i] ipsius mundi gubernacula destinatus, mutando uarias caeli plagas usum tibi omnium cardinum uindicasti. Merito non potest hodie obesse prouinciis tam longa absentia tua, quas tuetur pri-

a Ita cod. *indegenae*: Est autem mira scriptura symmachiani codicis, et perfrequens litterarum praesertim uocalium inter se commutatio. b Cod. *quales*. c Cod. *deberis*. d Ita cod. pro *seruauit*. e Cod. *dedicisti*. f Cod. *Lybiae*. g Cod. *patientiam*. h Cod. *pronsus*, tum factum *prosus*, antiqua orthographia pro *prorsus*. i Cod. *ab*.

1 Gratianus Valentiniani pater post dignitatem protectoris atque tribuni (ut narrat Ammianus Marcellinus lib. XXX. 7.) comes praefuit rei castrensi per Africam. Iam Valentinianum pluribus esse uersatum in bellis ante initum imperium narrat Zosimus hist. III sub finem. Meruisse in Gallia sub Constantio et Iouiano testis est idem Ammianus XVI. 11. XXV. 10. Contra Persas autem ab eodem Constantio missum ait Philostorgius VII. 7.

2 Sic fere loquitur de Traiano Plinius pan. cap. XV, et de Constantio Iulianus orat. I. p. 5-6.

3 Valentinianus natus creditur apud Cibales, quod dicunt Pannoniae oppidum Ammianus XXX. 7. aliique, sed a Symmacho tribui uidetur Illyriae.

ma notitia [a]. Similior [b] princeps est Deo pariter uniuersa cernenti, qui cunctas partes nouit imperii.

II. " Si litteras, inquit Tullius [1], graecas Athenis non Lilybei [c], latinas Romae non in Sicilia didicisses "; uidelicet ex locorum ingeniis adprobans ea nescire Caecilium, quae eum dicit ubi innata non erant adsecutum [2]. Sola est enim disciplinarum magistra natura regionum. Tibi ardores Getuliae aestiuam consuetudinem: tibi Illyriae pruinae brumalis horroris [d] tolerantiam tradiderunt: genitus in frigoribus, educatus in solibus, ante fortunae munera totius mundi exempla sumpsisti. Quare seu in Aethiopas atque Indos, contra externum militem solo calore munitos, felicia signa contuleris; frustra ad aestuantes recessus ac torrida astra confugient. Cito enim terrarum talium dominus eris, qui uim siderum non timebis. Seu in scythia regna frigentia Tanainque glacialem fines ponticos proferre censueris, ibi quoque naturam patriae recognoscens, fugaces incolas per dorsa fluminum consequeris. Uicisti experientiam singulorum qui habes omnium. Priuatae hoc industriae tuae debeo quo die dignum reddidit principatum [e]. Cum tantum munus acceperis ut nihil tibi possit adici, tantum meriti pertulisti, ut nullum praemium tibi debeat inputari.

III. Meruisti quondam, inclute Gratiane [3], meruisti ut de te sacra germina pullularent, ut esses seminarium principatus, ut fieres [f] uena regalis. Erudisti liberos, parentes omnium mox futuros: in quos tantum frugis bonae institutio priuata congessit, ut fortuna hodie clarior nil requirat. Hinc factum est, quod primaeuum nepotem [4] castrensia decreta legerunt. Cum familiae uestrae natura promitteret, ut cautela patris in puero nil timeret, cur tardaret aetas quem tot exempla generis [5] adserebant? Praeiudicata bona in examen uocare *non interest* ....

a Cod. *notia*. b Cod. uidetur habere *simillior* aut *similiter*. c Ita cod. sine diphth. d Cod. *errores*. e Ita cod. Sed corr. *debes quod te d. r. principatu* H. f Cod. *fieris*, ut paulo ante *deberis*.

1 Diuin. in Verr. XII.

2 Hoc ipso Caecilii exemplo utuntur Hieronymus ep. XLVI. 9, et Cassiodorius uar. VIII. 12; ita ut ad Ciceronem, si minus ad Symmachum, respicere uideantur.

3 Gratianus senior, etsi ignobili stirpe ortus, singulari tamen corporis robore et militaribus gestis uiam sibi ad magnos honores muniuit: eiusque existimatio plurimum ualuit ad Valentinianum filium, qui deinde fuit Augustus, apud principes et exercitus commendandum. Am. XXX. 7.

4 Gratianum iuniorem Valentiniani primogenitum ex Valeria Seuera coniuge, quem pater octennem renuntiauit Augustum in castris apud Ambianos.

5 Nempe aui et patris.

*

PARS INEDITA VATICANA.

IIII. . . . aut licentia [a] poetarum, dearum aliquam dixerim districtos [b] a uitalibus tuis detorsisse mucrones [1]: neque [c] te quadrigis pernicibus diua aurigante simulabo subtractum: nec cauae [d] nubis infusa circa te narrabo uelamina. Sint haec figmenta carminum; nos habeamus exempla fatorum. Haesit ante te maestior rebellis instinctus [2]: et, si mihi credis, Auguste, tibi magis quam sibi timuere dementes [e]. Nec ignorabant hoc ipso crimen suum posse cumulari, quod solum principis [f] socerum dignum caede crediderant [g]: iam nec furoris nomine et defensione [h] purgandi, qui ab alterius nece consilio temperabant.

V. Credamus historiis minora iactantibus, quae ferunt Gaium Marium pressum labe fortunae, obiectu quodam prioris euasisse reuerentiae. Cum secundis, inquiunt, rebus eius in aduersa mutatis, uirum toto orbe uictorem minturnensis carcer includeret, percussoris ictum, qui iussus inruperat, maiestate suspendit [3], quae ei sola restabat; stetit pro sene uetus gloria, nec ualuit carnifex inpia manu ferire, quem necesse habebat agnoscere. Quae, rogo, sunt maiora miracula? ministrum irascentis inhibere, an ipsos qui irascuntur obtundere? Unus, cui parcit, ignoscit [i]; multi metuunt quem tuentur. Iuuenem terror excusat, senem miseratio. In illo recolebatur, in te sperabatur imperium. Non sunt paria [k] exempli utriusque momenta: Mario adhuc supererat fulgor occidui sideris, in te iam radiabat flamma nascentis.

VI. Ecquis est motus animorum uel ordo uiuendi, qui pro uicissitudine temporum et mutatione causarum non aliquando uaria iactatione quatiatur? Fuerit aliquis in pace iucundus, sed idem rebus trepidis parum felix: hunc timuerint factiosi, sed despectui habuere concordes: hunc uiolandum nemo credidit [l], non tamen etiam sublimandum aliquis aestimauit: illi honorem regium decreuit exercitus, sed idem latuit ante priuatus. Te

a Cod. *ligentia*. b Cod. *districtus*, u pro o; ut saepe in huius aeui codd. c Ita cod. 2. manu; at 1. *quae*. d Cod. *canè*. e Ita 2. manu; at 1. *dementis*. f Ita 2. manu; at 1. *principes*. g Ita cod. h Cod. *defensionem*; tum ibidem expunctam. i Ita cod. non *agnoscit*. k Cod. *parta*. l Ita cod.

1 Iliad. III. 363. sqq.

2 Sermo est de militari apud Remos seditione, de qua sic Ammianus xxv. 10: *turbo militaris acerrime concitus Lucillianum et Seniauchum occidit. Valentinianum enim, paulo postea principem, trepidum et quo confugeret ambigentem, Primitiuus hospes tutius amandarat*. Erat autem Lucillianus Iouiani tunc imperantis socer, Valentinianus tribunus.

3 Plutarchus in Mario cap. XXXVIIII.

unum timent rebelles, eligunt iudicantes: quem nemo audax in furore contempsit, nemo consultus in honore praeteriit. Quid interest saeuiat miles an sapiat? ubi ira est, tu solus euadis; ubi consilium est, tu solus eligeris.

VII. Urgeor, Auguste uenerabilis, ut mihi tamquam aliquod lumen astrorum post priuatas exuuias iam purpuratus in oratione [a] nascaris: sentio diuinae lucis adflatum, ut ferme adsolet cum iuuar [b] emicat et mundi splendor aperitur, aut cum solis emergente purpura ruborem ducit aurora. Tandem rogatus exorere [c], sideri nouo similis, quod in rediuiua diei erumpentis officia perfusum sacris undis adtollit oceanus: procedat imperii candidatus insignis suis armis ante quam publicis: nam semper enituit, qui electioni omnium solus occurrit: galea diademate, sceptris pila mutentur: auri praemium ferri labore meruisti. Haec in te mutari sola potuerunt: nam quod spectat ad mores, unum hoc tibi fortuna addidit ut plura curares.

VIII. Excesserat diuus Iouianus e terris ac se inprouiso subtraxerat [1]. Maestum omnium repente iustitium, nec ulla, ut adsolet, murmura factionum: cessabat ambitus, quia dignus extabat. Ecquis miratur non ilico in te conuersa suffragia? nulla causa properandi est, ubi non est suspecta dilatio: et saepe minuit boni facti laudem quisquis ei obesse existimat tarditatem. Ergo seruatus es iudicio multitudinis, ne quis te putaret praeiudicium captasse paucorum. Nihil circa honorem tuum sibi adsumit euentus: ab his imperator electus es, qui deliberarunt. Agimus gratias consilio longiori [2]: sic de te diu tractatus est habitus, ut palam constet quod dignior non sit inuentus.

VIIII. Et iam concilii dies certus instabat: aderat exercitus ex omni robore romanae pubis electus. Digna plane comitia tanti imperii principatu! decernebant liberi, cui deberent esse subiecti. Tibi [d] habe, uetustas [e], redemptas saepe centurias, et gratiosas Quiritium classes, et tribus plerumque uenales. Negotia mandare nesciunt otiosi: emeritum bellis uirum

a Cod. *horatione*; sed mox ibidem *h* deletur. b Ita cod. pro *iubar*. c Duplici sensu praedictum uerbum: uidelicet aut ab *exorior* aut ab *exoror*. d In cod. interpungitur mendose post *tibi*. Confer autem orat. in patres cap. III. e Substantiui nominis uocatiuus casus.

1 Elegans repentini obitus et ingeniosa narratio!

2 Quippe, ut ait Ammianus XXVI. 1, ab obitu Iouiani ad susceptam a Valentiniano dignitatem, *diebus decem nullus imperii tenuit gubernacula*.

castrensis senatus adsciuit: noti testimonio, ignoti suffragio proueuntur [a]. Ubi hic equinus hinnitus persici quondam lector imperii [1], et adfectata ad regnum uia libidine [b] pecudis concubitum gestientis [c]? Qualis ille dominus fuit, de quo inprudens animal iudicauit? Remoue hinc prisca miracula et theatralibus praestigiis digna conmenta. Armati censeant cui potissimum regenda arma credantur. Ars est boni militis ducem nosse deligere. Merito nunc quoque certatim in omnibus parent, libenter obtemperant; neque enim tantum imperio tuo, sed etiam iudicio suo militant.

X. Uellem nunc tecum ciuica expostulare pietate: cur in medium inuitus existi [2]? cur diu obluctatus? cur sero mollitus es? An et hoc maiestati tuae debebatur, ut semper inuictus, in accipiendo tantum imperio uincereris? Periclitati sumus, ne te superiorem faceret excusatio. Maiore beneficio praestitisti coactus adsensum, quam adeptus es probatus imperium: quae res inuitamento omnibus est: nam res p. uehementius delectatur inuitis. Nemo plus dignitati tuae adfuit, quam qui non paruit uoluntati. Stabat ante nobilem candidatum aula uiduata: erat quidem uerecundiae tuae ut repugnares, sed non minus deuotionis ut cederes. Prodest nonnumquam militaris improbitas. Hodie bo [3] . . .

Hactenus pars inedita uaticana.

. . . . . . XI. incredibili prouidentia utrumque conplexus, ne aut in uno spes staret imperii, aut in duobus esset causa certandi [4]. Huc accedit quod cum duo sint in imperio gradus [5], ilico in germanum et pariter contulisti, quod noueras bis posse praestari. Adeo ne gratiam quidem captas, ut a perfectis beneficiis semper incipias. Exigui animi uices munerum partiuntur, tua

a Ita cod. sine adsp. Sic in uaticanis fragmentis iuris *proibere*. b Cod. *libidinem*; sed mox ibidem deletur *m*. c Ita 2. manu, at 1. *gestientes*.

1 Herodotus III. 85. sqq.

2 Testis Victor epitom. XLV: *Valentiniano imperium resistenti oggeritur*. Ipse Valentinianus in concione apud Amm. XXVI. 2 sic loquitur: *exsulto et prae me fero semperque laturus sum nec speranti nec appetenti moderamina orbis romani mihi, ut potissimo omnium, uestras detulisse uirtutes*.

3 Haud longiorem uno folio, nempe duabus paginis, hanc esse lacunam tum ex quaternionis natura tum ex eo patet, quod in sequentibus sermo est de Valente ad imperium sociato, quae res peracta fuit paucis diebus post ipsius Valentiniani comitia.

4 Quum Valentinianus adigeretur ab exercitu ad socium imperii adsciscendum, deliberauit num extraneum an fratrem sibi sociaret (Amm. XXVI. 2. et 4.) Fratrem autem praeoptauit: sic enim nec in uno spes staret imperii, nec in duobus esset causa certandi.

5 Nempe Caesaris et Augusti.

liberalitas desideriis nihil reliquit : maximeque in imperatorem [a] faciendo magnitudinem regiae largitatis minui credidisti [b], si cum insperata concederes, adhuc speranda differres [c]. Ergo Augustum pari iure confirmas. Curasti ne umquam tibi suspectus esset, cui non reliquisti quod ultra optare deberet.

XII. Hinc plerique principum, quos secundos creauerant, quasi aemulos mox timebant. Urget enim potissimum expectatio proximorum : semperque similis inuidenti est, cui superest quod requirat. Nec istud nimium gratiosa aut populari festinatione fecisti : iamdudum cuncta expertus in fratre, quae diu explorantur in Caesarem [d]. Dubitaretur de iudicio tuo, nisi ab inmodicis inchoasses. Statim perspeximus qualem principem legeres, postquam cognouimus quod nihil tibi quasi sollicitus reseruares.

XIII. Siqua inter cognatas caelitum potestates huiusmodi esset aequatio, paribus cum sole luminibus globus sororis [e] arderet : nec radiis fratris obnoxia precarium [f] raperet luna fulgorem [1] : iisdem curriculis utrumque sidus emergeret, pari exortu diem germana renouaret, per easdem caeli lineas laberetur : nec menstruo pigra discursu aut in senescendo [g] uarias mutaret effigies [h], aut in renascendo paruas pateretur aetates. Ecce formam beneficii tui astra nesciunt aemulari : illis nihil est in mundana luce consimile, uobis totum est in orbe commune.

XIIII. Nondum adulta rerum a te gestarum profano [i] monumenta. Iam cedo primitus faciam quod usuuenire nobis in prolixo itinere solet, ubi qui ad destinata [k] properant non omnes obuios consalutant. Ergo in duas curas diuidis orbis excubias : inuictum fratrem reliquens orienti, ipse supra inpacati Rheni semibarbaras ripas raptim uexilla [l] constituens, et prouincias luxu superiorum deditas [m] ueteris ignauiae pudore defendens, princeps creatus ad difficilem militiam reuertisti. Statim itinera, statim proelia [2] : et primus in aciem [n] purpuratus, et regalis aula

a Ita cod. Sed corr. *imperatore* H. *b* Ita cod., ut supra. *c* Cod. *differis*. *d* Num pro *Caesare*? H. *e* Cod. *sorores*. *f* Cod. *praecarium*. Et quidem *precor* ab eoque deriuata constanter scripta uideo cum diphthongo in antiquissimis mss. *g* Cod. heic *renascendo* et mox *senescendo*, quae mihi inuertenda uisa sunt. *h* Cod. *effegies*. *i* Num pro *profabor*? H. *k* Cod. *distinata*. *l* Cod. *uixillas*; sed tamen inferius recte *uexilla*. *m* Num corrigendum *desides*? *n* Num pro *acie*?

1 Sic fere loquitur Mamertinus genethl. Maximian. cap. XIII.

2 Valentiniano nuper ad imperium euecto, Alamanni bellum gallicis Romanorum prouinciis intulerunt, quod sui legati uilibus donis affecti fuissent, et ab Ursacio officiorum magistro superbius appellati. Amm. XXVI. 5.

sub pellibus, somnus sub caelo, potus e fluuio, tribunal in campo [1]. Haec imperio quidem noua, sed tibi cognita. Docuisti magis fortunam regiam quid uirum facere conueniret, quam didicisti ab ea quid imperatores ante fecissent.

XV. An exiguum uirtutis et patientiae tuae specimen arbitraris, quod rerum summa fastigia et romani nominis apicem consecutus, inter tot prouincias partim situ amoenas, partim pace iucundas, aut urbium maiestate mirabilis, aut populorum copiis redundantes, sedem quodammodo in ea parte posuisti qua totius rei publicae ruina uergebat [2]? Tales sibi terras eligunt qui ut subueniant eliguntur. Nondum degustatis imperii bonis, solas difficultates de honore sortiris. Tandiu non tenerent Galliae, si placerent.

XVI. Iactet se punicis Africanus exuuiis, sed diu in Sicilia palliatus errauit [3]. Mithridaticis [a] spoliis Lucullus exultet, sed diu in pontico luxu paene uictor languit [4]. Orientis tropea [b] ostentet Antonius, sed inter aegyptias taedas regio amore diffluxit insano [5]. Illi triumfalis [c] uiri, delicatis [d] negotiis frequentibus occupati, amoena litorum terrarumque opima sectantes. Uis petam proximae aetatis exempla? Ecce Baias sibi Augustus a continuo mari uindicat, et molibus lucrinis sumptus laborat imperii [6]. Tiberius in deuorsoriis insularum [7] natans et nauigans adoratur. Pius otia caietana persequitur [8]. In lycio [e] et academia remissior Marcus auditur [9]. Tibi nullae sunt feriae proe-

a Cod. *mitharidaticis*. b Ita cod. sine diphth. c Ita cod. *triumfalis* et mox *triumfum*. Iam terminatio *is* pro *es* etiam in primo plurali casu mihi saepe occurrit in antiquis codd., contradicentibus licet grammaticis. d Cod. *dilicatis*. e Ita cod. pro *lyceo* habet *lycio*, uti Gellius xx. 5. et Cic. academ. I. 4. et de oratore I. 21. in aliquot edd.

1 Confer quae scripsi ad Frontonem ed. rom. p. 318. n. 3.

2 Symmachus imitatur Ciceronem, qui eadem de C. Iulio Caesare in Galliis degente ait in orat. de prou. cons. xii.

3 P. Scipio Africanus maior quum exercitum in Africam traiicendum diutius in Sicilia instruere uideretur, diffamatus Romae est, tamquam is cum militibus luxuriaretur. *Ipsius* (inquit Liuius xxviiii. 19.) *imperatoris non romanus modo sed ne militaris quidem cultus iactabatur: cum pallio crepidisque inambulare in gymnasio* etc. Idem ait Valerius Max. III. 6.

4 Lucullum item incusatum a senatu quod mithridaticum bellum diutius iusto protraheret; eiusque exercitum publica auctoritate dissolutum narrat Appianus bell. mithr. xc.

5 Apud Cleopatram.

6 *Augustus* (inquit Suetonius cap. xvi) *portum Iulium apud Baias, immisso in Lucrinum et Auernum lacum mari, effecit*.

7 Nempe Capreis.

8 Pii rusticationes memorat non semel Capitolinus in eius uita. Quin et inter eius opera Caietae portum recenset cap. viii.

9 Singulare M. Aurelii philosophandi studium notius est, quam ut documentis indigeat.

liorum : maximeque hoc in Galliis delegisti , quod hic non licet otiari . Tibi nulla necessitas remittit indutias . Lustrum imperialium condis annorum [1] ubi caelo et terris horror aequalis est , sub crassa nube , iugi frigore , feroci hoste , latissima uastitate . Quietem tibi negas , quam ceteris praestas . Inter tot milia laurearum nondum digrederis ad triumfum : et cum sis maior Augustis , delegisti tibi prouinciam , de qua Caesares [2] querebantur .

XVII. Et tu quidem bellico intentus operi dudum ferocis Alamanniae terga uertebas . Sed parte alia fraterni inperii [a] liberam pacem rebellis exul inruperat [3] . Quod cum ad te primum pernices nuntii et fideles litterae pertulerunt , quis non congruum iudicauit ut a caede barbarica in facinus ciuile arma torqueres ?

XVIII. At tu rei p. plus timebas : et inter duas causas hinc intestinam [b] inde finitimam , malebas potentia tua [c] interim frui aemulum , quam longa inpunitate uicinum . Nec ita turpe duxisti plures tecum esse principes , quam terras imperii breuiores . Frustra tunc tibi perduellis motus optauit Alamannia , cui tantum miseriae inuexit conflictus tuus [d] , quantum proeliis debebatur ambobus . Probasti animum constantissimi ducis [e] minus tibi consulendo quam ceteris . Tutior aput te fuit tuus , quam noster inimicus [f] . Non uno igitur beneficio Gallias obligasti quibus pariter a te utrumque delatum est , et sui periculi cura et tui neglegentia [4] .

XVIIII. Quid ipsas contiones tuas et humanis sensibus celsiora retexo conloquia? Huc , inquis [g] , fidissimi commilitones,

a Ita heic schedae ; at alibi m . b Cod. *hi ostentinam* . c Sic corrigitur in codice ; quum antea scriptum fuisset *potentiam tuam* . d Num pro *unus* ? e Cod. *duces* . f Cod. *inimicos* , uetere nempe orthographia . g Cod. *inquid*.

1 De primo lustro seu quinquennalibus Valentiniani recole argumentum .

2 Intellige ipsum C. Iulium Caesarem : et confer Cicer. in oratione praedicta de prou. cons. loc. cit.

3 Procopius cilix , Iuliani imperatoris propinquus , post huius fata primum a Iouiano copiam impetrauit ad suos lares secedendi : mox a Valentiniano et Valente imperatoribus exagitatus , usque in tauricam Chersonesum profugit (Zosim. hist. IIII) : tum et de fide incolarum eius loci addubitans , Constantinopolim clam uenit , ubi rebellione conflata imperatorem se dixit anno Ch. CCCLXV. Sed anno sequente a Valente oppressus poenas sceleris luit.

4 Galliae nobiles urbes legationibus missis Valentinianum , queminus in orientem aduersus Procopium pergeret , exorauerunt : quod si fecisset , Gallia Germanorum incursibus patuisset . Am. XXVI. 5.

aduersum truces populos et Reni [a] feroces indegenas uexilla conferte : hic communis hostis [b] est , ille priuatus [1] : prima uictoriae publicae , secunda uindictae meae causa est [2] : alio bello petitur nostra dignitas , hoc uestra possessio . Quid plura ? contra te suadendo uicisti : tantumqe ualuit auctoritas tua , ut dissimularetur iniuria . Putasses praeceptum tuum parui habitum , siquis te uindicasset inuitum . Quisquam ne neglectum sui postulat ? et deuotionem putat , si se nemo defendat ? En animus maior imperio , sub quo maiestas neglegitur [c] , et eruptio uindicatur .

XX. Quid quod uis ista naturae est , ut ea sint unicuique ad sensum doloris prima quae propria ? nec quisquam , se ipso iudice , inpune laedatur ? Tu in casibus tuis clemens , seuerus in publicis , turpe existimas principi motus odii habere priuati . Merito ergo a nobis amplius amaris , quia pro te minus irasceris . Nescis uti regia manu contra domesticas simultates . Si erubescis tuas iniurias ultum ire , audi , imperator , quod te acuat : nostri inimici sunt qui rebellant .

XXI. Sed illius latronis iustus occasus uenerandi fratris tui laudibus cum ceteris orientis adoreis reseruetur . Unum tamen hoc praelibasse sufficiet , cum diu anceps bellum fuerit , sic uictoriae moderatus est , quasi contra se nemo pugnarit [3] .

XXII. O mira inter uos simililudo pietatis ! Tu nescis ciuile certamen adripere , ille non potest uindicare . Quamquam illa dissimulatio tua non caret honore germani : satis idoneus tibi ad uincendum uisus est , cui auxilium non tulisti . In magna fiducia minor cura est . Merito illi captiuus rebellis in deditionem datus est , merito usurpator tanti nominis oblatus ad poenam [4] . Consilio quippe tui numinis [d] factum est , ut imperio

a Ita schedae *Reni* . At superius cum adspir. Eadem uarietas est in uoc. *Remi* et *Rhemi* pop. Belg. Ceteroqui Varro in Putsch. p. 2286 neget esse adspiranda eiusmodi nomina , ut *Rodum* , *retorem* . b Cod. *hostes* . c Cod. *neglegetur* . d Cod. *nominis* . Sed bene nos emendasse *numinis* , cognosces e Morcellio de stilo lat. inscr. lib. II. cap. 2. §. 1.

1 Effatum hoc Claudii quoque gothici fuit , teste Zonara XII. 26.

2 Valentinianus (inquit Ammianus loc. cit.) *replicabat aliquotiens , hostem suum fratrisque sollus esse Procopium ; Alamannos uero totius orbis romani : statuitque nusquam interim extra confinia moueri Gallorum* .

3 Valentem clementer uictoria usum aiunt oratores Symmachus , et Themistius orat. VII , nec non Libanius orat. de uita propria ed. Reisk. t.I. p. 113. Sic fere uetus inscriptio : *maximo . principi . indulgentissimo . domino . Valenti* etc. Sed contradicunt aperte historici Ammianus XXVI. 9-10 , Zosimus IIII.

4 Procopius a suis proditus et Valenti oblatus capite truncatus est , Am. loc. cit.

udicaretur indignissimus, qui ne hoc quidem meruit, ut ei uidereris infensus [1].

XXIII. Inter has belli artes externosque procinctus, et semper de hostibus nouis [a] nouas laureas, ciuilium rerum nulla cessatio. Possum dicere, fugato ambitu, uirtuti redditas dignitates: nec iam ad honorum infulas opibus uiam patere, sed moribus [2]: castrorum curiaeque parem nunc esse fortunam, cum uideas praetorianas cohortes parere nobilibus, et ante emeritos [b] duces urbana insignia gestare lictores. Togas paludamentis saepe mutamus; armatis trabeas frequenter in*duimus umeris*. . . . .

a Cod. *nouas* bis: quod uel frustra geminatum fuit, uel certe correptum. b Cod. *emeritus*.

1 Hinc fortasse uetus inscriptio: *extinctori . tyrannorum . ac . publicae . securitatis . auctori . d. n. Valentiniano* etc.

2 Ab Ammiano xxx. 9 dicitur Valentinianus scrupulosus in deferendis potestatibus celsis: nec, imperante eo, prouinciam a nummulario rectam, aut administrationem uenumdatam. Eadem fere dicit Suidas uoc. Οὐαλεντιανός. Confer eundem etiam uoc. Μαναίμ. Item Zonaram xiii. 15. Hinc uetus inscriptio: *legum . domino . romanarum . iustitiae . aequitatisque . rectori . d. n. Valentiniano* etc.

·Q AURELII SUMMACHI ·U ·C·

LAUDES

IN UALENTINIANUM SENIOREM AUGUSTUM II.

ARGUMENTUM.

In primis celebrat orator tertii consulatus honorem a Valentiniano Augusto initum. Pergit deinde ad bellica eiusdem Augusti gesta, cuius auspicio Rhenum multis munimentis coronatum et navali ponte iunctum, Nigrum a castris romanis submotum, portumque fluviatilem effectum ait: barbaros uero populos alios proeliis fusos, alios pace et foederibus conciliatos. Denique etiam eloquentiam foro redditam ab Augusto gratulatur: tum quod Gratianum puerum imperii socium sibi Valentinianus adscivisset, id ab oratore ingenioso ac luculenter ornatur.

. . . . I. soluitur pro labore. Fastidium te forsitan caperet [a] iterati praemii et saepe repetendi, nisi nobis consuleres ne uideamur ingrati. Honor tibi summus in uiribus est, honor plenus in moribus [1]. Tuas ueras secures non lictorum umeri [b] sed ceruices gentium ferunt. Reges decreta custodiunt: castella pro fascibus eriguntur. Tu inter obsides uictoris iure disceptans: nam iubens ire quos reddis, et redire quos suscipis. Ambiat licet sacros umeros gemmarum coherentium [c] uelamen opulentum [d], et trabeam consularem discolora serta praetexant; ille tamen ornatus insignior est quem Renus [e] meruit, quem limes accepit [2]. Beneficia tua deuotione mulcere rei publicae [3]. Quae sumis annua sunt, quae condis aeterna.

II. Nolumus, inuicte moderator, tantis negotiis parem non esse mercedem'. Idem tibi praemium plerumque decernitur,

a Cod. *caperes*. b Ita cod. sine adspiratione, quod uidimus non semel etiam in Frontone. c Ita schedae sine diphth. d Cod. *opusulentum*, tum emendatum *opitulentum*: nos damus *opulentum*. e Ita schedae sine adspir.

1 Gloriosum Valentiniani moribus dat testimonium Ammianus xxx. 9 his uerbis: *omni pudicitiae cultu domi castus et foris, nullo contagio conscientiae uiolatus obscenae, nihil incestum: hancque ob causam tamquam retinaculis petulantiam frenarat aulae regalis*. Eumdem ibidem dicit corpore lacertoso et ualido.

2 Valentinianus dicitur ab Ammiano loc. cit. oppidorum et limitum conditor tempestiuus. Tum xxviiii. 6 studio muniendorum limitum flagrans.

3 Nempe sententia uidetur esse: *rei publicae est tua beneficia deuotione mulcere*.

cum a te diuersa praestentur [1]. Si non congruit meritis quod solutum est, honor uincitur non uoluntas. Nam quid tibi adicit consulatus [a], cum felices [b] annos imperii tui de aetatibus nouarum urbium calculemus [2]? Aliorum tempora fastis numerata sunt, uestra uictoriis. Hoc unum tamen rite curauimus, ut in oppidis nuper erectis primum discerent consulem conditorem.

III. Inauguremtur [c] inclutis triumfalia castra nominibus [3]. Fuit euidens causa, qua fasces sumere tertio cogereris: etenim ne magistratus romanos proxime adiuncta terra respueret, ab eo sumptum est principium, qui timetur [4]. Nihil ante [d] prioribus gestis, Auguste, decerpimus, si recentia sola repetamus. Stupeo non minus illa [e] quae comperi, sed haec magis diligo quae probaui. Adque [f] utinam modicum ingenii mei saltem nota conmendem [g]! Adempta mihi est honesta defensio: quae ipse non uideram, uenia maiore laudabam. Quisquis arcana naturae scrutari postulat, te sequatur. Non fluminum meatibus, non obiectu montium, non itinerum errore tardabitur. Omnia aduersum barbaros patent, quae sunt munita pro uobis. Scit bicornis iste uicinus succunbendum [h] esse rostratis, ne ei necesse sit uiam praebere uestigiis. Cui possibile est fluenta contegere [i], ludus est nauigare. Nec arduis locorum obicibus inpedimur. Testis est haec ipsa ripa barbariae, cui altitudo nomen inposuit [5], imis summa cessisse: ascendentem fugere nuper exercitum, qui occurrere per plana potuerunt. Et tu quidem bello uincere maluisses; sed gloriosius factum est, ut ferox natio uideret Alamannia . . . . .

a Cod. *consolatus*. b Cod. *filices*. c Ita cod. cum *is* pro *n*; ac alia eiusmodi in cod. Cic. de rep. et apud Front. d Ita cod. Sed corr. *a te*. e Cod. *illa sunt*; sed enim *sunt* uidetur obtrusum a librario. f Ita cod. *adque*. g Ita prorsus se habet locus in codice. h Ita cod. cum *n* pro *m*. i Cod. *contengere*.

1 Confer quae de repetitis Traiani consulatibus ait Plinius pan. LVII. sqq et LXXVIIII.

2 Turres seu castella in limite imperii quotannis condi iubet Valentinianus cod. theod. XV. 1. 13. Eadem fere cautela utebatur in orientali imperii parte Valens, teste Themistio orat. X. p. 137. ed. Hard.

3 Faciunt fortasse ad hunc locum ea quae dicit interpres a me editus ad orationem Tullii *pro Scauro* (ed. mediol. p 6.) de more apud antiquos ex nominibus fausta significantibus, praesertim belli tempore, auspicia sumendi. Videlicet utriusque Augusti, Valentiniani et Valentis, nomina commoda erant ad omen, ut Valerii apud scholiasten.

4 Ammianus XXX. 8. ait: *ideo Valentinianus merito timebatur, quod et exercitus auxit ualido supplemento, et utrubique Rhenum celsioribus castris muniuit atque castellis.*

5 Altaripa oppidum Nemetum et praesidium ad Rhenum prope Nigri (seu Nicri) confluentem. Hoc in oppido, anno certe ante hunc panegyricum recitatum, uersabatur Valentinianus: ex eo enim emisit legem 4. tit. 31. lib. XI. cod. theod., cui legi ita subscriptum: *dat. XIII. kal. iul. Altaripa, Valentiniano nobilissimo puero et Victore conss.*

IIII. Nec op . . . ciuitatibus obsidentur . Uerum est quod saepe u . . . credidi otium locis . . . haberi qualem te , inhospita regio , nuper inuenimus . Ignaras uetustatis arb[ores] . . si regeis [a] domibus teneretis herb . . . . s indecoram probes f . . . tibi exprobro quod uicta es tum . . . ciis . . mtus pingeris felicior principi meo . . unt quam repetunt . . haec quae . . . re adiunxit , conferantur int . . . patet illuc . . . ncet haec defensa quae capta sunt . Audite quae uera ads . . . gesta nescitis sponte . . tenda et nouos conser . . . nis ad . . . credo . . . quae . . . grauiora . Superat omnem fidem [prope]modum qui contra huiusmodi praestat officium . O pulcra admodum pompa fortunae ! Seruitus misera quodam [b] . . . ruebat . Prospexerant forte finitimi , ne quod sibi relinqueretur , instaurare [c] uictor optaret . Urebant consciam latrocinii nationem quondam romanae coloniae antiqua uestigia , et tituli sceleris proditores . Obsequio reddidit quod norat gladiis uindicandum . Quaeri . . . animus uictoris apparuit receptae urbis reliquias transferentis . Ostendit enim se potuisse reparare quae licebat euehere . Familiare est magnis animis repudiare conpendia . Incaute positam ciuitatem probarat amissio [1] . Ex . . . eam soluimus . . . eram conderemus antiquatas urb . . . runt . . . rpite nam . . . sare . . . neglegenter facta cor . . . condicionem uenit ad . . . ra mittere fateretur se nostra tenuisse .

V. C[unc]ta Gotysiorum [2] [quam uincis] glaebis . . . uena opulentus in[pert]it . . . in ue . . cet exempli . . haec eorum arma populo ter . . . ta est . Nec otiosos ospites [d] . . . us ambitum definitum aut . . . [extre]mitas [e] conpulit breue spatium postulari ; sed quo magis fieret turre [f] conmercium . Didus circumcisi tergoris ausit dedecus emptionis : tibi succumbunt regna , non ueneunt . Nec urbium tuarum fata trutinata sunt . Sic omnia ingrederis , quasi ad propria reuertaris . Non ferro pellimur , non auro aut aere fraudamur . Idem metus auaritiam cohercet

a Ita cod. pro *regis* uel *reges*. b An *quondam*? c Cod. *instauraret*. d Ita cod. sine adspiratione. e His locunis quarti et quinti capitis foedantur paginae codicis prope duae. f Nam *turpe*?

1 Confer Ammianum xxviii. 2. Fortasse enim innuit Symmachus munimentum , cuius constructionem trans Rhenum a Valentiniano imperatam , barbari , caesis romanis militibus, impediuerunt.

2 Gothinorum certe meminit Tacitus de mor. Germ. xliii.

hostis, qui conpescit audaciam. Sublata fiducia certaminis, nullus locus est pactionis. Aestimet tibi terras [suas] si audet obsistere. *Magn*um a te munus sumit Alamannia, *quod* nonnulla interim relinquis intacta.

VI. Inuideant nouis moenibus ceterae ciuitates, quas manus designauere priuatae: si quae sunt cognitionis [a] princip*alis*, liuore aemulo mordeantur. Habent *condi*tores inclutos; numquid artifices [b] *imperatores*? Interfui, Auguste uenerabilis, *cum posi*tis armis fundamenta describ*eres*, *et* felicem dexteram fabrilibus [laboribus] *occu*pares. Hinc ego oppidis tuis perennem promitto for*tunam*. *Quae* Deo proximus auspicatur, aeterna sunt. Hactenus syracusani Archimedis stetit gloria: docuit namque exitus nihil ualuisse pro ciuibus conmenta prudentis. Qui nequiuit clausa protegere, quando potuisset aperta munire? Peritius urbes construunt qui tuentur. Sed quid [c] prius mirer, ignoro. Ceteris [d] ab usu [e] fabricationis, te solum scisse quid conderes? an sub te uno magistro omnis ilico qui aderant institutos [1]? Nullus inde abiit in . . . prudens praeterea quod aliis . . . curantibus . . *so*lis aut imbrium in*gentium taed*ia pertulisti. Quanto tibi [lubet] . . . semper otio uindicata solos opi . . bus uexillis adduxit exercitum et ore . . . Dedalus [f] grassatorem Cecropiae [2] nobili [cauea] inclusit. Quid expectauit Alamannia . . . m totus exercitus et mancipare no . . . et claudere [g]?

VII. In quod periculum . . . prolapsus est? Formam cognitio [h] . . . nec describere audeo nec tacere . . . in nos fidei quae suadet [i] audacia . . . naturae munus occur . . . oli tribunal . . . duorum fluminum . . . gnara dedecus . . . [k] manus geminas aggerum institutiones mole uallauit [3]. Succedit scaena murorum tantum ex ea parte decliuis, qua margines turrium

a Ita cod. Sed num corrigendum *conditionis*? H. *b* Schedae *artificis*. *c* Cod. *quit*. *d* Ita cod. *ceteris*. *e* Nisi mauis legere *abusu*. Cl. quidem Heind. scribendum coniiciebat: *ceteros ab usu fabricationis, te per te solum scisse quod conderes*. *f* Ita cod. sine diphth. *g* Heind. supplebat: *quid expectauit Alamannia, nisi ut ipsam totus exercitus et mancipare nobis uellet et claudere?* *h* Dic *conditionis*, ut supra in notis. H. *i* Cod. *suadit*. *k* His lacunis sexti et septimi capitis occupatur codicis plus dimidia pagina.

1 Similia dicit Themistius Valentem laudans or. x. p. 137.

2 Minotaurum.

3 Loquitur orator, ut puto, de illo munimento celso et tuto, quod a Valentiniano conditum prope Nigrum narrat Ammianus XXVIII. 2.

fluenta perstringunt. Nam bracchiis [a] utrinque Rhenus urgetur, ut in uarios usus tutum praebeat commeatum. Ipsa illa, quae propugnaculis ambiuntur, opere suo decenter armata [b] sunt. Ita crebris hiatibus destricta coniunctio pandit exitum glandestinis [c] iactibus saggittarum. Stat mediae arcis aurata sublimitas, et tecto comitur pro tropeo: cui perardui et in prona decliuis [d] leuis plumbi lorica subtexitur. Quem tibi, Auguste, animum cum haec conderes fuisse credamus? quasi sollicitus munita fecisti, quasi securus ornasti.

VIII. Prodidit uetus fabula, gigantum manum quondam montanas turris intulisse sideribus [1]. Talia forte temptauit: neque enim terregenas [e] licet iuuenes Peliona adque Ossam conuexisse credibile est. Dum solitis maiora conantur, infirma moliti sunt: sed fama auxit inuidiam, ut fragilitas operis neglegentius conlocati, simulata numinum conspiratione, culpa careret incuriae. Aut si rerum talium fides constat, habes testimonium grande meritorum, cum tanto caeli fauore ista perfecta sunt, quanto illa odio corruerunt. Obsedetur oculis subiecta barbaria, et intellegit sibi libertatem pro parte sublatam, cui non licet habere secretum [2]. Non ego montium speculas aut decisa aegyptiis rupibus procera miracula, uel pyramidum uertices angulosos, fastigiis celsae urbis aequauerim. Regis [f] ipsos siquis interroget, laudabunt mehercule quod institui noluissent. Ipse in hostibus depraehendi [g] ambigua signa formidinis et stuporis. Ita conspicuam moenium dignitatem uario interpretantur [h] adfectu, ut adhuc diu iudicare non possint, utrum eam mirari magis debeant an uereri.

VIIII. Dixi, Auguste uenerabilis, negotiis tuis auxilio fuisse caelestis. Facilis adsertio est, cum Rheno teste nitimur: qui alpinae niuis defluo liquore cumulatus, cum ripae utriusque confinia cogeretur excedere, maluit ad uictoris iura transire: auersatus est solum barbarum, totumque principi agmen exposuit, more migrantium perfugarum. Non fuit ille, si credis,

a Ita cod. cum duplici *c*, ut in aliis antiquis codd. *b* Ita schedae. Olim edidi *ornata*. *c* Ita cod. cum *g*. *d* Cod. *decliues*. *e* Ita cod. *f* Ita cod. pro *reges*. *g* Ita cod. cum diphth. *h* Cod. *interpraetantur*.

1 Obiter moneo, Themistium in oratione XIII, quae est de pulchritudine Gratiani (edit. Hard. p. 176-177) commemorare pugnam gigantum aerea imagine expressam ante curiam constantinepolitanam.

2 Ammianus XXVIIII. 4 ait: *e speculis, si quis hostium se commouisset, desuper uisus obruebatur*.

hostilis [a] excursus : lento per aperta processu uenit similis supplicanti . Deditionem uidimus fluentorum , Nili eruptionibus proximam , quibus arens Canopus [b] et memfitica glaeba pinguescit . Et ille [1] ut obsequatur egreditur ; cessit alius [2] [c] , quo magis hoc amice fieri crederemus . Quod Nigrum fluuium quasi quoddam pignus accepimus , iam minus mirum est quod tibi regum liberi pro foederibus offeruntur . Nec Renus , ut ita dixerim , romana pace gauderet , nisi amnem conuenam , uelut obsedem , tradidisset .

X. Uentilemus prisca monumenta , scrutemur annales : inuenies uetustatem paene ignaram fluminum quae tenetis . Ipsi illi uates exoticis nominibus licenter ornati , cum ad indicum Gangen et Borysthenen scythicum carmen extenderint , Nigrum parem maximis ignoratione siluerunt [3] . Nunc primum uictoriis tuis externus fluuius publicatur . Gaudeat seruitute ; captiuus innotuit . Elementis quodammodo ditatam cerno rem publicam , cui amnes incogniti mancipantur , longinqua terra coniungitur . Dum orbis terminos quaeris , gentium sustulisti . Parum quiddam naturae superest , quod adhuc Romanus inquirat . Relabi credis imperium , nisi semper accesserit .

XI. Quid si impetus tuos institutio moenium non teneret ? Nescis transire deserta : diligentiam iactantiae praetulisti . Nam celeritas , famae commoda est ; munitio , firmitati . Quererer [d] , consul inuicte , necdum tibi parere omnia , nisi ea , quae adiuncta sunt , scirem facta meliora .

XII. Consulto multa praetereo , ne in poeticos flatus rerum ingentium cothurnus [e] erumpat . Unum e pluribus trita in-

a Cod. *hostiles* . b Cod. *Caponus* . c Cod. *alius* , quod fortasse refertur ad fluentum . d Cod. *quaererer* . e Cod. *coturnus* .

1 Nempe Rhenus .

2 Scilicet Niger fluuius . Sic autem rem narrat Ammianus XXVIII. 2. *Cum reputaret Valentinianus munimentum celsum et tutum , quod ipse a primis fundarat auspiciis , praeterlabente Nicro fluuio , paullatim subuerti posse undarum pulsu immani , meatum ipsum aliorsum uertere cogitauit , et quaesitis artificibus peritis aquariae rei , copiosaque militis manu arduum est opus adgressus . Per multos enim dies compaginatae formae e roboribus coniectaeque in alueum , fixis refixisque aliquotiens prope ingentibus stilis , fluctibus erectis confundebantur , auulsaeque ui gurgitis interrumpebantur . Vicit tamen imperatoris uehementior cura et morigeri militis labor , mento tenus dum operaretur saepe demersi : tandemque non sine quorumdam discrimine castra praesidiaria inquietudine urgentis annis exempta , nunc ualida sunt .*

3 Nigri tamen meminere proximi Symmacho scriptores Vopiscus in Probo cap. XIII, Eumenius pan. Constantini cap. XIII, Ausonius in Mosella u. 423.

sinuatione contingam; Rhenum [a] numquam antehac temere nauigatum, tumentibus aquis itinera tuta portasse. Ita in morem nexa nauigia constrato desuper solo riparum extima [b] momorderunt [1]. Unius diei negotio pendentis machinae ordo conualuit. Ludo iocoque certatum est ex qua pate nelocius in amnem medium contextio perueniret. Eat nunc troiani carminis auctor inlustris, et pro clade popularium Xanthum fingat iratum [2]: armatas cadaueribus undas scriptor decorus educat. Nesciuit flumina posse frenari. Tantumne ualuit riuus iliacus, ut in auxilium Uulcani flamma peteretur? Profundus didicit, quid paruus euaserit? Defensio ipsa caelestium tuo operi non meretur aequari. Fluuium incendisse uindicta est, calcasse uictoria.

XIII. Ut uideo, aeterne [3] defensor, conscientia tua maior est consulatu. Habes, quod tibi alter praestare non possit, animum praemio certiorem [c]. Nec ideo putes ingratam esse rem publicam: hoc est in ornamentis ciuilibus maximum, quod tuis meritis fatemur angustum. Sat est ad remunerationem beneficii, ut cum digna rependi nequeunt, uel summa solu*antur* . . . . . .

. . . . XIIII. tenere secreta. Itaque Crassus percontanti filio quid noctis moueri castra iussisset; uereris, inquid [d], ne tuas aures forte non penetret occentatio bucinarum [4]? Nobis satis est curare praesentia, futuros exitus tecum fortuna disponat. Num ambiguum est semper barbaros suspicari quae saepe perpessi sunt? Sed inexplorata ueritas magis anxios effecit, quam paratos. Sciunt quid cauere [e] altitudo principis utrumque prouidit, ut et illorum circumspectio falleretur qui numquam mente securi sunt, et nostrorum animus integer perueniret [f], qui ante solliciti non fuerunt.

XV. Quid ego in te peritiam bellicae rei [5]? quid usum ducendi agminis? quid locorum notitiam, temporum demen-

a Ita cod. etsi paulo ante sine adspir. *b* Cod. *existima*. *c* Num pro *celsiorem*? H. *d* Ita cod. *e* Ita se habet locus in cod. Ceterum Heind. scribendum coniicebat: *sciunt quid metuant; cauere nesciunt* etc. *f* Ita cod. Sed dic *permaneret*. H.

1 Rhenum nauibus a Valentiniano iunctum narrat Ammianus xxviiii. 4, si tamen tempora congruunt. Confer eumdem etiam xxv. 1. 10.

2 Celeberrima haec extat narratio iliad. xxi. 212-385. Eodem autem Xanthi exemplo utitur Themistius or. x. ad Valentem p. 133, Omnino Themistius haud semel conspirat cum Symmacho.

3 Sic uetus inscriptio: *aeternis. uenerandisque. principibus. dd. nn. Valentiniano. et Valenti. uictoribus.* etc.

4 Idem narrat Frontinus strateg. I. 1.

5 Militares Valentiniani uirtutes saepe commemorat Ammianus, et praesertim xxx. 9.

siones, laborem sine pernicie, curam sine merore [a] conlaudem? Uidi fidissimos [b] comitum tuorum solito laetiores, cum ad destinata [c] praemissi, quae uidebant prae ceteris se tantum meruisse cognoscere, gauderent [d] cum omnibus etiam ante nescisse. Praestitum sibi utrumque dicebant, cum eos iudicio elegeres et auspiciis adiuuares.

XVI. Nec dubitabant principem protinus adfuturum, qui inter diuisas cohortes diuersasque legiones et illorum coeptis inprouisus interfuit, et nobis praestitit quod resedit. Ita nulla pars questa [e] est uel cito abisse ductorem uel sero uenisse. Diuina consilia post terminum patent. Intellegimus te ideo praemisisse nonnullos, ne esset tarda uictoria; ideo plerosque tenuisse, ne esset multitudo suspecta. Ante Almanuiam mancipasti, quam interiora quaereres. Uides nihil esse prolixum magna curantibus: nec remanentem relinquis [f], nec a praecedente desereris. Ignosco iam desidiae barbarorum. Quid iuuat ubi potissimum degas, cum ubique semper appareas?

XVII. Cedo mihi, imperator, belli iliensis historiam: probabo Graeciam parua mentitam nec magnitudini seruisse nec fidei. Aiunt heroas ad Troiam classe delatos ignoti litoris timuisse contactum, donec formidata responsa uel strenuus temeritate iniret [1], uel fraude uersutus eluderet. Nolo dolos, nolo conmenta. In exercitu principis mei certatum est quis primus exiret: necdum extrema riparum naualia rostra pulsauerant, et iam miles inpiger desilibat. Sub tali duce tuta deuotio est: magis unusquisque curauit nequis anteiret, quam nequis occurreret.

XVIII. Plus uideris mihi egisse [g], quam cuncti, qui fortunam singulis praestitisti. Non harenis inmersa haesere uestigia, nec tardior nisus per uada [h] cunctatus est. Mitiora omnia uisa sunt quam fuerunt: Rhenus placidus cum aestuaret, terra stabilis cum dehisceret, ripa planior cum tumeret.

XVIIII. His uirtutis excursibus non obreptioni uia quae-

a Ita cod. *merore* sine diphthongo. b Codex primum *fiducissimos*, tum emendatum *fidissimos*. c Cod. *distinata*. d Cod. *cognoscere gaucere gauderent*. e Cod. *quaesta*. f Cod. *relinquens*, dein factum *relinques*. g Cod. *egesse*. h Cod. uidetur habere *udaue*.

1 Nempe Protesilaus, qui primus quum e nauibus in troianum litus exscendisset, ab Hectore occisus est.

ritur, nec repentinae caedi insidiarum. Haud placet ferire praeuentos [a]. Exaturat animum gloriosum fortunata uelocitas. *Sinebas* [b] abire cum liberis: et quo magis cognoscerent bella exigi, patiebaris et a barbaris arma transferri. Nemo uilibus culminibus [c] contecta gurgustia interneciuo igne populatus est: nec indormientes lectulis feras matres antelucanus raptor extraxit. Uix desudata in diem crapula et refrigeratis cubilibus fugam ueniae miscuerunt. Ut dammis pernicibus campus aperitur, ut agmina ignaua ceruorum latibulis emota siluestribus in plana coguntur; ita gratius uisum est discurrentem barbarum spectare quam caedere [d]. Triumphi [e] speciem uicit inpunitas. Si bene aestimo rigidum nationis ingenium, uitam credit infamem, cui contemptus ignouerit. Numquam paeniteat pepercisse metuentibus. Laus certaminum fortuita est, certa clementiae [1]. Qui odium hostile non meruit, par esse desiuit. Alterum necesse est de miserabili populo; suscipimur, si adficitur; indulgentia tua, mihi crede, punitus est: si gratulatur, obnoxius est [f].

XX. Dicam quod nulla monumenta testantur: tibi incola uiuit Alamanniae: quos ferro subtrahis, addis imperio. Sat est quod mores gentium parcendo mutasti. Quid illis remansit inmane, quorum salus mancipata est beneficiis tuis, et terra castellis? Tute interim liberi sunt, sed iam pudore captiui. An ad longingua diffugient, quos non uexilla tantum tua, uerum etiam noua oppida persequntur [g]? Exclusit cultus indigenas [h], et quasi iam uacantibus mediis ulterior accola romanum foedus efflagitat. Non est, ut auguror, otiosum, quod Burgundionum crebra legatio concordiam postulauit [2]. Aut arma principis sentiuntur, aut iam celsa eminus castrorum tecta rutilarunt. Optant cohaerere uictoribus prius pace, quam limite. Si ulla tibi in otio esset aetas, preces [i] forsitan distulissent. Quidquid in-

a Cod. *appacis ferire praeuentus*. *b* Hoc uocabulum a me additur, quamquam in schedis nulla est lacuna. *c* Cod. *culminis*. *d* Cod. *cedere*. *e* Cod. *triumphis*. Notemus tamen hoc loco adspirationem. *f* Heind. coniecturaliter scribebat: *alterum necesse est de miserabili populo suspicemur: si adficitur indulgentia tua, mihi crede, punitus est: si gratulando adulatur, obnoxius est*: *g* Ita cod. cum unico u. *h* Notemus *indigenas*, quum alibi uiderimus *indegenas*. *i* Cod. *praeces*.

1 Cicer. pro Marcell. II.

2 Burgundiones Valentinianus excitauit in Alamannos Romanorum hostes perpetuos, spondens se illis auxilio futurum. Et Burgundiones quidem fide habita foedus cum Romanis inierunt; sed Valentinianus pactis non stetit. Amm. XXVIII. 5.

teriacet ornando [a] iungetis. Accessu, ore, rogans tota consumitur. Ubi illi [b] sunt qui dudum Germaniae ciuitates obsidione...

. . . . XXI. *Ab* ortu in oceani ostia riparum margines operum corona praetexit [1]. Quis credat hoc quoque esse curatum, ne portibus indigeret? Nam qua regio Nemetensis extenditur, recessum fluminis murorum ambitus uindicauit, paruo aditu nec satis libero, ut stationis exitus propugnaculis desuper protegatur. Habent sua quodammodo castra rostratae, et intro [c] conclaue Rheni regia classis armatur. Fallit eminus intuentis theatrum [d] consaeptum, qui cum uideant per summa [e] discurri, per ima nesciunt nauigari.

XXII. Supererant, Auguste, plura quae dicerem: sed inter tot scriptores rerum tuarum, nolo ceteris uniuersa decerpere. Debent tibi ingenia omnium [f] quod locuntur [g]. Sonet apud te libertas forensis eloquii, quam dudum exulem tribunalibus reddidisti. Ruri emeritus torpebat orator [2]: quibus facundiam natura dederat, officium uis negabat. Nusquam maius silentium, quam in sacrariis litterarum. Idem uarias aetatis tacendi morbus urguebat [h], cum incipientium studia breuis finis artaret. Exitum litium regebat euentus. Quid enim de auctore [i] praesumeres [k], in quo haec tantum spes erat, quod cum peiore certabat? Nec dubitabamus eum plus in negotiis prosequendis habere prudentiae, qui soleret consilium a desinentibus postulare. Haec alieni temporis uulnera in alamannicis contenplantur [l] excubiis. Cum alligares manus hostium, soluisti uincla linguarum.

XXIII. Congruebat hoc gloriae tuae, congruebat uigiliis curisque sollertibus, ut campi pariter ac fori laude frueretis. Nullae artis [m] silent, nulla friget industria: uacant ora legibus, arma limitibus. Par fuit ut eloquentiae usum redderes, cum iam totiens scribenda gessisses. Silentium magnis rebus

a Num pro *ornando*? H. *b* Cod. *illis*. *c* Ita cod. *d* Cod. *theatra*. *e* Cod. *summam*. *f* Num pro *oratorum*? *g* Ita cod. *h* Sic apud Frontonem *ungui* pro *ungi*. *i* Ita cod. *auctore* pro *actore*. *k* Cod. *praesumeris*. *l* Ita cod. *m* Ita cod. tametsi est primus casus.

1 *Valentinianus* (inquit Ammianus XXVIII. 2) *Rhenum omnem a Raetiarum exordio ad usque fretalem oceanum magnis molibus communiebat, castra extollens altius et castella per habiles locos et opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo: nonnumquam etiam ultra flumen aedificiis positis subradens barbaros fines.*

2 Confer or. pro Trygetio cap. I.

inimicum est. Quid est gloria, si tacetur? Habes tot testimonia, quot [a] ingenia liberasti. Inuenisti, principum maxime, genus aliut laurearum. Dum orbis [b] secreta rimaris, dum in medulliis [c] barbarorum non tentoria [d] sed tecta constituis, triumfum pacis egisti. Canant alii quae [e] supersunt: ego testis fungor officio. Ibo per urbes, ibo per populos iactantior uictore laudato. Dicam senatui plebique romanae, fasces in prouincias nouas mittite, trans Rhenum iudices praeparate [f].

XXIIII. De te autem, Gratiane uenerabilis, narrabo grandia, sed spondebo maiora [1]. Sciet r. p. geminis se custodibus esse munitam, sed quasi uni esse munificam: sub communi stipendio duos principes militare; plures necessitatis [g] laborum esse quam sumptuum. Felicis [h] saeculi ista commoditas est, obsequia utrique iuncta praebere, et beneficia diuisa percipere. Moderatum est quod penditur [2], quia simul sumitis; amplissimum quod geritur, quia certatim ambo praestatis [i].

XXV. Quanto parcior uestri numinis cultus est quam deorum! Illis singula templa fundantur, et sua cuique locantur altaria. Inde, ut arbitror, maluerunt dispares ritus, ne in consortium cogerentur. Nulli cum altero fas est dicare puluinar. Illum frygius antistes placat [k], hunc pontifex. Illas castae matres [l] tuentur aras, has infulata uirgo custodit. Sumpserunt nomina diuersa tot flaminis [m], ne possent dis pluribus esse communes. Ipsas nobilium diuisere gentes. Pinarios Hercules occupauit [3]: idea [n] Mater legit hospites Scipiones [4]: ueneriis sacris famulata est domus Iulia. Orbem paene [o] ipsum sumptus defecit, quia cultus inpleuit. Uestri imperii iuncta frugalitas est, discreta maiestas [p]. Unum [q] quodammodo in uobis putamus esse qui regimur, cum duos sentiant qui resistunt [5].

a Cod. *quot*. *b* Cod. *urbes*. *c* Ita cod. *medulliis*. *d* Cod. *tantoria*. *e* Cod. *que*. *f* In cod. est terminatio *tae*. Sed et infra mendose legitur *spontae*. *g* Ita cod. *i* pro *e*. *h* Cod. *felices*. *i* Cod. *praestates*. *k* Cod. *nunc frigius antistes plagat*. *l* Cod. *matris*. *m* Ita cod. pro *flamines*. *n* Ita cod. sine diphth. *o* Cod. *pene*, sed infra *paene*. *p* Cod. *magis casu*, cui uidebatur supponendum *maiestas*. H. *q* Cod. *nam*.

1 Undecimum scilicet agebat aetatis annum Gratianus in consulatu tertio parentis Valentiniani, a quo dictus erat Augustus tribus ante annis, nempe octennis.

2 Hanc laudem aperte Valentiniano tribuit Ammianus xxx. 9: *in prouinciales parcus, tributorum ubique molliens sarcinas*. Aliter tamen se gessit extremo sui imperii tempore Valentinianus, testibus eodem Ammiano xxx. 5, et Zosimo IIII.

3 Aur. Victor. or. g. r. VIII.

4 Intellige Scipionem Nasicam.

5 Quippe Gratianum Valentinianus bellicarum expeditionum socium habebat. Am. xxvii. 10. Sic autem fere loquitur de Maximiano et Constantino coniunctim imperantibus incertus laudator in paneg. sub fin.

·Q· AURELII SUMMACHI ·U · C·

LAUDES

IN GRATIANUM AUGUSTUM.

ARGUMENTUM.

Gratianum celebrat Symmachus primum quidem quod plane puer voluntate exercitus et patris sapientia Augustus creatus sit: id autem constat Gratiano octenni accidisse. Addit orator exempla aliorum, qui pueri regnum adepti sunt. Innuit deinceps studia litterarum, quibus in primis Gratianus deditus erat. Rursus Gratianum illustrat Pompeii magni exemplo, qui adulescens iam gloriosissimus erat. Tum eidem Gratiano sibyllina seu virgiliana oracula accommodat. Denique totum orbem Gratiano subiectum iri vaticinans innuit. Dicit autem Ammianus XXVII. 6. *post electum a patre Gratianum " con„ surrectum esse in laudes maioris principis et novelli: maximeque pueri, „ quem oculorum flagrantior lux commendabat, vultusque et reliqui corporis „ iucundissimus nitor, et egregia pectoris indoles „. Tunc igitur fortasse Symmachus hanc laudationem dixit; qui certe se versatum in exercitu Valentiniani ait in eiusdem laudatione altera cap.* VI. *Mirari autem licet Symmachi ingenium in re ardua feliciter exsultans. Namque, ut ait Cicero (apud Servium ad aen.* VI. 877) " *causa difficilis laudare puerum: non enim res lau„ danda, sed spes est.*

. . . . I. sollemnibus copulare [1]. Sed prima mihi deuotionis causa peragenda est. Libens aurea sume munuscula, qui talia tempora praestitisti. Salue nobis saeculi spes parata [a], et in gremio r. p. nutricis adolesce, laetitia praesentium, securitas posterorum. An ego uereor ne in adulescentem gratiosus existimer, cuius primum est stipendium principatus? Tuis certe auspiciis disci semper triumph . . . .

II. Te imperii candidatum toga picta uestiuit [2]. Neque enim aliud expectare iam poteras qui a perfectis honoribus inchoabas. Uidimus in sellis curulibus nouum lumen, clementiae auspices incruentas secures, uirtutis omina in fascibus laureatis,

a Cod. *perata*.

1 In qua pagina desinunt laudes posteriores in Valentinianum, in eadem incipiunt laudes in Gratianum, sed mutilae a principio, quia scilicet amanuensis litteris maioribus ac fortasse aureis uel certe coloratis exordiri scriptum cogitabat. Eius generis lacunas saepe uidi in antiquis codicibus. Ceterum paucos uersiculos laudationis exordientis deesse, ipsa, ut dixi, pagina docet.

2 Loquitur Symmachus de primo Gratiani consulatu, quem gessit septennis ann. (b. CCCLXVI, nempe anno ante initum imperium.

maiestatis augurium in aquilis [a] scipionum [1]. Tunc primum forensis industria [b] lege quondam silentii [c] subiugata liberos oculos ad tuum tribunal erexit. Cum in amplissimo magistratu inlustre quiddam et dulce resonantia decreta sancires [2], sensim intelleximus ad honesta officia facundiam posse remeare, quam uidebamus in consule.

III. His ad imperium lectus auspiciis praerogatiuam consulis ad comitia purpurae detulisti. Errat quisquis ideo censet aetatem. Pro senibus puer dimicans [d], pro liberis nostris aequaeuus insudas. Tu nempe es [e] quem paene intempestiue putabamus electum?

IV. O militum sincera suffragia! Scit iudicare deuotio. Fortunae publicae fuit, ut qui genuerat [f], parciora promitteret, et qui necdum nouerant, felicius iudicarent. Quis umquam de indole pueri cum parente contenderet? et tamen fiducia non peccat exercitus. Sic electus es re probatus [g].

V. Quis mihi Zeuxydis [h] coloriis [i] ceris haec comitia spectanda digereret? Siquis appelleus [k] imitator illud caeleste iudicium uerisimili adfectu artis animaret, uiserent posteri uix credenda miracula. Hinc Augustum, inde legiones, et inter hos medium regni impuberem candidatum. Anceps diu utrimque certamen: et cunctis alacri fronte plaudentibus, patrem sero cedentem [3]: turmas supplices, cuneos anbientes [l]. Digna tabula saeculis! digna pictura temporibus! quibus magis utiles uidemus eligi quam uolentes [4].

XI. Decuit annis florentibus omnium fauere iudicia: melius unumquemque officii usus exercet [m]. Sic Antiocho ante robur aetatis Syria sponte [n] subiacuit [5]. Pelleum ducem praecox for-

a Cod. *aurium in aliquilis*. *b* Cod. *industris*. *c* Cod. *silentiis*. *d* Ita cod. *e* Cod. *est*. *f* Cod. *teruerat*. *g* Ita lego, non *reprobatus*. *h* Ita cod. *i* Codex uidetur habere *coloribus*. Esset autem *color* adiectiua forma pro *coloratus*. De cereis imaginibus saepe loquuntur prisci auctores. *k* Ita cod. cum duplici *p*. *l* Ita cod. *m* Cod. *exercit*. *n* Cod. *spontae*.

1 Scipio eburneus, aquilam gestans, consulatus insigne fuit.

2 Gratiani eloquentiam laudat Symmachus etiam ep. I. 13.

3 Nempe uidetur Valentinianus more gratiosorum hominum Gratiani pueri dignitatem rogatus comprobauisse. Id confirmat etiam Zosimus IIII, qui ait Valentinianum exoratum a proceribus tandem adsumpsisse Gratianum. Ceterum Ammianus XXVII. 6. refert immo Valentiniani sermonem, quo is exercitum orat, ut Gratianum Augustum lubens ueneretur.

4 Laudat tacite Valentinianum. Cf. laud. I. 10.

5 Intellige Antiochum V, seu Eupatorem, qui nouem annos natus regnare coepit, sicuti Gratianus octennis. Vide Appianum de bell. syr. XLVI.

tuna delegit. Ptolemaeo [a] inter prima rudimenta lactantis infantiae regnum Roma reparauit [1]. Et mehercule tenacius rapit imperii disciplinas teneritudo primaeua. Uirtus, cum cito inchoat, diutius perseuerat. Nempe uirentibus ramis artifex rusticandi alienum germen includit, ut nouella praesegmina coagulo libri ubidius [b] inolescant. Audio in edomandis equis, equitis [c] inscios aptius essedis colla subiungere . . . .

. . . . VII. *ty*rannos uinces officiis. Seruetur tibi aliquod opus uirtutis in posterum, cui nihil iam remansit ignotum. Quas habes laboris indutias, tropeis et litteris occupatus [2]? otiosa cum bellicis negotia miscuisti. Agnosco in te non adumbrata uestigiis, sed expressa ueterum signa uirtutum. Nempe Fuluium Nobilem tam laude quam nomine inter aquilas cantusque lituorum praeceptor Ennius [3] frequentauit. Africanum illum terra marique uictorem [4] lectionis particeps et laboris Panaetius non reliquid [d]. Cum magno Alexandro mundanam paene militiam filosoforum [e] comitatus exegit [5]. Iam credimus uetustati, cum in isdem tentoriis tuis uolumina et arma tractentur. Nec deest quod pro condicione rerum temporumque percenseas. Historia oblectaris [f] in proeliis, in adhortatione [g] suasoriis, actionibus in conloquiis, carminibus in triumphis.

VIII. Sentio me ad exempla ueterum tempestiue esse dilapsum.

a Cod. prima manu *Ptolemaeo*, tum scriptum *Ptolomaeo*. Hinc cognoscimus quam uetus sit (etsi deterior) scriptura huius nominis per *lo*, quae in multis sequioris aeui codd. occurrit. — *b* Cod. uidetur habere *ubidios*. Sed corr. *auidius* H. *c* Cod. uidetur habere *aequitait*. *d* Ita cod. *e* Ita cod. *f* pro *ph*; sed non semper, et quidem mox *triumphis*. *f* Cod. *oblectares*. *g* Cod. sine adpis.

1 Mortuo Ptolemaeo IIII Philopatori successit filius Ptolemaeus V Epiphanes quinquennis (seu quadrimus ut ait Hieronymus in Danielem cap. XI. 14.) Puero Epiphani senatus romanus, petentibus Alexandrinis, tutorem misit M. Aemilium Lepidum, qui regnum administraret. Rem uide apud Valerium Max. VI. 6. 2, Iustinum XXX. 3, Tacitum annal. II. 67. Lis tamen apud criticos exstitit, cuinam ex tot Ptolemaeis tutor Lepidus datus fuerit: quam controuersiam uidesis apud Eckhelium doctr. num. uet. tom. V. in gente aemilia, ubi et nummus Lepidi tutoris.

2 Valentinianus ipse pater apud Ammianum XXVII. 6 dicit Gratianum *humanitate et studiis disciplinarum sollertium peritum*. Symmachus ep. I. 21 uocat *eruditissimum*. Fuit autem Gratianus alumnus Ausonii, a quo item in gratiarum actione appellatur *doctissimus*.

3 Codex pro *Ennius* habet *Accius*, manifesto mendo. Nam primum ipse se refelleret Symmachus, qui in epistula ad Ausonium I. 21 utitur hisce iisdem exemplis Ennii et Fuluii, Panaetii et Africani etc. Tum Ennium adiungit Fuluio Cicero pro Archia XI, et tuscul. I. 2. Denique Accius a diuo Hieronymo in chronico natus dicitur Mancino et Serrano consulibus (urbis DLXXXIIII) nempe anno XVIIII post Fuluii uictorias.

4 Intellige Africanum minorem; et confer Paterculum I. 13; Cicer. acad. IIII. 2, et de rep. I. 10; Gellium XVII. 21.

5 Confer Ciceronem pro Archia X. His autem exemplis Ennii Panaetii et philosophorum sine dubio Symmachus etiam Ausonio Gratiani magistro oblique adulatur: quod quidem apertissime facit ep. I. 21.

Iure igitur ex annalium memoria Pompei usurpabo responsa. Is equestri censu equum de more traducens, cum forte interpellaretur uoce censoris, sub quo imperatore meruisset? me ipso, inquid [a], principe militaui [1]. Nolo explorare iactationem ducis tanti fortasse mendacem. Dignius tamen sibi istam gloriam uindicaret qui coepit ea aetate ceteros regere, qua nondum posset ipse parere. Me si quis interroget, quando inclytus Gratianus delectui nomen obtulerit, respondebo libere, quando imperatoris accepit.

VIIII. Si mihi nunc altius euagari poetico liceret eloquio, totum de nouo saeculo Maronis excursum uati similis in tuum nomen excriberem [b]. Dicerem de caelo redisse iustitiam [2], et ultro uberes fetus iam grauidam spondere naturam. Nunc mihi in patentibus campis sponte seges matura flauesceret, in sentibus uua turgeret, de quernis frondibus rorantia mella sudarent. Quis haec sub te negaret esse credenda, cuius indoles [c] multa iam praestitit, et adhuc spes plura promittit? Et uere, si fas est praesagio futura conicere, iamdudum aureum saeculum currunt fusa [d] Parcarum. Nec poeticis utar indiciis. Ecce iam Rhenus non despicit imperia, sed intersecat castella romana: a nostris alpibus in nostrum exit oceanum. Ille liber [e] hucusque [f], repagulis pontium captiuus urgetur. En noster bicornis caue aequalem te arbitrere Tiberino, quod ambo principum monumenta gestetis [g]: ille redimitus est, tu subactus. Non uno merito pons uterque censetur [3]: uictus accepit necessarium,

a Ita cod. b Ita schedae; non exser. c Cod. *Indolis*. d Ita cod. *fusa*. e Cod. *libera*. f Posthinc obliteratum uidetur in schedis unum uocabulum. g Cod. *gestites*.

1 Idem narrat Plutarchus in Pompeio XXII.

2 Imitatur orator quartam Virgilii eclogam.

3 De ponte, quo Valentinianus iunxit Rhenum, recole laud. II. cap. XII. Pons autem Tiberi impositus ille nimirum est, cuius exstat apud Gruterum p. CLX. 4 inscriptio haec: *Fl. Valentinianus*. etc. *trib. pot.* VII. *imp.* VI. *cons.* II. *Fl. Valens*. etc. *trib. pot.* VII. *imp.* VI. *cons.* II. *Fl. Gratianus*. etc. *trib. pot.* III. *imp.* II. *cons. primum. pontem felicis. nominis. Gratiani. in. usum. senatus. ac. populi. rom. constitui. dedicarique. iusserunt*. Pons igitur, de quo loquitur Symmachus, dedicatus est anno Ch. CCCLXVIIII. Atqui superius innuimus, hunc panegyricum dictum esse fortasse apud Ambianos quum Gratianus Augustus inauguraretur anno CCCLXVII. Ergo ut nobis ipsi constemus, nihil repugnare dicemus Symmachum loqui de ponte paulo ante quam dedicaretur. Potuit enim anno CCCLXVII ille pons Romae paene totus fuisse constructus, qui anno CCCLXVIIII dedicatus sit. Sed plane hic panegyricus dictus saltem est ante annum CCCLXXI, in quo iterum consul fuit Gratianus: orator enim de unico tantum loquitur Gratiani consulatu. Illud etiam noto, apud Ammianum quidem XXVII. 3 dici pontem conditum et dedicatum Romae a Symmacho oratoris patre; sed locum Ammiani interpolatum uideri, ut obseruat Valesius.

uictor aeternum: pretiosior honori datus est, uilior seruituti [1].

X. Queri [a] de paterna gloria Macedonum rex solebat [2], quod subactis longe lateque prouinciis, nihil ad uictoriam uirtuti reliquisset heredis [b]. Absit a meo iuuene ista querimonia: laus omnis amborum est: filium te exhibes [c] reuerentia, uirtute collegam. Una est utriusque militia, et coniuncta felicitas. Tu gaudes magisterio patris, ille contubernio iunioris. Certa ratione naturae numquam inuidet qui cohaeret.

XI. Quod si fortunam tuam, Gratiane uenerabilis, quae prima in ducibus aestimatur [3], perpensa examinatione libremus, quid felicius principe sub parentibus imperante? Te placido sinu cunctus orbis amplectitur: cumque sit res publica patri et patruo tuo quadam specie distributa, tibi uni tamen cum utroque communis est [4]. A cubilibus surgentis [d] aurorae ad metas solis occidui nihil cernis alienum. Inter cognatos siderum globos quantum adhuc alterutro minor es, tantum singulis ex utroque cumulatior [e].

XII. Audio iampridem fatidicos obmurmurare gentium uates, hactenus nomen stetisse barbaricum: iam genitum esse, iam crescere cui necesse sit cum toto orbe seruire. Incusant alii senectutem, seruatamque in tempora captiua canitiem. Alios tenerae taedet aetatis, qui postquam sensum libertatis hauserunt, metu seruitutis agitantur. Merito undique certatim supplices misere legatos: captiuo similis est, qui primus currit ad pacem. Credo hostium responsis, credo praesagiis. Quantum gloriae consequeris olim, patre incolumi, ducturus exercitum, qui quacumque duceris iam rogaris [f]!

a Cod. *quaeri*. b Cod. *heredes*. c Cod. *exibes*. d Cod. primum *urgentis*, tum factum *surgentis*. e Cod. fortasse *cumulatiore*. Confer autem similem fere locutionem apud Cassiod. uar. x. 4. f Cod. *rogares*. Expliciunt autem laudes in Gratianum.

1 Hinc illa uirgiliana elocutio: *pontem indignatus Araxes*.

2 Vide Plutarchum in Alexandro cap. V.

3 Imitatur Symmachus Ciceronem qui pro lege manilia XVI Pompeium imperatorem ex hoc etiam commendat, quod ei quaedam singularis adiuncta esset fortuna.

4 Reapse et Valentinianus Galata, Valentis unica uirilis sexus proles, qui trimulus consul fuit anno Ch. CCCLXVIIII, puer paulo post obiit. Vide Socratem IIII. 26; Theodoretum IIII. 19.

·Q· AURELII SUMMACHI ·U · C·

LAUDES

IN PATRES.

ARGUMENTUM.

Celebrat Symmachus hac laudum parte superstite morem tunc vigentem creandi consules: eligebat nempe, ut ait, senatus dignissimos, eosdemque principum aequitas confirmabat. Huic autem consuetudini opponit tum electiones sub libera re publica, quae ab infima turbulentaque plebe fiebant, tum nundinia consulatus sub Caesaribus. Porro hae laudes dictae videntur quum nescio quis consulatum iniret. Orator quidem noster consul fuit anno Ch. CCCXCI, *Theodosii senioris imperantis* XIII, *Valentiniani iunioris penultimo, Arcadii nono. De consulatu suo loquitur orator epist.* IIII. 12. VIIII. 130.

. . . . . I. *consula*tus euexit. Scilicet hoc uno placent [a] suffragio, quia omnibus displicebant. Genus quoddam erat noui ambitus non amari. Hanc inlecebram propositae spei mores publici sequebantur. Ita accidebat, ut boni, quibus aduersa omnia erant, aut opprimerentur improborum insidiis, aut mutarentur exemplis.

II. Ad [b] nunc idem principes nostri quod proceres uolunt. Unum corpus est rei publicae: adque ideo maxime uiget, quia capitis robusta sanitas ualetudinem membrorum tuetur. Amor uester praerogatiua est consulatus. Magistratum boni capiunt, quia non ab uno tantum, sed ab omnibus eliguntur [1]. Sciunt enim parentes generis humani diligentiora iudicia esse multorum, et de proximo melius spectari cuiusque mentem, et infucatum semper esse examen aequalium: quia par dignitas, nisi meritis adquiescat, aemulationi magis opportuna est quam fauori. Ergo in eum locum uenimus, ut iam de uestro studio ·P·C· de uestra adfectione possit intellegi quos dehinc consules ex hoc numero simus habituri. Quisquis bonus est, iam destinatus est: renuntiet ceteris artibus, quae spem plerumque frustrantur: uitam de-

a Ita cod. Sed mallem *placebant*. b Ita cod. *ad* pro *at*.

1 Notandus hic mos temporis symmachiani. Nam sub antiquioribus quidem Caesaribus consules a principe dicebantur. Confer ex. gr. Volcatium in Cassio XI.

nique subeat consularem. Ad mores rediit honor, quem saepius, ut de ambitu taceam, fata praestabant.

III. Sit mihi fas ·P·C· in certamen praesentium uetustatem citare. Illa [a] tribus euocet libertina ac plebeia faece pollutas; nos [b] patricios fauisores: classis [c] illa, nos principes. Tales collega uester suffragatores habuit, quales antiquitas candidatos. Intellegamus nostri saeculi bona: abest cera turpis, diribitio [1] corrupta clientelarum cuneis, sitella uenalis [d] [2]. Inter senatum et principes comitia transiguntur: eligunt pares, confirmant superiores. Idem castris quod curiae placet. Quis hoc non putet orbis terrarum esse iudicium?

IIII. Si haec nimis obsoleta adque arida sunt, sequentem scrutemur aetatem. Fasces istos largiri didicerat prisca dominatio: et ne ad aliam munificentiam cogeretur, obtentu honoris tegebat aerarium. Aliis mos fuit fastidita diu onera praetextae priuatorum umeris paulisper inponere [3]. Renuntiauit his iniuriis consulatus: ipsae dignitates decus suum receperunt: res quae donum solebat esse, praemium est....

a Nempe *uetustas*. b Nempe *euocemus*. c Ita cod. pro *classes*. d Cod. *uenales*.

1 Diribitorium quidem fuit Romae aedificium maximum in regione VII.

2 Ita de consulatu suo loquitur etiam Ausonius in gratiarum actione: *consul ego, imperator Auguste, munere tuo, non passus septa neque campum, non suffragia, non puncta, non loculos; qui non prensauerim manus: qui tribus non circumiui, centurias non adulaui, iure uocatis classibus non intremui, nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nihil pepigi*. Confer etiam Mamertinum in gr. act. Iuliano Aug. XVI. XVIIII. XXX.

3 Innuit morem antiquiorum Caesarum, qui inito saepius consulatu, mox eumdem aliis, quos sibi sufficiebant, tradere solebant. Hinc etiam cognoscere uidemur, aetate symmachiana euanuisse morem illum consulatus bimestris, qui sub Antoninis adhuc uigebat,

·Q· AURELII SUMMACHI ·U · C·

ORATIO PRO PATRE.

ARGUMENTUM.

Agit gratias senatui Symmachus pro patre suo qui consul creatus fuerat. Laudes etiam Gratiani, qui iam parenti successerat, complectitur. Tum Maximini praefecti oppressam saevitiam commemorat, et novi imperii felicitatem concelebrat. Patrem oratoris L. Avianium Symmachum consulem fuisse constabat ex inscriptione apud Gruterum p. CCCLXX. 3, *quae inscriptio posita fuit statuae aureae, quae est eidem decreta, Gratiano Augusto* IIII *et Merobaude consulibus, idest Ch. anno* CCCLXXVII. *Atqui in hac oratione de Symmachi patris consulatu nuper inito recitata, plane dicitur iam mortuus Valentinianus; ergo consulatus Symmachi patris incidit in annum vel* CCCLXXVI *vel* CCCLXXVII, *quoniam Valentinianus sub exitum anni* CCCLXXV *vitam cum morte commutaverat.*

Etsi autem hac quoque oratione, item ut praecedente, gratiae aguntur pro consulatu conlato; nemo suspicetur unam esse orationem: diserte enim in codice illa laudes in patres, *haec* pro patre *inscribitur.*

. . . . I. dicendi munus et gratulationis uerba pertulerim; secum reputet, quantos huius beneficii habeamus auctores, humanitatem uestram qui postulastis, clementiam principum qui dederunt: desinet profecto mirari non unum pro consulatu [a] gratias agere [1], quem tam multos uideo detulisse.

II. An si uos, patres conscripti, tantopere curastis, ut optimae uoluntatis uobis ratio constaret, ut omnium pro uno testimonium concordiam senatus et pios mores [mei] patris adsereret; nonne ius hominum atque deorum est aliquid laeti negotii praeter ceteros filium sustinere? Quando de benefactis principum dignius? quando aput uos iustius? quando de patre felicius dixerimus [b]? Noua sunt quae adgredimur, sed uestra humanitas auctor est inusitata faciendi. Egistis comitia non petentis: consulatum istum bonorum ambitus impetrauit: uos recepistis candidati officia, nos designati.

III. Quid quod etiam mearum partium terminos occupa-

a Cod. *consolatu*. b Cod. *disserimus*.

1 Nimirum et ipse pater gratias senatui egerat. Legesis argumentum orationis pro Trygetio.

stis ? Modo [a] ac plane paulo ante laudes principum totus ordo celebrauit . Gratiarum actio debetur et uobis . Creuit igitur et honor imploratus a multis , et gratia soluta per multos . Uultis scire qui petitores [b] pro meo parente fueritis [c] ? Merito conpetitores esse possetis . Hicine noster est consulatus an curiae ? quem nos fatemur ab omnibus praestitum , uos putatis omnibus esse decretum .

IIII. Ubi sunt qui falsa animis inbeberunt [d] , magis efficacem [e] esse audaciam factionis , quam uoluntates bonorum ? Nempe f[ec]it repulsa uirtutem , et contra ambitus omnis ignauus est . Quod honeste poscitur , feliciter impetratur . Hoc ius patriciae genti tempora reddiderunt : postulatio uestra iudicium est . Impetrabilius cuncta nunc petitis , quam aliquando iussistis .

V. Quam raro huic rei publicae ·P·C· tales principes contigerunt [f] , qui idem uellent , idem statuerent quod senatus ! Nemo olim sibi in illa arce fortunae potens nimium uidebatur , nisi diuersa sensisset . Quantis plerumque offuit amor publicus ! Neque enim pati poterat [scilicet] *princeps* [g] cuiquam deferri quod ipse non merebatur . Inpatiens est alienae gratiae , qui diffidit suae . Hinc saepe mortalium optimus ad amplissimas potestates fatorum uolu . . . .

. . . . . VI. cunctos redundent alia , quae in commune consequimur , ut perueniant ad gratiam singulorum . Quantum est quod boni mores [h] timere iam nesciunt ? quod iudicio non terretur alieno , qui fretus est suo ? quod *is quem* [i] tacuit senatus , non refertur in numerum noxiorum ? quod sola suspicio reos non facit ? In absentes ideo nihil fingitur , quia nihil creditur . Nullius diuitis [k] crimen optatur . Certe innocentes sumus ; necdum liceret hoc dicere , si eosdem adhuc accusatores haberet Roma quos [l] iudices . Quantum est gratias agere pro nobis ? Etiam famam saeculi superioris diligentiores posteri diluerunt . Neque enim fas est negare [m] non alios diuum prin-

a Num potius interpungendum est ante *modo* ? *b* Cod. *petitoris* . *c* Cod. *fuerctis* . *d* Ita cod. Sic in antiquissima liturgia ms. legebam *calicem bebere* . Et sic Itali nunc loquuntur per e . *e* Cod. *efficaces* . *f* Cod. *contegerunt* . *g* Tantum fere est spatium obscuratum . *h* Cod. *morit* . *i* Sic uidebatur supplendum . *k* Cod. *diuites* . *l* Cod. *quod* . *m* Cod. *negari* , quod ferri fortasse potest .

cipem [1] pertulisse hostes existimationis suae [a], quam nos salutis. Iamne constat fortunam nobilitatis consentire temporibus? Eadem iustitia purgauit imperium, quae senatum.

VII. Gratulamur tibi, Iubenis [b] Auguste, quod paterni successor factus imperii, tantum malos iudices quasi hereditatis onera repudiasti. Non satis tibi idonea bona illa uisa sunt cum ministris ac primo [c] consilium tuum delibera[re adsidue: uel] dum experiris an inprobi atque externi mores exemplo saeculi uincerentur: uel quod optimo filio congruebat, dum palam facere studes, praeterita delicta potestatum fuisse, non temporum. Sciebas enim quo spectaret inuidia, cui familiare est maximas insimulare fortunas [2]. Adque ideo paulisper inpotentiam passus es [3], ut liqueret, eos publici doloris auctores dudum fuisse, qui etiam tum nocendi artem colebant, cum iam nouerant non licere.

VIII. Quid primum igitur admirer? quod circa diuum munus pii filii, an quod circa nos partes parentis egisti? Alienorum simulatione [d] criminum Maximinus fidem fecit suorum. Uestra aestimatio sit, qualis fuerit in ceteros, quem ipsi rerum domini [4] tyrannum paene estis experti. Urgebat enim nouo fastu patientiam regiam, et praefecturae suae putabat esse dispendium, siquid licuisset imperio [5]. Interea nos opperieba-

a Deest *suae* in schedis. b Ita cod. b pro u. c Num pro *primoribus*? d Cod. *simulatio*.

1 Dicit Valentinianum qui e uita excesserat anno, ut diximus, Ch. CCCLXXV. Iamque incipit orator de Maximino uerba facere, qui sub Valentiniano praefectus fuit annonae in urbe, et deinde praetorio. Maximini dignitates et scelera narrat Ammianus XXVIII. 1. et XXVIIII. 3. Constat autem etiam Valentinianum incitatum a Maximino fuisse ad inauditam crudelitatem: ideoque dicitur heic a Symmacho Maximinus inimicus existimationi Valentiniani. Et quidem ipse Valentinianus questus est se calumniam perpeti crudelitatis (Amm. XXVIII. 1.) Plane ex Ammiano patet plurimos nobiles artibus et saeuitia Maximini fuisse perditos: quos inter iam constat oratoris quoque nostri patrem graui calamitate fuisse perculsum. Neque uero mirum est de hoc silere Ammianum, qui loco nuper citato fatetur se consulto multas eiusmodi diritates praeterire. Porro Valentinianus dicitur ab oratore *diuus*, quia cum Gratianus post mortem, teste Ausonio in gratiarum actione, apotheosi donauerat.

2 Sic ait etiam Fronto princip. hist. ed. rom. p. 322.

3 *Maximinus* (inquit Ammianus XXVIII. 1. in fine) *sub Gratiano intoleranter se efferens, damnatorio iugulatus est ferro*. Porro occidendo reo Maximino purgauit Valentinianum Gratianus.

4 Sic loquitur fragmentum ueteris inscriptionis in Capitolio repertum: *domino. rerum. humanarum. Valentiniano. augusto.* etc.

5 A Maximino affectatam paene tyrannidem ait Symmachus etiam ep. X. 2, quae est ad Gratianum Augustum: *minimo stetit quin omnes occumberemus. Tantum flagitii designauerant qui amplissimas potestates malis artibus possidebant! Ferox Maximinus ob res secundas, incubator iudiciorum, difficilis decidendis, simultatibus promptus... simulque res tuae in tranquillum rediere.*

mur, ut principatus ultio talia uindicaret; uos expectabatis, ut senatus argueret. Credo tamen has moras ad suffragium publicae causae parasse fortunam, ut suscepturus, Gratiane uenerabilis, iudicium doloris nostri, adferres [a] testimonium tui. Etsi illud magis confirmare me conuenit, nostram legationem nostras egisse querimonias, ut uidereris quoque inter ceteros uindicari. Nam prius quam senatus causa iungeretur tuae, satisfactum tibi putabas, quod insidiator regni exemplo innocentium potestate decesserat [1]. Postquam uentum est ad communis querellas [b], adhibuisti seueritatem, qualem reliqui principes maiestatis tantum negotiis exhibebant. Actum erat, clementissime imperator, de iniuria tua, nisi nobilitas fuisset offensa.

VIIII. Bene igitur aput uos locata est tutela r. p. Pacem innocentiae reddidistis: abrogata est externis moribus [2] uis nocendi: creuit principatus quia liberis imperatis [3]: tantum potestatibus quantum legibus licet. Nullae iam nuptiae cassa [c] parente iungantur, nec funeri succedit hymeneus, neque flammea uestis atra mutatur. Credetne posteritas olim talia fuisse iudicia, quae conubia satellitum suorum sacrarent auspice pugione? spineam facem [4] de rogo damnatae matris [5] incenderent [d]? aut ululatibus adultarum carmina fescennina miscerent [e]? Quid loquar crimina necdum delata iam uendita, et humani sanguinis auctiones, aut eruditos in mendacium reos, et subornandi ar-

a Cod. *adferris*. b *Querella* aut *quaerella* pro *querela* constanter scribi uideo in antiquis codd. c Cod. prima manu *causa*, tum factum *cassa*. Sic fere uidetur intelligendus locus Plauti *mercat*. 4. 6. 6. *uiro fit caussa, exigitur matrimonio*. Nempe *uiro fit cassa*. d Cod. *incendere*. e Cod. *miscire*.

1 Nempe Maximinus specie quadam honorata prius magistratum eiurauit, tum postulante senatu a Gratiano damnatus est.

2 Nimirum barbaris seu alienis a nobilitate moribus Maximini, qui obscurissimo loco ortus erat, teste Ammiano XXVIII. 1.

3 Hinc fortasse inscriptionis ueteris fragmentum ... *libertas. d. n. Fl. Gratiano. fortissimo. inuictissimoque. principi. semper. augusto*. etc.

4 *Spina* (inquit Plinius hist. lib. XVI. sect. 30.) *nuptiarum facibus auspicatissima, quoniam inde fecerint pastores qui rapuerunt Sabinas, ut auctor est Masurius*. Hinc apud Ouidium fast. II. 558. sqq. legendum est *spinea taeda* non *pinea*. Fortasse ad id adludit eleganter etiam fast. V. 354. et VI. 230. Confer quoque Festum uoc. *patrimi et matrimi*.

5 Innuit orator Anepsiae supplicium. Res ita se habuit. Maximinus praefectus annonae Aginatium perdere decreuerat hominem nobilissimum et sibi inimicum. Id ut a Valentiniano impetraret, illum adulterii et ueneficii insimulauit, indicio falso usus Anepsiae, cuius feminae filiam Maximinus filio suo desponsauerat. Ita impetrata damnatione Aginatii, Maximinus eadem sententia damnatam Anepsiam quoque occidit (Amm. XXVIII. 1.) Atque haec uidelicet sunt funera mixta nuptiis quae Symmachus oratorie deplorat, ut Tullius pro Cluentio et pro Scauro.

tefices [a], ianitores ueteres, calumnias nouas, poenas *sine* crimine, sine accusatore iudicia, sine iure sententias? Fortunata esset, optimi principes, ter quaterque res publica, si adhuc promitteretis quae iam praestitistis [b]. Rerum uersa condicio est [1]. Paulo ante soli inuidiam felicitatis trahebant, quos mors subripuisset; admodum miserabiles nunc habentur [c], quos uita non reseruabit [d] his gaudiis [e].

X. Haec est illa Latii ueteris aetas aureo celebrata cognomine, qua fertur incola fuisse terrarum necdum moribus offensa iustitia. Pie regimur, et quaedam pignora principum sumus. Neque alia inter ciues quam inter filios iudicii discretio [f] est: dignus amore praeponitur, et tamen quis [g] displicet non necatur: praemiis uirtutis corrigitur ignauia. Quantos [h] iste ad optimam frugem rapiet consulatus, dum alios honoratis alios eruditis? Nam quibus ab natura recti amor defuit, spem sequentur. Uellem nunc truces indicis [i] sciscitari, quae ualidior emendatio sit? Olim timor agebat ut bonus quisque trepidaret, nunc honor facit ut malus quisque desperet.

XI. Honor . . . .

a Ita cod. pro *artifices*. Et sic Itali loquimur. *b* Cod. *praestitis*. *c* Cod. *aurum mirabiles nl se nunc habentur*. *d* Ita cod. pro *reseruanit*. *e* Cod. *gaudes*. *f* Cod. *discritio*. *g* Ita cod. pro *siquis*, ut apud Fronton. ed. rom. p. 182. v. 6. *h* Cod. *quantus*. *i* Ita cod. pro *iudices*. Hos autem truces iudices recenset Ammianus XXVIII. 1.

1 Quantum Gatiani initiis a Valentiniani extremis abhorruerint testatur etiam Ausonius in gratiarum actione sub initio: *palatium quum terribile acceperis, amabile praestitisti: curia honorificis modo laeta decretis, olim sollicitis maesta querimoniis*. Paria autem huic loco habet Symmachus in epistula 21. libri x, quam epistulam et ad Gratianum augustum arbitror scriptam et de prosperitate agentem, quam Maximini interitus romano imperio pepererat. Nam quod ibi Pareus Maximum tyrannum innui putat, id a commentantis arbitrio mihi fingi uidetur.

·Q· AURELII SUMMACHI ·U · C·

ORATIO PRO TRYGETIO .

ARGUMENTUM .

Hanc orationem valde illustrat ipse Symmachus ad Agorium Praetextatum scribens ep. I. 44, cuius verba heic exscribere pretium operae est. " Meretur indulgentia in me tua, ut ea, quae proxime laudi mihi fuerunt, clam te esse non patiar. Credo indicium fecisse tibi famam, quod parentem meum ruri atque in secessu amissae domus iniuriam decoquentem, frequentibus suffragiis, denique oratoribus missis, novo honore senatus acciverit. Qua causa ubi primum facultatem loquendi apud collegas attulit dies, egit ille senatui gratias ea facundiae grauitate, qua notus est. Kalendae tunc erant, quibus annus aperitur. Brevi intervallo cum familiaris mei Trygeti filio praetorio candidato actionis operam spopondissem, animum religio convenit, ut occasione destinati officii obirem munus adhuc a me patri debitum, sed, ut dixi, ab illo senatui iam solutum. Ergo ad quintum idus ianuarii uerba feci in amplissimo ordine ". Porro Symmachus narrat eodem libro ep. 52, orationem suam senatui et ipsi Agorio magnopere placuisse. " Orationem meam tibi esse complacitam, nihilo sequius gaudeo, quam quod eam secunda existimatione pars melior humani generis senatus audiuit ". En igitur eius orationis fragmentum, in cuius priore parte reapse orator pro restituto patre gratias agit: tum ad filium Trygetii transit, quem commendat ut praeturam consequatur. Diuus quidem Augustinus Symmacho oratori coaetaneus (a quo etiam praefecto urbis Mediolanum rhetoricae artis magister missus fuit) meminit Trygetii ciuis et discipuli sui in libro de vita beata cap. VI. *Quin idem Trygetius disputat in eodem libro, et in academicis et de ordine. Ad Trygetium item data est lex* 4. *tit.* 20. *lib.* XI. *cod. theod. ab impp. Honorio et Theodosio.*

. . . I. *Desiderio uestro* cum absumus, testimonio cum uenimus. Nec formidamus inuidiam: sensit et experta est quid parenti meo aduersata profuerit. Cesserat quidem sponte ille per uerecundiam paucorum facilitati [a]: utque melior ad nos rediret, curarum uacuus animum litteris excolebat [1]. Sed hoc ordo amplissimus diu non tulit. Statim, quasi ex longo ut redire uel-

[a] Num pro *felicitati*?

[1] Causam cur Symmachus pater secesserit ab urbe narrat Ammianus XXVII. 3. *Symmachus Aproniano* (seu potius *Volusiano*. Videsis Corsinum de praef. urb.) *successit* (in praefectura urbana) *inter praecipua nominandus exempla doctrinarum atque modestiae, quo instante urbs sacratissima otio copiisque abundantius solito fruebatur. Consumptis aliquot annis domum eius in transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt* (ingrati ciues) *ea re perciti, quod uilis quidam plebeius infixerat, illum dixisse, sine indice ullo uel teste, libentius se uino proprio calcarias exstincturum, quam id uenditurum pretiis, quibus sperabatur*. Porro Symmachum patrem, siquid ei erat otii, id litteris impendisse, prorsus constat ex eiusdem epistula ad filium (epist. Symm. lib. I. 2.).

let orastis: iussistis, malui dicere; nam senatus cum petit uehementius, praecipit. Parum hoc deferentibus uisum est: adleguntur ad eum cum primis nobiles uiri, administri et internuntii publicae uoluntatis. Quanta haec desiderii uestri pompa est, quae beneficium suum paene ambitum uult uideri! Credo, haec uestra opinio erat, ut per fetiales quodammodo uocaretur: uerbenae tantum et sagmina defuerunt. Certum est quidem ·P·C· et inexcusabile quod iubetis; sed ille sic accitus est, tamquam posset negare.

II. Ad te etiam, uenerabilis imperator [1], laudis istius summa referenda est. Is enim rem publicam liberam tenet [2], sub quo aliquid inuidendum potestati senatus. Ideo [a] magnus, ideo praeclarus es, quia primum te mauis esse quam solum. Quidquid adipiscuntur [b] boni, saeculo tuo profecit. Traxerunt olim plerique [c] suspiria, et quasi amari imperatoribus tantum liceret, priuatorum merita presserunt. Mihi autem uere pater patriae uidetur, sub quo laudari uir optimus non timet. Est etiam illa securitas temporis tui, quod nemo se apud [d] principem minorem fieri putat, si ipse alterum sibi praeferat. Quis enim est inuidiae locus, cum omnes a te iusto ordine diligantur?

III. Sed iam satis multa de nobis. Demus aliquid operae, aliquid temporis etiam Trygetio clarissimo et emendato uiro, qui nos [e] oratos per me adque exoratos cupit, ut eius filium functioni [f] praetoriae destinatum decimus annus accipiat [3]. Si uoluntas spectanda est, debetis munificum senatorem probare; si facultatis [g], nihil plus potestis inponere.

IIII. Me quoque in hoc negotio cogitari decet, qui soleo agere gratias, qui oblitterari benefacta non patior. Recte locantur officia secunda, ubi prima uiguerunt. Istum nouo debito alligatis, me gemino . . . .

a Cod. *adeo*. b Ita cod. c Cod. *plirique*. d Ita cod. At alibi *aput*. e Cod. *quis uos*, uel *qui suos*. f Cod. *funciones*. g Ita cod. pro *facultates*.

1 Intellige Gratianum, sub quo uidetur nata occasio huius orationis dicendae.

2 Cf. p. 33. n. 3.

3 Hoc fortasse indicat, Trygetii filium petiuisse praeturam urbanam. Ait quippe Polybius vi. 17 urbanum magistratum non ante capere cuiquam Romano licuisse, quam decem annos militando exegisset. De praetura urbana Trygetii filii, deque hac ipsa oratione loqui arbitror Symmachum in epistula ad Theodorum nona libri quinti: *duas oratiunculas nuper editas a nobis misi. Earum una ad urbanos fasces resultantem candidatum tenuit.*

·Q· AURELII SUMMACHI ·U · C·

ORATIO PRO SYNESIO.

ARGUMENTUM.

Hac oratione dignitatem senatoriam impetrare contendit Symmachus Synesio Iuliani filio. Porro Iulianum, eloquentem virum, familiarem ac necessarium suum commendat Ausonio idem Symmachus ep. I. 43. Quin ad Iulianum Rusticum, qui plane unus idemque videtur vir, scribit noster orator libri tertii priores epistulas novem, quarum in septima ait etiam, se illi mittere oratiunculam quamdam suam in senatu recitatam, quae tamen non huius argumenti fuisse videtur. Aliquanto propius ad rem nostram accedit quod narrat Neoterio Symmachus ep. V. 43 de oratione sua postulatoria in senatu recitata: " oratiunculam, quam proxime in senatu habui, ad te misi, de qua „ Carterium tecum plene arbitror collocutum. Nam petitioni nostrae auditor „ interfuit. Et quamvis totius ordinis secunda suffragia cepisse videamur, in „ te uno tamen summam testimonii collocamus „.

I. Quod Iuliani .c.u. cum primis amici mei filio precator [a] potius quam testis adsum [1], nemo uiri [b] diffidentia curatum putet, cum statuerim ·P·C· non minore a uobis reuerentia et fide [c] omnia poscere, quam ceteros. Opto iurare, et mehercule debuissem subire partes dicendi testimonii, nisi eius desiderium recepissem, a quo laudatores consuetudo uestra magis exigit quam dubitatores [d]. Nulla igitur suspecta sit ista libertas muneris mei. Rogaturus ut dignitati nostrae nouus senator accedat, habeo praesentem poenam [e] si iungor indigno: neque eam numero et modo simplicem, si uno facto et meae auctor iniuriae, et reus uestrae sim. Quare credatis uelim, non mea cautela factum, sed securitate suscepti, ut hoc potius sortirer officium. Dum iuratoribus abundat, dum meriti sui certus est, adhibuit petitorem, quem testem sibi alius reseruasset.

II. Nec me putetis satis absolutum conditione iurantium. Ego uero, cum res amici agitur, etiam de nobis arbitror iu-

a Cod. *praecator*. b Ita cod. *uiri*. Suspicabar ualde scribendum esse *ueri*. c Cod. *reuerentiam et fidem*. d Cod. *dubitatiores*. Et quidem uidebatur scribendum *iuratores*. e Cod. *poena*.

1 In legendo senatore habebatur ratio famae, generis, ordinis, aetatis, magistratus gesti, census, quaestus non turpis. Opus autem fuit horum capitum exhiberi testes a candidato. Patet uero ex hac oratione, non testes modo in petendo senatorio ordine, sed laudatores etiam fuisse adhibitos, ut in causis forensibus moris erat.

dicandum. Memini quanta diligentia mihi constet singulorum familiaritas: neque ita sum prodigus publicae dignitatis, ut de alieno soluam contractum domesticae gratiae. Taceo officiorum nostrorum laudabilis uices. Nolo pro meo debito curiam [a] peruenire. Quippe utrumque deforme est, et collegam futurum non censeri merito suo, et laudatorem eius de commune [b] esse soluendo. Quanto honestius dico, non ideo Synesius in senatum legendus est quia [c] mihi amicitia iungitur, sed ideo amicus est mihi quia dignus est qui legatur!

III. Pater huic iuueni est Iulianus adscitus senator, quae res de merito uenit: siquidem dignitas innata felicitatis est, delata uirtutum. Ceteri retro mores illius tunc a uobis probati sunt cum [ita] selegeretur. Num dictato rationis me[ae finiero] testimonio? Iurasse me existimate, quia praedico quae potestis agnoscere. Nec iniuria quis dixerit, Synesium plus decorem adferre sui. Et illud accessit, quod ex eadem domo iam secundus admittitur. Etenim propago generis, quae nec longius recedit a nouis, tanto altius tendit ad nouiles [d]. Non multum [equidem] . . . .

PARS INEDITA VATICANA.

. . . IIII. timori. Pendet circa illum sollicitae domus [e] pietas, sed ipse de se exigit quidquid [f] omnium sibi humanitas relaxauit. Iam uideo, Iuliane, causas consultissimae placiditatis tuae; tali filio magis securus es, quam remissus.

V. Illud autem non uereor ·P·C· nequis inparem senatoriis muneribus arbitretur unicum filium non pauperis patris. Atque utinam fortuna [g] germanum eius incolumen [h] senatui tradidisset! quod nunc alteri superest, satis esset ambobus. Synesius quidem meus omnes sibi opes cum fratre credit ablatas: sed res naturae est, ut diuisa, cum in unum redeunt, augeantur. Et quantum, dii boni, in dies proficit domus sobria! Quippe, ut scitis omnes, saepe inopia uel copia ex moribus uenit. Nisi forte excongruam [i] putatis istiusmodi laudem, plane inter facultatis censenda est parsimonia [k]. Nam senator, qui priuato usui minimum uindicat, publico plus reseruat.

a Ita cod sine praepositione. b Ita cod. c Cod. *qui*. d Ita cod. pro *nobiles*. Ex quidem in huius aeui inscriptione quadam memini me legere *amauilis* pro *amabilis*. e Cod. *domos*, o pro u, ut saepe in priscis codd. f Ita cod., non *quicquid*, quam alteram scripturam tuentur ualde grammatici a me in indice frontonianae latinitatis laudati. g Cod. *fortunam*. h Ita cod. Contra in Frontone ed. rom. p. 134. v. 10. *inguem* pro *inguen*. i Notemus uocabulum. k Cod. *parsimoniae*; sed e fortasse deleta. Confer autem Ciceronem de rep. IIII. 7, et pro Deiotaro VIIII.

VI. Cetera testibus sedulo addenda seruamus : mihi uberius [a] loqui cautius est, ne uidear non tam fide auctoris multa dicere, quam iniurati securitate. Duobus quidem nitimur Euresio [1] uti [b] et Auito .cc. uu. [c], quorum religionem si omnes aequare possent, nemo iuraret. Sed horum priori quamquam facundo possent gratiam facere dicendi, suffecit desiderio uestro ad suffragium quod auunculus petitoris est. Siquidem uir honorum frequentium, multae [d] in re publica uigilantiae generi suo quaesiuit omne quod meruit. Enimuero nec Auitus meus orator [2] de summatibus minore momento causam iuuabit : quia ornamentum sic de amicis, ut de proximis, sumitur. In his dignitas generis, in illis specimen honestatis est : illa pars familiam commendat, haec uitam.

VII. Uos nunc, patres conscripti, oro adque [e] obsecro ne tamdiu in una domo sinatis esse dispares dignitatis [f]. Hic omnium parentum summus est labor, ut magis splendeant qui sequuntur. Dedit natura Synesio bonos mores, pater optimas disciplinas, fortuna commodas facultates. Hoc unum ac potissimum nouo adhuc inueni decus est, cuius eritis [g] auctores . .

. . . .

a Cod. *uberibus*; sed tamen altera *b* uidetur expuncta : *b* Sic in codice obscurato lego *uti* aut *uel*. *c* Nempe *clarissimis uiris*, *d* Cod. *multe*. *e* Ita cod. *f* Ita cod. pro *dignitates*. *g* Cod. *eretis*.

1 Euresius quidam haereticus damnatur, et a coetu antistitum segregatur lege imperiali anno cccvc, Arcadii primo. Cod. th. xvi. 5. 28.

2 Auitum numerat inter rhetores Cassiodorius in conclusione tractatus de orthographia.

·Q· AURELII SUMMACHI ·U · C·

ORATIO PRO ·FL· SEUERO .

ARGUMENTUM.

Laudat Symmachus ·Fl· Seuerum, qui splendidis functus muneribus denique lectus fuerat in senatum. Porro ad Seuerum senatorem optimum scribit Symmachus epistulam 6. libri VIII; *nullusque dubito, quin pro eodem uiro hanc orationem habuerit. Sancti et optimi amici sui Seueri meminit Symmachus etiam libri* VI *epistulis* 5. 38. 49; *et libri* VII *epistula* 51, *commendat Decio noster orator Seuerum quemdam fratrem suum (nempe familiarem et necessarium) quem dicit episcopum omnium sectarum attestatione laudabilem. Denique libri nuper citati epistula* 116. *filios etiam commendat illustris memoriae uiri Seueri.*

. . . . I. posset uindicare uirtuti. Sed quid opus est apud nobilissimos [a] humani generis cuiusquam familia gloriari? Solis radiis omne lumen obtunditur: stellarum ignis [b] rutilare non sinit candor diei. Uos tamen mementote, non diffidentia istud fieri, sed reuerentia. Ante sacras quodammodo curiae foris [c] ornamenta maiorum suorum nouus collega deponit: tantum uirtutibus stipatus ingreditur, quae solae etiam genus indicare possunt quod laudare noluimus.

II. Si posset ullus in tantis rebus ordo retineri [d], moris [e] uiri prius adsererem, tunc [f] honores. Sed intellego, utrumque iungendum: fideliter enim de ingeniis singulorum potentia iudicat. Quanta uerecundia factum putatis, ut tam sero legeretur olim peruectus in fastigia summa rei publicae? Adhuc dubitat, an senatorem possit implere. Nempe auxit dignitatem nostram ista cunctatio: et superior locus factus est, quem sibi optimus uirorum post honores potissimos [g] reseruabit [h]. Fateamur necesse est ·P · C· ideo nobis amplius esse delatum [i], quia properantibus aliis ad hunc ordinem nil negamus.

III. Non tenui laude celebranda meritorum mediocritas, in hac praesertim nostrae aetatis facilitate, quae desiderii gradus non habet. Quis credat summatem facundiae, diu inter fori orna-

a Cod. *nobilissimus*. *b* Ita cod. pro *ignes*. *c* Ita cod. pro *fores*. *d* Cod. *retinere*. *e* Ita cod. pro *mores*. *f* Ita cod. pro *tum*. *g* Cod. *potissimus*. *h* Ita cod. ut p. 34, pro *reseruauit*. *i* Ita cod. *delatum*, sed melius uidetur *dilatum*.

menta numeratum, praesidalem dudum recepisse prouinciam? multoque itinere decurso, ad honorem paene exiguum nauigasse? cum plerique [a] hominum uiliorum prope a summis potestatibus inchoarent. Sed bona conscientia illud ducit eximium quod ipsa susceperit, eumque ordinem statuit magistratuum quem fecerint merita rectorum. Nescit publica merita nominibus aestimare; et illud putat esse fastigium, quod acceperit digniorem.

IIII. Creuit adeo illo tempore praesidatus, seseque ad magnitudinem regentis tetendit. Et cum potissimi uiri gloriam prouincia una non caperet, egit fama latior negotium suum, ut Theodosio, quondam militarium magistrorum celeberrimo [1], consultor belli per Africam iungeretur. Hic iam dissimulare non possum quid testimoni . . . . . .

·Q· AURELII SUMMACHI ·U · C·

ORATIO PRO UALERIO FORTUNATO.

ARGUMENTUM.

Agitur in huius orationis fragmento de homine nobili, matronae inopis filio, qui impensis magistratus ferendis laborabat. Ad Fortunatum consularem Pannoniae secundae extat lex augg. Valentiniani et Valentis anno CCCXLV. *in cod. th.* VIII. 5. 27. *Huius fortasse filium Valerium Fortunatum defendit seu laudat hac oratione Symmachus. Certe ad Valerium noster scribit ep.* VIII. 47 57. VIIII. 26. *Recole quae scripsi in praefatione ad Symmachum I.* 10.

I. . . . setur parte [b] corporis quae in se desideratur ab eis auitum [c] pacisci, quod materfamilias in usum uertit suorum: sed male res actura, dum nimis timide consulit aeris angustiis [d], hoc tamen uerius questa [e], quo minus eripuit quam re fauit.

II. Subicite oculis ·P · C· imaginem quamdam publicantis [f] matronae, et ante principum pedes filii ornamenta ponentis. Dolet misera et quod queritur [g] et quod precatur, id est defe-

a Cod. *plirique*. b Ita uideor mihi legere in cod. c Num *Auitum* nomen proprium, ut pro Synesio VI? d Cod. *augustiis*. e Cod. *quaesta*. f Cod. *publicantes* et mox *matrone*. g Cod. *quaeritur* et mox *praecatur*.

1 Intellige Theodosium magni Theodosii patrem, qui praeclaris rebus per Africam gestis, tandem Carthagine aulica inuidia oppressus est anno Gratiani post Valentinianum imperantis primo, Cristi CCCLXXVI.

ctum pecuniae et uoti deformitatem. Nam certe potuerat conuenientem censibus suis, ut nunc facimus, petere quaesturam, sed inopiae suae conscia hoc quoque ut grauissimum timuit, quo minus nihil est. Erat censurae uestrae ·P·C· Fortunati ostentationem notare, quod nulla poste [a] . . . familiaris auctus profectu uel [minime] eunti optat supra matris confessionem.

III. Sed ut narrandi uiam relegam, dili*gentia* infelicis remedii fuit. Postquam ille metus prouenit ad maturitatem, agitur in uotum recuperandi quod genere quaesiuerat. Impulsu fortasse boni sunt [b] . . . . qui se semper agnoscit. Nam, quod sciam, nullus illi aduentus noui conpendii fiduciam sui fecerat. Supplicat contra matris orata. Quid dico matris? Aduersum se supplicat pro senatu. Et forte [c] eo tempore tamquam uacuum dignitate se meritensis [d] ordo pulsabat, ratus saltem mediocritati suae Fortunati conpetere facultatis [e]. Lis procedit ad forum: multa de genere et integrato natalium splendore dicuntur: quae licet essent ualida ad uictoriam, plus tamen profuit, quod nec illis idoneus uisus est. Adeo rennuerunt [f] sterile certamen. Adque ita noster hic quaestorius candidatus non magis ut senator obtinuit, quam ut pauper euasit.

IIII. Eligite nunc tempus quo potuit, si modo umquam debuit, uocari ad tantae editionis inpensas. Primis aeui sui annis, senatoris sede si erat proximus, laborauit ne minori curiae [1] iungeretur: nam designari potuit a uobis aut per beneficium primae supplicationis alienus, aut sub periculo secutae litis incertus.

V. Intellego amplitudinem uestram diu ista nescisse; adque ideo ratum esse non debuit quod statuit ignoratio earum . . . .

a Supple tres circiter litteras. *b* Supple tres uel quatuor litteras. *c* In codice fortasse *porte*. *d* Miti mauis legere *dignitates emeritensis*. *e* Ita cod. quamquam genitiuus casus non exit in *ium*. *f* Praepositionem *re* duplicare post se consonam, certa grammaticorum obseruatio est.

1 Notissimum est plures fuisse senatoriae dignitatis gradus.

* *Codicis symmachiani orthographia eadem fere est quae Ciceronis ac Frontonis fragmentorumque iuris et aliorum codicum uetustissimorum a plurimis eruditis et a me editorum. Cum autem eam cuique in his oratoriis reliquiis contemplari liceat, ego quidem peculiarem eius indicem non contexam: quum praesertim in adnotationibus criticis rem non incuriose discusserim. Vocabula tamen aliquot, quae uidentur noua, numerare placet:* colorius III. 5. Dideo *singularis nominatiui terminatio* II. 5. diribitio IIII. 3. meritensis VIIII. 3 (*si ita legendum est.*) excongruus VII. 5. fauisor IIII. 3. fam, orum genere *neutro* III. 9. medullium II. 23 *pro* meditullium. ualide, as X. 1.

FRAGMENTUM ORATORIUM

INCERTI AUCTORIS.

Quod sequitur fragmentum haud e Symmachi palimpsesto prodit sed ex quatuor ambrosiani codicis (G. 58. part. sup.) paginis , quarum tamen nonnisi mediae duae legi commode potuerunt : nam prima atque postrema prope erant oblitteratae . Genus scripturae vetus neque a symmachiano valde abhorrens . Ad rei argumentum quod adtinet , vix dubito quin panegyrici cuiusdam seu laudationis fragmentum sit : quod quum olim Mediolani ederem , nescire me dixi auctorem eius itemque nomen laudati : quamquam a Symmacho suspicabar Serenam fortasse Theodosii ex fratre neptem , aut Mariam Serenae filiam , hoc scripto laudari . Nunc vero seposita ea suspicione , cogitare parumper libet de Cassiodorio , qui in praefatione variarum ait se ad commendationem universitatis frequenter reginis ac regibus laudes dixisse. *Rursusque var.* VIIII. 25. *dicitur idem Cassiodorius* aures dominantium luculenta saepius commendatione complexisse. *Iamvero tres quidem Theodorico regi filiae fuerunt , quarum duae regibus extraneis nupserunt , tertia autem Eutharico qui regni italici heres scriptus fuerat . Theodorici praeterea sororem et neptem regibus item in matrimonio collocatas novimus (var.* IIII. 1. VIIII. 1.) *Stilus certe a florenti Cassiodorii elocutione minime abhorret . Reliquos incerti auctoris characteres , siqui sunt , suis quemque locis non reticebo . Luxae tamen omnes coniecturae de auctore sunt : nam et de Sidonio , Ennodio , Avito , Merobaude , aliisque oratoribus , cogitare licet .*

I. qui regem . . . . fortem . . . . gladium . . . . nec palatium . . . . sanguine res tanta . . . . rerum . . . . biorum . . . . pes certam tubam . . . . peruenit ad regnum . . . . felici res publica [a] potuit quassatas ualidare . Eu . . . . tis sapientem conplestis felicissime . . . . forte . . . . ne sint . . . . caterbatim . . . . habes fuerit . . . . tanti ui*ri* . . . . fabulam undi*que* . . . . potuissent eligere nisi qui probetur saepius bella peregisse . Redeamus igitur ad Dominam felicem [1] ad . . . . aliquid . . . nata . . . uirtutibus excusare non poterit , cum se coniugem uiri fortis agnoscit . Huc ergo ad aulica penetralia sorores honestissimae [b] conuenite : huc cum summo nitore comite , quae uos possit ornare . Prima frontem [c] castitas caelestis instituat : deinde rosea uerecundia genas depingat : moderata temperantia fulgentium luminum serenet aspectum : cor nobile mitis pietas amministret : sermonem linguae honora sapientia largiatur : gressus religiosos modestia tranquilla conponat . Talem pompam habere meretur obsequiorum quae tantorum regum posteritas potuit inueniri [2] .

II. Uos autem nubescite prasini , pallescite lychnites [d] , albescite hyacinthi [e] , fuscamini margaritae . Non hic regias opes insana cupiditate deuoratis . Tulit uobis pretia [f] quae de se probatur ornata . Ferunt amauilem [g] Uenerem

a Num corrigendum *publicas?* *b* Cod. *honestissime* . *c* Cod. *fronte* . *d* Infra *lychnitae* . *e* Cod. *hyachincti* . *f* Cod. *praetia* . *g* Ita cod. pro *amabilem* .

1 Amalasuntham *dominam felicem* appellat Cassiodorius uar. XI. 1. 9.

2 In historia gothica (nunc deperdita) Cassiodorius Athalaricum Amalasunthae filium ostenderat in decimam septimam progeniem stirpem habere regalem , uar. VIIII. 25. Legesis eundem Cassiod. VIII. 5. VIIII. 1. XI. 1. Et quidem VIII. 9. is dicit diserte de Theodorico : *qui tantorum regum fuerat stirpe procreatus* . Et VIII. 2: *quaenis claritas generis Amali cedit* . Iornandes quoque historicus Amalorum origines generosissimas saepe praedicat . Contra praedictus Cassiodorius uar. XI. 1 Placidiam deprimit , quae tantummodo aliquorum prosapia gloriari poterat .

*

toto orbe laudatam strabis [a] intendisse [1] . . . [2] . . . inter innumeras margaritas et ostrum uerenda nigredine decorum, serena facie plus lucentem, quae in medio constituta gemmarum suum uincit ornatum.

III. En corusca sedes, quam diues India miretur, Persis gemmata concelebret, Hispania nouilis [b] obstupescat, ubi roseas uirgines intuemur pinnis rutilantibus alatas, quales pomposas decet esse uictorias. Margaritarum quin etiam lacteae coronae flexis auro circulis pulcherrima rotunditate clauduntur. Sic in opere tuo uidetur positum, quod sola felicitas meretur ad praemium.

IV. Hyacinthi [c] quoque taetra luce uibrantes cum luminibus claris mixtas cernuntur emicare nigredines: prasinae [d] tremula uiriditate conludunt, lychnitae uomunt frigidas flammas, hispanae sanguineos colores emanant: et una dispositio tua tot diademata conficit, quae cunctas mundi dominas . . . . sidereum quoddam . . . sunt . . . . inpigre . . . . perenne . . . . quod non . . . . praestat aestate. Nam . . . qui . . . re . . . . peculi altitudinem . . . propria est intentam dulcedinem . . . . meritos esse conspectu . . . . essent . . . . sol operibat . . . . summa . . . . semper illis quod semper laudaretur. Uidemus enim . . . . do relucent in amictus lat . . . .

·Q· FABIANI MEMMII SYMMACHI

RELATIONUM

BREVE ADDITAMENTUM ET VARIAE LECTIONES.

Dictum a me in praefatione est (p. xxv.) relationes illas de schismate Eulalii adversus Zosimum pontificem maximum, quae in decimo Symmachi oratoris epistularum libro leguntur, non habere auctorem Symmachum ipsum oratorem, ut vulgo creditur, sed eius filium: easque primo per Baronium ad an. CCCCXVIII *e codice vaticano editas, mox indistincte in Symmachi patris epistulas fuisse transfusas. Iamvero in prima ex his relationibus (quae vulgo inscribitur libri decimi epistula* LXXI *) non spernendam versuum aliquot clausulam nescio quo consilio suppressit Baronius, cui ceteroqui curae fuit omissionem suam indicare nota illa usitata* etc. *Ergo relatio sic mutila mansit in impressis hactenus libris, quam nunc cumulare placet. Praeterea pretium operae erit tum istius relationis tum subsequentium praeclarum variantium lectionum numerum subtexere productarum e vetere codice, quantum scio, unico; nam duo alia recentissima bibliothecae vaticanae exemplaria ex illo prisco exscripta fuerunt. En autem clausulam.*

. . . ut quod de hac parte pietas uestra decernat, praecepto uestri numinis euidenter informer [e] — * Diu enim quae contra reuerentiam uenerandae legis facta sunt, temeritate paucorum differri non conuenit; ne tarditate firmentur quae oporteret inter exordia recidi [f]. Gesta acclamationum populi, quae singulis diebus habita sunt, relacioni meae subieci [g]. Quicquid postea gestum fuerit, non taccebo — * Dat. IIII. kal. ianuarias.

[a] In cod. supra *strabis* additur *n*, ita ut sit *strabnis*, uidelicet pro *strabonis*. [b] Ita cod. pro *nobilis*. [c] Cod. *hyachinthi*. [d] Ita cod.; at superius *prasini*. [e] Ed. male *informet*. [f] Cod. *recitari*. [g] Cod. *subici*.

1 Notum Varronis illud apud Priscianum VI. 3: *non haec res de Venere paeta strabam facit*.

2 Quae sequuntur, in alio folio erant, neque cum superioribus satis cohaerent.

VARIAE LECTIONES

	Ed.	*Cod. vat.*
ep. 71.	pro debito famulatus	pro debito famulatu
	urbis uestrae turbare	urbis nostrae perturbare
	cum hic ita essent	cum haec ita essent .
	in ecclesia Marcelli	ut in ecclesia Marcelli
ep. 72.	conueniens multitudo	concinens multitudo
	statuat attineri	statuet attineri
ep. 73.	ad me uenire admonui	ut ad me ueniret admonui
	ad s. Paulum	ad s. apostolum Paulum
	uellet pariter	uellet
	et perseuerandae religionis reuerentia	et pro uenerandae religionis reuerentia .
ep. 74.	asseruimus	asciuimus
	ac prius omnia	ac post omnia
	praedictus	supra dictus
	diuini numinis	diuini iudicii
	serenitatis uestrae	perennitatis uestrae
	nos enim	non enim
	relictis singulis titulis praesbyteri	relictis per singulos titulos praesbyteris
	patientur	patiuntur .
ep. 75.	et amantissime	atque amantissime
	nimirum intelligi	dans nimirum intelligi
ep. 76.	populi – exagitaretur	populum – excitaret
ep. 78.	ad Constantium	ad Constantium comitem .
	ad se manantia	ad se manente
	cum mihi prius	cum mihi post
	primo ad conuentum	primo pauci ad conuentum
	fuissemus ingressi	fuissemus egressi
	populos partis	populum partis
	spoletino	spolitino
	cum ita s. Eulalius	cum enim et s. Eulalius
ep. 79.	mandentur instantia	tradentur instantia
	Augusti clementia	augusta clementia
	nunc agnoscit	nunc agnoscitur
	commoto	commota
ep. 80.	sane ut praedictus	sane si praedictus
	proponantur	proponentur
	et adhuc	et ad hoc
	dat. VIII.	dat. VII.
ep. 81.	ad Constantium	ad comitem Constantium patritium
	detrectauit	detractauit
	capti clerici	capti sunt clerici
	suggerenda	suggerendum
	suggestum fuerit	gestum fuerit .
ep. 82.	Dei enim iudicio	ideo enim iudicio
ep. 83.	iudicio firmatur	iudicio praeferuntur
	quasi ambiguitate	qua ambiguitate
	maiestas uestra	uestra maiestas
	edictis ex more propositis	edictis ex more ubique positis
	testarentur	testarent
	accurrente plebe	occurrente plebe
	et acquieuerunt	cum acquieuerant
	cessantibus ergo studiis omnes .	cessantibus igitur studiis unum omnes .

INDEX IN SYMMACHUM.

I. Laud. priores in Val. — II. Laud. posteriores in Val. — III. Laud. in Grat. IIII. Laud. in patres. — V. pro patre. — VI. pro Tryg. — VII. pro Synes. VIII. pro Severo. — VIIII. pro Val. Fortunato. — X. Fragmentum anonymum.


C. IVLII VICTORIS

ARS RHETORICA.

ARS RHETORICA [a] MAIOR [b] CONTINET HAEC.

a In codice heic et alibi *rethorica*. b Ita manu uetere in codice. A recentiore autem manu post hunc indiculum praepostere opus inscribitur *rhetorica minor*. c Cod. modo *asist.* modo *asist.* cum *i* pro *y*. d Ita cod. constanter cum diphthongo.

Specimen codicis vaticani-ottoboniani



C. IULII UICTORIS

ARS RHETORICA

HERMAGORAE [a], CICERONIS, QUINTILIANI,

AQUILI, MARCOMANNI, TACIANI,

FELICITER [b].

Oratoris officium est in ea quaestione, quae uersatur in negociis [c] ciuilibus, posse probabili et apta ad persuadendum oratione uti [1]. Sunt autem ea demum ciuilia negocia, quae nulla arte propria continentur; ut geometricae, et musicae, et ceterarum huiusmodi scientiarum; sed earum rerum tractatum habent quae perficiuntur ex opinione communi, aut legibus, aut moribus, et de quibus omnis qui aliquatenus intellectum aliquem recipiunt, et dicere et iudicare possint. Omnes enim fere et accusare alium et purgare se ipsos possunt, et de aequo et utili disputare uidentur sibi posse. Sed hoc alii natura tantum sine ulla obseruatione aut exercitatione faciunt: sicut ferire alterum et tueri se ipsum etiam qui armis facere non didicit, aliquo modo potest: naturales enim motus, quemadmodum corporis, ita et animi sunt, quibus et alium insectari, et pro nobis pugnare possumus: alii autem usu et exercitatione ciuilium rerum utilius et promtius utuntur oratione: unde factum est ut quaedam obseruationes nascerentur, quibus collectis et conpraehensis, esset quaedam disciplina dicendi. Huius uis constat inuentione, dispositione, elocutione, memoria, pronunciatione [2]. Primum est enim inuenire quod dicas; dein quod inueneris disponere; tum quod disposueris et oratione uestieris, memoria conpraehendere; ultimum ac summum, quod memoria conpraehenderis, pronunciare.

I. DE INUENTIONE.

Inuentio est excogitatio rerum uerarum aut ueri similium, quae causam probabilem reddunt. Haec cum existat ingenio atque natura, tum uero sine doctrina non potest perfici. Nam ut quidque auditu dignum excogitari aut inueniri commode possit, in ea, in qua dicendi ratio uersatur, arte discendum est. Excogitare igitur et inuenire debet orator principium, narrationem, egressum, partitionem, confirmationem, repraehensionem, epilogum, ut integra quasi membris constet oratio, de quibus singulis disseremus. Uerum non idem est ordo prose-

a Ante nomen Hermagorae additur manu recentiore *rhetorica doctissimorum*. b Manus recens addit *incipit*. c Ita se emendat in codice priscus librarius, qui ante scripserat *causis* pro *negociis*.

1 Confer ad Heren. I. 2. 2 Cic. de inuent. I. 7, Quintil. inst. III. 3.

quendae ac proferendae actionis , qui esse debet disponendae atque meditandae . In proferenda namque actione saepe primus locus prooemio datur , dehinc plerumque narrationi , post egressibus , tum quaestionibus , et nouissime epilogo . Sed in cogitatione nihil antiquius uersandum est , quam status causae : in quo plerique falluntur , qui quod primum dicendum sibi esse uident , id primum requirunt , id est principium [1] : dehinc de narratione cogitare insistunt ; tunc ad cetera descendunt : cum hoc sit commode dicere uolentibus perquam contrarium et inpeditum et multae caliginis plenum : fieri enim non potest aut probabile aut fauorabile aut pertinens principium , si se uel narratio uel ulla sentencia aut uerba denique ad rem agendam strenue offerant , nisi ei qui penitus causae uiscera per statum ipsum et singula membra quaestionum et species , cogitatione tacita apud se omnium quae prosint causae quaeque obsint , alta ratione discussit [a] . Hoc est quod Cicero ait [2] , *ex* [b] *rerum cogitatione* [c] *efflorescat , et redundet oratio : ac nisi res sit ab oratore percepta et cognita , inanem quandam elocutionem existere ac paene puerilem* . Socrates quoque dicere solebat , *omnes in eo quod scirent satis esse eloquentes* . Scire autem est rem , de qua dicturus sis , uniuersam ante pernoscere : (in hanc rem constat etiam Catonis praeceptum paene diuinum , qui ait [3] : *rem tene , uerba sequentur* :) et peristasin causae quam susceperis , et in ea iudicatum , τὸ κρινόμενον , per singulos proprii status articulos inuestigare : et tunc ad statuenda principia et ceteras orationis partes cogitatione respicere : ideo quod illa prima , quae dicuntur , si uehementer uelis congruere et cohaerere cum causa , ex his ducas oportet quae secuntur [d] . Accepto igitur themate , primum circumstanciam [e] sectari debes , cuius partes sunt ·VII· hae : *quis* , *quid* , *quando* , *ubi* , *cur* , *quemadmodum* , *quibus adminiculis* . Harum uero omnium aut plurimarum rationalis congregatio facit causam : et [f] hac primum perspicitur an assistat controuersiae ratio , an uero materia quae proposita est asystatos sit .

II. DE ASYSTATIS .

Asystatos est enim thema quod circumtantiam [g] non habet : ut , *reum facit iniuriarum pauperem diues* . Uides hanc causam stare non posse . Neque enim quando , nec ubi , nec cur , nec aliud praeterea potest quaeri , ut altercationem controuersia uideatur admittere , sed quasi nuda et debilitata proponitur . Nec tamen putes omnes species circumstantiae in themate omni posse reperiri : sed aliquando omnes , aliquando plerasque . Ac si , ut in suprascripto , paene omnis desit

a Pro *discusserit* ? *b* Cod. *et* . *c* Edd. *cognitione* . *d* Ita cod. prisca orthographia . *e* Cod. *circumstancia* . *f* Num pro *ex* , ut supra ? *g* Ita cod. etsi superius per *c* .

1 Videtur auctor quodammodo reprehendere Quintilianum inst. III. 9.

2 De or. I. 6.

3 Fortasse in libro de oratore , quem memorant prisci aliquot .

circumstantia, causam stare non posse. Sunt et alia uitia tria quae asystatas controuersias faciunt, ut κατ' ἰσάζουσαν [a] *, cum ex utraque parte circumstantia eadem utique est, et nulla ne parua quidem differentia discerni potest : ut, *uicini adulescentuli qui speciosas uxores habebant, nocte alter alterum obuium habuit; accusant se inuicem adulterii*. Nihil est enim quod non aequaliter ab utroque possit inuicem dici. Item καθ' ἑτερομερίαν *, cum reo nulla defensio est, et color facto probabilis non est, nec controuersiae sed communis loci speciem obtinet : ueluti, *decem iuuenes nuntiato bello digitos sibi amputauerunt : rei sunt laesae rei publicae*. Nulla enim defensio facinoris inuenitur. Est etiam aporon *, in quo iudex ferendae sententiae rationem explicare non possit : ueluti, *petebat alter ab altero usuram quasi creditae pecuniae; ille uelut depositam sine usuris restituere certabat. Pendente iudicio, lex de tabulis nouis* [1] *lata est; reposcit ille quasi depositam, hic quasi creditam retinet*. Non enim perspici potest quid in sententia ferenda iudex sequatur, cum petitor interdum creditam, interdum depositam; reus autem nunc depositam, nunc creditam dicat. In omni igitur controuersia perspicies, secundum ea quae suprascripta sunt, diligenter num aut plures partes circumstantiae desint, aut similitudo interimat quaestionem, aut inclinatio partium reo auferat actionem, aut caligo iudicis causam disceptare non possit. Et si ex his nullum inerit uicium, attende identidem etiam atque etiam, et inhaere origini quaestionis, id est intentioni et repulsioni. Intentio est id quod primum dicit qui mouet litem, siue accusator sit siue petitor : id est, *occidit patrem Sextus Roscius*. Repulsio est, *non occidit*. Ex intentione, et repulsione nascitur quaestio, *an occiderit*. Hoc τὸ κρινόμενον [b] Graeci dicunt. Hic est status causae, qui nascitur ex intentione et repulsione. Non omnis tamen status ex prima propositione et repulsione conpraehenditur, sed sunt status qui multis propositionibus et depulsionibus inuicem frequentatis sero eruantur : ut, *caedem fecisti*; si respondeat *non feci*, sicut supra, peruentum ilico ad

---

* *Scholion in marg.* Nota hanc . . quam hic isazusam . . alius auctor aliis nominibus scilicet eter . . isonta . . c tenta.

* *Sch.* Heteromerian Fortunatianus monomerem et epomerem [d] appellat. Exemplum uero quod hic sub heteromerian est, superius sub achromo posuit Fortunatianus. Heteromeria autem ab achromo differt, quod monomeres in omnibus deficit, achromos in solo colore.

* *Sch.* Nota quod hic aporon, superius antistrefusa uocatur.

---

a Deest γ. b Glossa siue interpretatio in marg. *iudicationem*. Cf. ad Heren. I. 16. c Attonsus est codicis margo. d Ita reuera scribitur *epomeres* in codice apud Fortunatianum sub initio libri primi.

1 Nempe χρεωκοπία seu σεισάχθεια. Confer autem in Capperonnerii editione Fortunatianum p. 55, Augustinum p. 325, qui et hunc locum mihi emendauerunt. In codice enim praepostere legitur *reposcit ille quasi creditam; hic quasi depositam retinet*.

*

statum sit, ut quaeratur *an fecerit*. Si uero cum obiectum sit *caedem factam*, respondeatur *factam quidem caedem sed iure, quoniam adulter occisus sit*; non iam [a] ἀπόφασις [b] a reo opposita erit, sed causatiuum, quod Graeci αἴτιον [c] appellant. Cui accusator aeque etiam non per [d] κατάφασιν [e] insistit, quia confessus est quod obiecerat, sed per συνέχον, quod est causatiui destructio; id est *non habuisse eum potestatem perimendi, quoniam infamis fuerit*: deinde referetur a reo, *negatam non esse etiam infamibus perimendi potestatem*. Uides quam sero et per quot gradus ad statum uentum sit, id est ad τὸ κρινόμενον, de quo partes congrediuntur, de quo iudex pronunciaturus est, *an etiam infamibus adulterum liceat occidere*. Hoc ergo interest, quod in superiore [f] ex cataphasi et apophasi tantum, id est ex intentione et depulsione, τὸ κρινόμενον inuenitur: in hac autem posteriore, relicta cataphasi et apophasi, ex causatione ἐκ τοῦ αἰτίου [g], et continentia ἐκ [h] τοῦ συνέχοντος, τὸ κρινόμενον apparet. Quintilianus [1] dicit primitus inueniri statum, id est τὸ κρινόμενον, si cogites id quod siue accusator uel petitor dicat, utrum controuersum sit an confessum: si confessum sit, non potest ibi esse quaestio. Transeundum ergo ad aliud, et illud subtiliter intuendum, confessum ne sit, an controuersum: ut ubi primum coepit controuersum esse, id est ubi primum non conuenerit inter partes, ibi statuatur quaestio, id est status, hoc est τὸ κρινόμενον. Hoc per exemplum insinuari manifestius potest, ut in superiori materia [i]: *occidisti hominem*; si respondeatur *non occidi*, controuersum est, non conuenit inter partes; potest hic esse quaestio *an occiderit*. At si respondeatur, *occidi*; confessa res est, conuenit inter partes, cum quod alius intendit, alius confitetur. Longius ergo proficiscendum est: *puniendus es, cum occidisse te fatearis*. *Adulterum occidi, et interimi adulterum licet*: quod hic confessum est; conuenit enim inter partes adulterum occisum. Quaerendum ergo est aliquid ultra: ut, *adulter fuit quidem, sed quia exul eras, tibi non licuit occidere*: respondetur contra, *licuit*. Ac uicissim cum aliunde dicatur *non licuit*, aliunde *licuit*, coepit inter partes non conuenire; et potest hic stare quaestio, ut sit τὸ κρινόμενον, *an exuli adulterum licuerit occidere*. Sed harum rerum rationem ac differentiam, nisi perceptis statibus consequi plenius non potes: et idcirco disce de singulis statibus.

III. I. DE STATIBUS.

Omnium omnino causarum status sunt octo. Ex his rationales quatuor, quatuor legales. Rationales ·IIII· sunt coniectura, finis, qualitas, translatio, quae uel rationalis est uel legalis. Legales sunt scripti et uoluntatis, legum contrariarum, collectio, ambiguitas.

a Cod. *etiam*. b Glos. *depulsio*. c Glos. *facti rationem*. d Deest *per* in cod. e Glos. *intentionem*. f Ita cod. sine nomine substantiuo. Sed inferius *materia*. g Cod. εἰς τοῦ αἴτιου. h Cod. εἰς. i Cod. *m* superposita *a*.

1 Cf. inst. III. 6.

§. 2. DE CONIECTURA .

Coniectura dicta est a coniectu animi , id est intentione mentis ad ueritatem acumine suo tendentis . Huius proprium est id quod obicitur totum negare , quod iudex suspicionibus sectatur . Status hic temporum est : nam quaeritur an fecerit , an faciat , an facturus sit . Alia est coniectura quae plena dicitur , alia quae non dicitur plena . Aut enim et in personis et in rebus quaestio est , et est plena coniectura : aut in personis tantum uel in rebus tantum , et est non plena . Coniectura plena est , ut est illa : *despondit filiam petenti pater ; exclamauit mater potius esse ut moriatur quam ut illi nubat ; obiit puella ambiguis signis citra nuptiarum diem ; ream ueneficii facit maritus uxorem* . Hic enim et de re quaestio est , an ueneno obierit puella , et de persona an mulier [a] dederit . De re tantum quaestio est , ut in illa controuersia : *pater et filius ducatum petierunt ; filius praeualuit ; aciem conmisit ; captus est et patibulo affixus . Inuentus est pater cum auro ab hostibus ueniens ; reus est proditionis* : hic enim de facto ambigitur solo . De persona tantum quaeritur : ut cum , *caedis reus est , qui iuxta cadauer recens in solitudine cum gladio inuentus est* . Hic enim res apparet , hoc est homicidium , sed de auctore dubitatur . Sunt et duplicis coniecturae species plures : prima cum utrique se reos directo consistunt , et sunt duae accusationes , duae defensiones , id est anticategoria [1] , et iudici licet quemcumque dampnare , ut in hac controuersia : *uir fortis , cui nouerca erat , captiuae nuptias praemii nomine inpetrauit . Obiit uir fortis* [b] *ueneni signis ; reas se faciunt ueneficii captiua et nouerca* . Secunda species est , in qua reus eligit aliquem facinoris auctorem , tamen citra accusationis periculum ; ut ·M· Tullius remouendi a Sexto Roscio criminis causa Capitonem et Magnum et Glauciam designat facinoris auctores . Tertia species est , in qua quaeritur , *hic testamento nominatus an ille : ueneni sint* [c] *an cruditatis* [d] ? Quarta species est , in qua uterque a se factum esse consistunt [e] , ut in hac controuersia : *tyrannus suspicatus est sibi uenenum a medico suo datum : alium medicum aduocauit : ille ait ueneno eum appetitum , et antidotum pollicitus dedit potionem , qua epota , tyrannus obiit . Ambigunt medici de praemio* [2] . Fit coniectura et ex una parte duplex aut multiplex , cum duo aut plura crimina accusator intendit , quae defensor negat .

a Nam pro *mater* ? b *Uir fortis* superadditur in cod. c Videtur scribendum *signa* pro *sint* . d Codex quidem habet *cditatis* , u posita super c . e Ita cod.

1 Quintil. III. 10.

2 Hanc nominatim atque alias eiusmodi , quae sequuntur , controuersias in scholis agi solitas ait auctor dialogi de causis corr. eloq. cap. XXXV.

§. 3. DE FINE.

Si neque de facto neque de persona negamus, superest, ut confessi conmisisse nos quod obicitur, negemus id quo accusator uult nomine uocandum, ut sit finis. Ut, *diues inimici pauperis statuam uerberauit; reus est iniuriarum*. Hic enim non negat a se diues quod intenditur factum, sed difforte se tuetur, idest non hanc esse iniuriam. Diffors enim est oratio, quae id quod diffinit [a] explicat quid sit: et ideo in hoc nomine controuersia est, quia cum de facto conueniat, quaeritur quo id quod factum est nomine appelletur. Omnis quaestio finitiua fit quotiens aliqua res ex parte perfecta est, ex parte inperfecta. Nam si sit omni parte perfecta, nulla erit quaestio: ut, *sacrilegium illud est, quia de sacro loco uas ablatum est. Sacrilegium illud non est, quia non sacrum uas ablatum est*. Et semper siue in simplici siue in duplici finitor eo, quod est, nititur. Infirmatur diffors eo quod deest. Illud etiam respiciendum est, quod in omni finitiuo statu, aut minoris poenae oblatio est et maioris repulsio: ut, *non debeo capite puniri, quia non sacrilegium est quod admisi sed furtum: ob hoc quadruplum soluendum est*. Aut omnis omnino poenae repulsio est: ut, *nullam poenam mereor quod statuam uerberauerim: non est enim iniuria quod admisi*. Huius status species sunt plures. Est enim simplex, quando [b] de uno nomine quaestio est, ut in illa controuersia, in qua reus est iniuriarum qui statuam uerberauit: nam quoniam hoc tantum in disceptationem uenit quid sit iniuria, simplex finis est. Est et duplex finis, in quo duo nomina ueniunt in quaestionem: ut, *fur quadruplum soluat; sacrilegus capite puniatur. Is qui ex fano pecuniam priuatam subripuit, ad poenam deposcitur; offert quadruplum*. Hic duplex finis est, quia quaeritur et quid sit furtum et quid sit sacrilegium. Est et alia species duplicis finis, in qua non de duobus nominibus quaeritur; sed cum ei rei, quae proprium nomen obtinet, aliud extrinsecus nomen adhibetur: ut, *saepe se uerberanti marito uxor amatorium dedit, eumque repudiauit: obsecrantem reconciliari, respuit; ille se suspendit; rea est mulier ueneficii*. Hic constat potionem illam amatorium uocari: an tamen et ueneficii nomen accipere debeat, quaeritur. Est et multiplex finis, qui fit aut per partitiones aut per diuisiones: per partitiones, cum res ea, quae proposita est, quasi in membra discerpitur, ut siquis dicat: *ius ciuile est quod in legibus, senatus consultis, rebus iudicatis, iuris peritorum auctoritate, edictis magistratuum, more, aequitate, consistit* [1]. Per diuisiones autem cum formas omnes conplectimur, quae sub eo genere sunt: ut, *abalienatio est eius rei, quae mancipi est, aut traditio al-*

a Ita cod. b Cod. qd superimposita o.

1 Notemus hanc egregiam ciuilis iuris definitionem.

teri nexo aut cessio in iure. Est etiam finis per etymologiam: ut, *tyrannicida optet praemium; ascendit quidam arcem necaturus tyrannum; ipso non reperto liberos eius interfecit et ibi gladium reliquit, quo se, cum superuenisset, tyrannus occidit*. Qui cum negat praemio honorandum, etymologia utitur, dicens, tyrannicidam esse si quis occidat tyrannum, non si quis ei causa mortis extiterit. Est et alius finis, in quo aliud continet et aliud continetur: ut *si quis sacra indicauerit, poenas luat; quidam iniciatum se sacris somniauit; eam rem sacerdoti retulit; sacerdos ita esse respondit; petitur ad poenam*. Hic continens finis est quid sit indicare; *dicere, an assentire nescienti?* Continetur ille, *an profanus sit qui talia somniauit*. Ex cuius quaestionis fortuna dependet etiam prioris euentus.

§. 4. DE QUALITATE.

Qualitatatis status uel in primis ad noticiam necessarius est, propterea quod multiformis ac uarius est et in plerisque forensibus negociis magis quam in pragmatibus scholasticis assiduus. Est igitur qualitas, ut ex nomine ipso deprachendi potest, genus quaestionis in quo nihil [a] aliud tractatur, quam cuiusmodi sit ea res quae in controuersiam adducitur. Sunt autem qualitatis primae species duae secundum M. Tullii auctoritatem [1], pragmatica id est negocialis, et dicaeologica id est iuridicialis.

§. 5. DE PRAGMATICA ID EST NEGOCIALI.

Negocialis est in qua infinite, et quodammodo citra personae conplexum de re ipsa quaeritur qualis ipsa sit. Pragmatica fit modis pluribus. Nam et deliberatiuum est quaestionis genus; sed si modo res apud iudicem agatur; persuasoria est controuersia negocialis; quo in genere sunt omnes fere diffortes. Item fit cum simplex petitio inducitur, uel cum quaeritur in quo iure sit res aut persona. Item negocialis status est, cum quaeritur de quantitate alicuius rei uel in mensura uel in numero: quod genus quaestionis incidit nonnumquam in ciuiles actiones, cum aliqua ratio acceptorum, expensorum, et solutorum inducitur, uelut cum de mensuratione [b] agrorum inter uicinos. Et modo primo quaestio nascitur, uelut cum propter onera fugienda de bonorum permutatione tractatur. Et ut breuiter explicem, quaecumque controuersia uersatur in aestimatione litis uel precii [c], uel quantitatis, uel numeri, uel alicuius huiusmodi rei, ea cadit in statum negocialem; sicut etiam de aestimatione litis, aut de modo poenae constituendo his, quo-

a Cod. ubique *nichil*. b Ita uidetur cod. c Cod. *praecii* cum diphth. constanter, ut alii prisci codices.

1 De inuent. I. 11.

rum de culpa iam pronunciatum est : quales sunt duae orationes Catonis et Caesaris de poena coniuratorum [1]; quaeritur enim illic quanti lis coniuratorum debeat aestimari. Hoc autem genus quaestionis totiens nascitur, quotiens nulla lex certam poenam constituit maleficio quod constat : aut cum plura genera poenarum sunt diuisis [a] legibus constitutarum, contra uoluntatem alter alterius sibi uindicabunt, et non arbitrium iudicis, sed necessitatem legis spectabunt. Et ideo ne sit error, totiens negocialis status esse dicetur, quotiens poenae in condempnatum reum electio erit in iudicis potestate nullam statutam formam uindicante. Praeterea etiam illud est negociale quaestionum genus, in quo singulae rerum qualitates patiuntur quaestiones per uniuersales propositiones, an honesta, an utilis, an iusta res sit : quae ferme etiam in legum et in rogationum lationibus obseruari solent. Item alia est species negocialis, cum hae eaedem qualitates rerum inter se conparantur, utrum iustior an honestior : uel cum aliquis reddit causas uoluntariae mortis. Fit negocialis status ἐπιβολῇ ποιοτήτων, id est iniectione qualitatum, cum quasi inicitur et superuenit qualitas qualitati, sicut in illa controuersia : *qui seruus dicebatur, coepit in libertatem uindicari : placuit omnia iudicia in annum differri : postulat ille ut medio tempore in possessione libertatis sit*. Est enim una qualitas, quia seruus uidebatur : deinde superuenit qualitas alia, quia liber hodie uideri uult, et exinde quaestio oritur; quae tamen quaestio non fuisset, nisi adumbrata esset influentibus in se quodammodo prioribus qualitatibus : et seposita persona quodammodo generaliter quaeritur, cum paulo ante seruus, hodie autem liber dicatur, et necdum de altero constet, utrum sit aequius eum in libertatis possessione consistere, an in seruitute retineri. In summa omnis negocialis [b] status neque facti defensionem habet, neque coniecturam futuri, sed suadet etiam quid oporteat fieri. Ideoque eiusmodi res ad ius quodammodo futuri temporis spectat. Diximus retro duas esse primas species qualitatis, negocialem et iuridicialem. Quoniam igitur de negociali satis tradidimus, nunc iuridicialem uideamus.

§. 6. DE IURIDICIALI ID EST DICAEOLOGICA.

Iuridicialis est, in qua non sicut in negociali quid debeat statui, sed quid fieri oportuerit, consideratur. Et licet similis sit superioribus, differt tamen quod criminibus refutandis commodior uidetur. Proprium autem eius est, quod ita subest de ista materia, ut an criminose an licite factum sit disseratur. Hoc scinditur in duas partes, in antilensin [c] quae est absoluta, et in antithesin quae est relatiua.

a Nam pro *diuersis*? b Cod. hoc loco *negocilis*. c Cod. *antilensi* et mox *antithesi*.

1 Apud Sallustium.

§. 7. DE ABSOLUTA QUAE EST ANTILENSIS.

Absoluta qualitas fit quotiens de facti tantummodo qualitate contenditur, ipsaque res, quae in iudicium uocatur, perniciosa non esse uere monstratur, recteque facta et iure: quoniam frustra est paene licitum quid esse, nisi sit et bonum atque iustum; et ita tamen secundum iustum non uetetur, ceterum [a] si legem profert, legalem statum. Ueluti *dampnato Milone exclamauit ·M· Tullius Romam sedem bonis uiris esse non posse; et reus est laesae rei publicae*. Hic enim neque dictum a se, quod obicitur, inficiatur, neque de nomine criminis disputat, nec de transferendo iudicio laborat, nec lege contra legem aliquam utitur, nec contra sentenciam scripto nititur, nec ambiguitatem distinguit, nec colligit aliquid, collectumque dissoluit, nec sicut in negociali qualitate quid oporteat fieri tractat; sed de qualitate eius, quod iam dictum est, contendit, et nullo iure prohibitum et perniciosum non esse.

§. 8. DE ANTITHESI QUAE EST RELATIUA.

Antithesis genere et ipso exprimit qualitatem [1]: sed idcirco tantum species habenda, quia non usquequaque simili, ut absoluta, consistit articulo. Namque illa, ut quae prima uim generis sui, id est qualitatis, exceperit, in eo uniuersa est ut de qualitate eius, quod fecisse aut dixisse arguitur, reus disputet, id est non esse inprobum doceat. Antithesis autem non ex qualitate eius, quod fecisse reus arguitur, defensionem praestat, sed ex alia re extrinsecus appetita, id est ex causatiuo, cum rei ipsi non potest assistere, sed causam asserit, propter quam fecisse dicat. Et interest inter absolutam et relatiuam, quod ibi facti qualitate reus se tuetur, hic qualitate causae propter quam dicitur factum: id est αἴτιον. Ueluti, *Orestes* [b] *accusatur quod matrem interfecerit*. Non potest enim factum quod obicitur, recte factum ostendere, sed αἴτιον, id est causam, propter quam fecit allegat, id est, ob patris sui necem. Fit antitesis per ·IIII· species, aut κατ' ἀντέγκλημα, aut κατ' ἀντίστασιν, aut κατὰ μετάστασιν, aut κατὰ συγγνώμην. Κατ' ἀντέγκλημα est cum in eum ipsum cuius gratia arguimur, culpam referre conamur, et causatiuum ad defensionem facti ex ipsius incusatione deducimus: ut supra *Orestes reus ob necem matris, ipsam propter quam accusatur accusat, et in eam, quae maritum interemit, causam criminis refert, ac per accusationem* [c] *matris sui defensionem conparat*. Καταντίστασις fit cum aeque [d] factum ipsum quasi recte factum probare nequeamus, causatiuum autem inducimus, ut ex incommodo propter quod arguimur, maius commodum enatum, ueluti rei rem, rependimus atque pensamus;

a Ita cod. b Cod. cum adspiratione heic et alibi. c Cod. occasionem. d Cod. eque.

1 Cf. Quintil. VII. 4.

ut, *imperator fugientibus ad moenia militibus, bis acie pulsus, tercio disiecit muros, et conflixit et uicit*. Nemo potest dicere recte factum, quod ciuitati muri sint adempti; sed adfirmat maius ex eo incommodo commodum esse quaesitum, uictoriam scilicet; cuius beneficio consecuti sunt, ut uel alia moenia meliora etiam exstruere possint. Catametastasis fit cum factum, propter quod arguimur, aliorsum a nobis diriuare [a] conamur; nec conpensamus, sicut in catantistasi; nec in eum ipsum, propter quem rei sumus, regerimus incusationem, sicut in catantenclemate; sed contenti a nobis remouere, aliorsum transferimus uel in personam uel in rem: in personam, ut *si Haala Seruilius Spurio Melio occiso ita se defenderet, occidisse quidem, sed iussu dictatoris*. In rem, ut *si* [b] *Hannibal reus quod a tercio lapide urbis recessisset, diceret fulminibus et tonitruis se esse deterritum*. Κατὰ συγγνώμην est cum et factum confitemur quod intenditur, et culpam esse concedimus, et eam in alium transferre non possumus, et commodum nullum ex ea probare conamur; sed, omissis omnibus, ueniam precamur, aut ignoratione aut necessitate aut casu: ut est Marci Tulli pro Ligario [1] sententia: *si omnia defecerint, superest deprecatio, in qua et male et sponte nos fecisse confessi, nihil aliud quam preces allegamus*. Quod genus actionis apud humiliores iudices nihil ualet, si sola sit. Quid enim apud eum preces agant, cui necesse est dampnare [c] confessos?

§. 9. DE METALEMPSI ID EST RATIONALI ET LEGALI.

Translatio est, id est praescriptio, cum id agimus, ut causam non dicamus, id est excludamus actione aduersarium. Consistit autem haec quaestio aut ratione, aut lege. Ratione praescribimus modis sex; aut persona, aut loco, aut tempore, aut re, aut modo, uel numero. Persona, ut *ignominiosus es, accusare tibi non licet: aut magistratus sum, accusari me non licet*, et alia. Loco, ut *non in senatu accusari debeo sed apud iudicem; non Romae sed Athenis*, et alia. Tempore, ut *non nunc, sed olim agere debuisti, aut nondum tibi agere permittitur*, et alia. Re, ut *dementiam* [2] *tibi agere licet aduersus patrem, tyrannidem non licet*, et alia. Modo, quod difficile in scholasticis pragmatibus inuenitur, ut *non hanc formulam mihi intendere debuisti, sed illam: non ex hoc edicto mecum agere, sed ex illo: non tanti litem taxare, sed tanti litem* [d], et alia. Nonnumquam et in una controuersia duae translationes existunt. Necesse est tamen praescriptionem in aliquem statum continuo transire: ut si dicam, *non potes me accusare, nam infamis es*; et respondet ille *non sum*: et fit coniectura: aut respondebit *aequum esse et infamibus actionem dari*: et fit qualitas, et alia.

a Ita cod. b Deest *si* in cod. c Ita cod. 2. manu; at 1. *damnare*. d Ita cod.

1 Cf. cap. 1. 2 Confer inferius IIII. 8, et Quintil. VII. 4.

§. 10. DE TRANSLATIONE LEGALI.

Translatio est legalis cum aliquod nobis ius patrocinatur ad excludendum actionem diuersae partis, ut in illa controuersia: *bis de eadem re agere non liceat*; *pauper duorum diuitum inimicus filio in urbe relicto peregre profectus est*: *filius eius inuentus est occisus et spoliatus*: *et accusauerunt se diuites caedis*, *ambo absoluti sunt*; *regressus pauper uult eos accusare*; *illi ex lege praescribunt*. Non fallat [a] autem nos, non in his solis controuersiis esse praescriptiuas quaestiones, quae totae praescriptione tollantur; ut est controuersia quae supra scripta est; sed sunt et aliae controuersiae, in quibus erunt quidem primae praescriptiuae quaestiones, sed non ita ut controuersia finiatur in ipsis. Utrimque enim, omissa praescriptione, descenditur ad causae disceptationem: ut, *mortem petit uir fortis unius ex ciuibus*; *decreta est*; *non occidit*; *petit ille ut occidatur*. Erit quaestio prima praescriptiua, *non licet tibi postulare*, *semel decreta morte mea*; *et si aduersus alium licet*, *aduersus me non licet*. Quae quamquam sint praescriptiua, necesse est tamen ab his descendant actiones ad iuris aut praemiorum disputationem.

§. 11. DE STATIBUS LEGALIBUS.

Sunt autem legales status, sicut supra dictum est, quatuor: ambiguitas quam Graeci ἀμφιβολίαν uocant; collectio, quam Graeci συλλογισμὸν uocant; contrariae leges, quem [b] Graeci ἀντινομίαν uocant; scriptum et uoluntas, quem Greci ῥητὸν κατ' ἔννοιαν [c] uocant.

§. 12. DE AMBIGUITATE.

Ambiguitas est quotiens uaria pronuntiatione uel uaria significatione quaestio nascitur. Fit autem uel in scripto uel in uoluntate scripti. In scripto, aut per distinctionem fit aut per similitudinem nominum quod est ὁμωνυμία. Per distinctionem fit sic: *periurus ter dena milia soluat*: *periuratum semel*; *petuntur ab eo triginta milia*. Sic enim totum in distinctione consistit; utrum pronunties *periurus ter*, an uero *periurus*, et distinguas, et sic postea adiicias *ter dena milia det*. Per similitudinem autem nominum, uelut *heres sit Tiberius*, et *multi Tiberii ambigant*; uel cum *legatur taurus*, et quaeritur *utrum bouem an seruum Taurum legauerit*, et talia. Per uoluntatem uero fit ambiguitas, cum tota quaestio in uoluntate scriptoris consistit. Ueluti *meretrices*, *si ancillas habeant*, *publicae sint*: hic enim neque distinctio discernere potest quaestionem, nec de nominis similitudine altercatio nascitur, sed tan-

a Ita cod. b Ita cod. heic et infra, ita ut referatur ad uoc. *status*, nisi mendum est. c Corruptum est in cod. hoc uocabulum, nempe *catlano*.

*

tum quid lex uoluerit quaeritur, *utrum meretrices publicas esse, an ancillas, an utrasque*.

§. 13. DE LEGIBUS CONTRARIIS.

Legum contrariarum status est, cum aut duo scripta contraria inueniuntur, et conparatione in diuersa nituntur, quod perquam raro accidit; aut cum peristasis ipsa, quamuis diuersissimas leges, ita tamen comminus conducit, ut contrariae esse uideantur. Ueluti, *sacerdotibus Uestae sit perpetua uirginitas; uiri fortes praemium accipiant: fortiter fecit quidam, et petit nuptias uirginis Uestae*. Hic enim ipsae leges contrariae non erant; quippe ne eadem quidem de [a] re scriptae, sed incidentia, quam peristasin dicimus, ita eas ex diuerso comminus adegit, ut repugnare sibi uideantur. Fit autem legum contrariarum status, non modo cum duae leges uidentur esse contrariae, uerum etiam cum aliqua incidit duplex, et actores alter alteram tuentur partem: ueluti *rapta raptoris mortem aut indotatas nuptias optet: duas quidam eadem nocte rapuit: altera mortem, altera nuptias optat*. Hic quamquam una lex sit, tamen legum contrariarum status dicitur. In simplicibus quoque aliquando nascitur legum contrariarum status: uelut *fortis praemium accipiat; fratres, qui patrem habebant proditionis reum, fortiter fecerunt; petunt alter ut aboleatur iudicium, alter ut agatur*. Quod enim ad legem attinet, simpliciter unam rem praescribit, ut uir fortis praemium accipiat; non ut illa superior [b] aut mortem aut nuptias flagitet: sed uoluntates diuersae uirorum fortium quandam speciem ediderunt quasi duarum legum contrariarum. Hoc genus quaestionum nonnulli quasi sine statu, asystaton, repudiant, cum omnia uideantur utrimque paria esse, et sint *ἰσάζοντα*. Sed conparatio per omnes tracta articulos ab hac calumnia uindicat quaestionem.

§. 14. SCRIPTI ET UOLUNTATIS.

Quando alter uerba praestat quae scripta sunt, alter sententiam interpretatur uel quiddam excipit, scripti et uoluntatis status appellatur. Hic autem status non in legibus solum est, sed in testamentis et edictis, in dictis, in omni re quaecumque in litteras referri potest. Ut in hac controuersia: *peregrinus murum si ascenderit, capite puniatur; murum peregrinus ascendit, hostem aduenire nuntiauit, processit exercitus et uicit; petitur ad poenam*. Is qui petit, lege utitur; is qui recusat, uoluntate: dicit enim, *non omnes qui ascenderint, sed eos, qui malo uoto ascenderint, puniendos*. Scripti autem sententiam intemptamus tribus modis: aut scripto ipso; patet non semper id posse seruari; non enim et infantes et debiles uinciuntur [c]. Aut ex legibus exempla ducun-

a Desideratur *de* in cod. *b* Ita cod. nempe pro *supradicta*. *c* Ita cod.

tur, quibus probetur non semper scripto stare [a] posse. Aut cum ex ipsis legis uerbis argumentantur non id quod dixerit uoluisse latorem. Ut in hac controuersia: *noctu qui cum ferro fuerit inuentus, uinciatur; cum massa ferri quidam deprachensus est; petitur ad poenam*: apparet enim legis latorem in ferri nomine telum cogitasse.

§. 15. DE COLLECTIONE.

Cum ex eo, quod certum est, id quod incertum est ratiocinatione inquiritur, collectiuus status uocatur. Hic colligitur duplici modo. Nam quaeritur aut an satis lege cautum sit, aut an nihil propriae legis habeat et similitudine uti debeat. Superioris collectionis species sunt ·IIII· Ab eo quod semel, et saepius: ut *incesta praecipitetur; praecipitata euasit; petitur ad poenam*: dicitur enim quae praecipitari iussa est, saepius debere praecipitari, nisi obierit. Aut quod in uno et in pluribus: ut *qui duos tyrannos uno tempore occidit, petit duo praemia; contra dicitur*. Aut quod ante est et postea: ut *rapuit quidam et profugit; rapta nupsit; reuersus raptor petitur ad mortem*. Aut quod in parte est totum: ut *uomerem pignori accipere ne liceat; aratrum accepit; contra dicitur*. Secunda collectio fit a simili: ut *cum uir fortis praemium accipiat, et tyrannicida debeat accipere*. A contrario: *cum [b] desertor capite puniatur; uir fortis praemium debet accipere*. A maiore ad minus: *exulem intra terminos liceat occidere; utique et flagellare*. A minore ad maius: *furem licet uerberari; latronem utique interfici*. Haec sunt quae de cognoscendis statibus insinuanda tibi existimaui. Sed in his ille error non debet existere, quod plerumque in pragmatibus rationalium statuum, multae leges inueniantur. Quamuis enim ista sit pugna, tamen omnis lis atque contentio non ex legibus sed ex ratione extrinsecus adposita consurgit. Ueluti *fur quadruplum soluat; sacrilegus capite puniatur; de templo qui priuatam pecuniam sustulit offert quadruplum, et petitur ad poenam*. Hic quamquam duae leges positae sint, quaestio tamen non ex legibus nascitur sed ex criminis proprietate; et fit status finitiuus, qui est unus, sicut retro didicisti, ex rationalibus statibus. Contra et legales quaestiones, quamuis multae extrinsecus rationales altercationes admoueantur, pugnam tamen et contentionem ex ipsis legibus gerunt. Ut *uir fortis praemium petat, fortiter quidam fecit et petit mortem ciuis*. Hic etsi ratiocinatio adhibeatur extrinsecus, disceptatio tamen omnis nominis in legis uoluntate consistit; et fit status scripti et uoluntatis, qui est et unus ex legalibus statibus. Post haec meminerimus, alias esse controuersias simplices, alias coniunctas. Simplices, tres [c] status habere; id est *aut non feci, aut non hoc feci, aut iure feci*, et cetera. Coniunctas uero totidem status plerumque recipere posse quot sint crimina uel species. Uelut

a Ita cod. non *stari*. b *Cum* a me suppletur. c Vocabulum *tres* est corruptum in cod.

cum uni reo multa intenduntur, et aliud negat aliud definit, aliud iure factum contendit; et cetera, prout causa postulauerit. Aliud autem interest inter simplices et conpositas controuersias; quod conpositae, sublata una re aut pluribus, manent tamen; simplicium omnis contentio contra unam rem consistit. Et ideo cum incidit conposita causa, licebit eam sic tractare quasi plures causas.

IIII. §. I. DE DIVISIONE.

Quoniam quemadmodum possis dinoscere statum plenissime tibi traditum est, protinus accepto themate cura perspicere cuius quid sit status. Habent enim singuli quandam ad diuidendum regulam propriam, licet sint eius pleraque communia, illo [a] quod in omni statu diuisio rectius ordietur a generalibus quaestionibus, quae in unaquaque causa generales esse potuerint; et a generalibus gradatim descendunt ad speciales, id est ad causae proprias. Generales sunt quae non in ipsa tantum causa tractari possunt, sed habent aliquid commune cum pluribus: ut, *an ueri simile sit a diuite tyrannidem affectari*. Hoc enim non in hac tantum causa, sed ubicumque diues reus affectatae dominationis fuerit, disputari potest. Deinde sequitur, *an cum habeat magnam secum manum*. Haec quoque generalis quidem est, aliquatenus tamen iam deuergit ad speciem: non enim omnibus reis hoc idem obici potest. Ex hac peruenitur ad specialem, id est propriam praesentis iudicii: *an cum abdicatos secum habeat*. Ita sensim defluit generalitas ad speciem, id est ad τὸ κρινόμενον. Eadem ratio est diuisionis et in ceteris omnibus statibus. Intuendum tamen est ne nimis immoremur generalibus quaestionibus, sed praecipuam congressionem ad causae proprias conferamus species. Disputatio enim generalium apud animos iudicum praeparabit tantummodo aditum, ut magis persuadere possis cum de specialibus disputabis. Ceterum omnis causae firmitas in τῷ κρινομένῳ non est specie iudicii propria. Cui etsi generales nonnihil prosunt, nisi tamen cum summa industria speciales fuerint elaboratae, frustra sit in generalibus opera consumpta. Sunt et incidentes quaestiones, sed et incidentium incidentes, id est cum ad iudicandum statum eum, qui est causae proprius, alius extrinsecus status superuenit. Sed hoc planius per diuisionum exempla percipies. Nullus enim omnino est status, qui non uel sibi ipse uel cuicumque alii statui possit incidere. Accepto tamen themate cura perspicere ante omnia num praescriptio [b] possit opponi per aliquam sui speciem, de quibus retro didicisti; id est aut persona aut loco aut tempore aut re aut modo uel numero aut aliquo scripto. Potius enim est, si litis conditio patitur, aduersarium ab actione depellere, quam cum intentionibus eius conluctari. Sed tamen acriter praecauendum est ne in praescriptiuis quaestiunculis aut leues admodum aut nullius momenti occasiones sint, aut inuidiosae et contrariae. Si autem inuenta fuerit prae-

a Ita cod. Num pro eo? b Cod. heic perscr.

scriptio, diuidetur ea ratione quam suo loco status huius diuisione cognosces. Nunc primum de coniectura tractemus.

§. 2. DE CONIECTURA [1].

Plena coniectura diuiditur locis septem; a persona, a causa, a consiliis, a potestate, ab initio ad finem, a translatione causarum, a ueri simili defensione. In persona consideratur patria, nomen, genus, corporis habitudo, mores, uita, amici, aetas, incessus, uultus: nunc haec omnia, nunc quae causa habuerit. Nec enim semper necesse est omnia considerare ista, sed quae praesens negocium subministrauerit. A [a] causa autem; amor [b], odium, spes lucri, uel futurorum timor, et cetera. A consiliis; an suppliciorum metu retardari potuerit, an reum futurum se non sperauerit. A potestate; pecuniae, arma, conspiratio, numerus clientium, seruorum. Nexae autem inter se esse debebunt causa et potestas. Nam ut frustra est uoluisse, si non potuerit, ita potuisse, si noluerit, uanum est. Ab initio autem ad finem, in quibus factum ipsum excutimus, uariae sunt usquequaque quaestiones. Nam in illis facta, dicta, affectus, euentus etiam considerari solent; praeiudicia, rumores, tormenta, tabulae, iusiurandum, testes, responsa, uox aliqua emissa; et ea quae dicuntur signa, id est uestis cruentata, liuor, et talia; et omnia quae in causa inueniuntur, non ingenio nec arte excogitantur; sed ingenio et arte scrutari solent [c], et appellantur ab initio ad finem, quod Graeci dicunt ἀτέχνους [d] πίστεις. Et nunc ordinem sequimur, nunc eum conuertimus pro utilitate causarum. A translatione causam facti transferimus in id quod facere licuit, et haec est sedes coloris, in qua parte uel maxime coniecturales causae laborant. Ueri similis defensio est, quae plerumque horum argumentorum est confirmatio. Haec resoluitur ab accusatore locis tribus; ignoratione, casu, necessitate; quorum omnium usum in exemplo experiemur. *Diues adolescens multos abdicatos recipit; reus est affectatae dominationis*. A persona, *an ueri simile sit ut diues tyrannidem affectauerit*. A causa, *an propter lucra et uoluptates quae sunt in dominatione*. A consiliis, *an metu supplicii retardari potuerit: an reum futurum se non sperauerit; et si sperauerit, euasurum crediderit*; quae pars similis est ac paene eadem cum ueri simili defensione. Atque iccirco Marcus Tullius pro Milone per utrumque istorum locorum tractatum consiliorum diuisit. A potestate, *an cum habeat magnam secum manum eorum quos recipit*. Ab initio ad finem, *an cum abdicatos recipiat, signum sit affectatae tyrannidis; an cum multos*. Quod quoniam est pro accusatore, resoluere id reus causarum translatione conabitur, quae sunt sedes coloris. Quo in loco coniectura-

a Ita cod. etsi superius est *in*. b Cod. *amorem*. Tum *spem*, *timorem*. Sed infra merito redit rectus casus. c Ita cod. Ceterum colon *sed ingenio et arte scrutari solent* rectius abesse uidetur. d Cod. ἀτέχνου.

1 Quintil. VII. 2.

les causae laborant, *an ideo recipiat quod misereatur ciuium calamitosorum, simulque eos sustinendo innoxios praestet*. Huic parti necessario adiicitur ueri similis defensio. A ueri simili defensione: *an si hoc destinaret, non utique palam abdicatos reciperet, sed eos clam sibi foederaret; ac non solos abdicatos, sed et alios homines*. Hunc locum, quia resolui diximus ab accusatore ignoratione, casu, necessitate, nascentur quaestiones hae: *an nescierit posse se accusari: an diuino casu hoc modo instruxerit dominationem ut possit teneri: an et necessitate hoc genus hominum susceperit, quia aliud non habebat*. Sic diuiditur plena, hoc est illa in qua et rerum et personarum uertitur quaestio, sed non plenarum. Altera est, quae in personis solis litem patitur, ut in hac controuersia: *uir fortis habeat praemium; quidam fortiter fecit; praemio captiuae mulieris nuptias accepit; ueneno periit; rea est captiua ueneficii*. A persona: *an credibilis homicidii uoluntas in muliere, an ueneficii, an in captiua, an in uxore*. A causa: *an causam habuerit sceleris odium illud hostile: in quo an post nuptias potuerit permanere*. Consilia etiam tractabimus, quod quidem in huiusmodi controuersiis uice ueri similis defensionis hoc in loco plenius exequimur: *an sperauerit occultum futurum scelus, an se ream non futuram, an prosperas sententias relaturam*. A potestate: *an potuerit uenenum parare in aliena ciuitate; an in ea ciuitate in quam captiua peruenerat; an potuerit dare ei a quo diligebatur, et per hoc non timebatur*. Sequens est ex non plenis coniectura, in qua de re quaeritur, quia persona manifesta est. Ut, *quidam inuentus est recens cadauer in uia solus sepeliens; caedis reus est*. Hic scilicet uenire in controuersiam persona non poterit; certa enim est cuiusmodi sit; et ideo nec uoluntati locus est nec potestati. Tres igitur reliqui loci diuisionem[a] fungentur. Ab initio ad finem: *an cum iuxta recens cadauer solus sit inuentus, hic sit caedis auctor; an cum in uia, an cum sepeliens*. A translatione causarum: *an omne illud iniuria fecerit*. A ueri simili defensione: *an si ipse esset interfector, utique fugisset potius quam ibi substitisset; an uero neminem putauerit adfore uel tutiorem existimauerit cadaueris oblitterationem*. In coniecturae diuisione uoluntatis et potestatis loci communes sunt et accusatoris et defensoris, perinde etiam ab initio ad finem; quae nunc recto prosequimur ordine, nunc uero confundimus pro utilitate causarum. Causarum quoque translatio communis esse debebit. Nam cum constitit partes ab initio ad finem, quae nobis officiunt, causarum translatione soluendas; utrique autem possunt officere; causarum etiam translatio utrique subueniet. Ueri similis defensio semper defensoris esse tradita est, quae ut resoluenda sit, supra dictum est. Si quis autem curiosius spectauerit, inueniet nonnumquam accusatorem quoque aliquid tale temptare cum erit facti alicuius ratio reddenda, quod ad mutuam accusationem attineat. Eadem ratione diuidenda erit qua simplices coniecturales causae: hoc tantum accedente, quod unoquoque

a Ita cod.

loco duplicatur diuisio. Ordo tamen legitimus erit, ut prior sit nostra purgatio: nemo enim accusationem [a] fert, cuius adhuc innocentia incerta sit.

§. 3. DE FINITIONE [1].

Finitiua diuiditur sex locis, definitione, collectione, quantitate, conparatione, qualitate, coniectura. Definitio nominis proprietatem uerbi explicat, ut quid sit furtum. Collectio autem contrariae partis definitionem expugnat. Contendimus enim primum hoc esse atque illud, de cuius culpa non dubitatur; et hoc operatur collectio, ut cum sua definitione aduersarium poenae faciat obnoxium. Quantitas de commissi modo quaerit, quem defensor minuit, accusator amplificat, et defensionibus suis quisque adaequat. Conparatio quantitatem supercrescit. Illa enim esse contenta est, haec se ulterius extollit. Qualitas in hoc assumitur, ut accidentiam rei dispiciamus, an iusta, an bona, an turpis, an utilis, et cetera. Non tamen semper omnia, sed utique quae materia portauerit. Illud tenendum est, non solum rerum qualitates sed et personarum inspiciendas per accidentiam suam et factorum reputationem. Sed et modus inspicitur, quomodo factum sit; qui locus latus est et gaudet collationibus sine exemplis. Coniectura sexto loco fungitur, nonnumquam et secundo, quae si ualidior erit, locis suis diuidetur. Scire debes in ea materia, in qua duplex finis fuerit, duplicari etiam collectionem. Quantitas principalis est defensoris; dicit enim minus esse quam accusator affirmet. Conparatio accusatoris est: uult enim maius esse hoc, quam esse nomen de quo quaeritur. Qualitas utrique communis est, in qua solent partes ab initio ad finem multas recipere definitiones. Nunc sub exemplo finem diuidamus. *Aeger milicia uacet; qui amat petit miliciae uacationem*. A fine: *an qui amat aeger sit*. A collectione: *an perinde sit amor atque languor*. A quantitate: *anne tanta res sit amor qui mercatur uacationem*. A conparatione: *an grauior sit morbus animi quam corporis*. A coniectura: *utrum hoc ei diuinitus, an culpa mentis acciderit, praesertim belli tempore*.

§. 4. DE NEGOCIALI QUALITATE.

Diuiduntur negociales, quae in legum et rogationum lationibus reperiuntur, primo quidem ab obscuritate, si nobis materia largitur; ut Marcus Tullius de lege agraria facit, et Cato saepe, et saepissime Gracchus. Sequens locus est, legem esse contrariam uetustis legibus, ut Demosthenes aduersus Androtionem, Aeschines aduersus Stesiphontem [b] faciunt; qui tamen locus in scholasticis materiis quam [c] est rarus, nisi

a Num pro *accusatorem*? b Ita cod. c Ita cod.

1 Quintil. VII. 3.

forte sub nomine sit controuersiae. Tertio loco spectabimus uniuersales propositiones, quibus gaudet suasoria, honestum, utile, iustum, et cetera talia. Nunc suasionem legis diuidamus. *Pauper et diues inimici uisi sunt in gratiam reuertisse commutatis liberis per adoptionem; fert legem diues, ut indemnatos liberos liceat occidere; contradicit pauper*. Ab obscuritate: *quos dicat liberos, utrum naturales an adoptiuos, utrum a se natos, an hos qui inde nascentur*. A contrarietate: *an obroget uetustis legibus, quae de salute ciuium caueant, id est nequis telum hominis occidendi causa ferat*. Ab uniuersalibus propositionibus: *an iustum indempnatos necari, an ipsis quoque patribus inutile, an impium an periculosum an impossibile*. Hic plane et coniecturae uehemens tractatus est, quo animo ferat. Nec miremur coniecturam interuenire: omnis enim status, sicut saepe iam dictum est, in omnem controuersiam potest incidere; qui si erit leuior, uno capite diuisionis cum eo transigemus; si ualidior, locis et ipse suis omnibus quasi principalis diuidetur. Hoc eodem modo rogationum quoque lationes diuidemus. Reliquas negotiales, quae nec in legum neque rogationum lationibus erunt, diuidemus locis his, ab initio ad finem, definitione, consilio, qualitate, conparatione qualitatum; nunc his omnibus, nunc, ut se materia offert, quibusdam. Perinde [a] in hac quoque diuisione incidentium statuum formas et quantitates considerabimus. *Is, cuius filius non conparebat edixit se certam pecuniam daturum ei qui filium sibi exhibuisset; quidam mortuum ostendit; petit indiciuam* [b]; *contradicitur*. Ab initio ad finem: *an cum promiserit, exsoluere debeat; an non debeat, quod mortuum ostendit*. A definitione: *an hoc exhibere sit mortuum demonstrare*. A consilio: *quo consilio promiserit; utrumne qualemcumque quis demonstrasset, an uero si uiuum*. A qualitate: *an aequum sit conpelli eum ad pretia in orbitate numeranda*. Possit hic fortassis et conparatio qualitatum moueri, *utrum illi melius fuerit non uidere omnino filium, an uelut* [c] *talem uidere*.

§. 5. DE ABSOLUTA QUALITATE.

Diuidimus absolutam qualitatem locis tribus ab initio ad finem, a partibus iusti, a consilio. Partes ab initio ad finem perinde hic etiam persequimur, atque in causis coniecturalibus inueniuntur. Partes iusti excutientur in eo quod est natura iustum, more iustum, pacto iustum. Natura iustum est, quod nobis nascendi sorte obuenit, ut parentes amare, amicis benefacere, inimicos persequi. Hic est locus, in quo quid dignum sit examinatur. More iustum est apud Scythas sexaginta annos natum occidere. Et apud Lacedaemones flagro uerberari, lege uel pacto iustum est. In quo consideratur an non sit prohibitum; nam si scriptum pertendit [d], alius erit status. In hoc spectantur aetatum licentiae

a An *proinde*? b In margine quoque repetitur hoc uocabulum. c Ita cod. pro *uel*. d Ita procus uidetur cod.

et sectae: quibusdam enim quaedam uidentur esse concessa, ut philosophis, oratoribus, pictoribus. Tercius est consiliorum locus, in quo quaerimus quo consilio fecerit: ac si incertum, destruetur et resoluetur, causa, persona, modo, tempore, loco. Ab initio ad finem principalis est accusatoris locus; a partibus iusti, principalis est defensoris. Locus consilii utrique communis est. Nunc absolutae qualitatis materiam diuidamus. *Matrona cynicam sectam exercet; de moribus rea est.* Ab initio ad finem: *an cum affectet insolita feminis, male uiuat; an cum litterarum artes, an cum philosophorum, an cum cynicam legem sequatur.* A partibus iusti: *an liceat uelle quae prohibita legibus non sunt, an studere, an sic studere.* A consilio: *cur hoc faciat; utrumne quod suo nomini sapientiam praestet*[a]; *an uero quod libere uelit et sine obseruatione cuiusquam uitam ducere.* Potest hic et communis illa qualitas incidere, quae eadem per conparationem est, ubi quaeritur *utrum e re publica sit dampnari hanc, an absolui.*

§. 6. DE ADSUMPTIUA QUALITATE.

Adsumptiua per relationem, et adsumptiua per remotionem, et adsumptiua per conpensationem, et adsumptiua uenialis iisdem omnes locis diuiduntur, ab initio ad finem, ab adsumptione, ab adsumptionis destructione. Destruimus autem locis VI, coniectura, qualitate, definitione, translatione, quantitate, conparatione: nunc istis omnibus, nunc plerisque eorum. Horum effectus in controuersiis inspiciamus. Relatiua: *dux exclamantem in acie militem, uincimur, interfecit: reus est caedis.* Ab initio ad finem: *an cum militem interfecerit ob nullum commissum quod lex morte punit, poenam luere debeat.* Ab adsumptione relatiua; *an cum exclamantem uincimur interfecerit, absoluendus sit.* A destructione adsumptionis relatiuae per coniecturam: *propter hoc an propter aliquas simultates interfecerit.* A qualitate: *an iustum fuerit sic animaduerti in militem.* A fine: *animaduersio fuerit illa an uis.* A translatione: *an nec ipse, nec illo loco, nec illo tempore, sed iudices dicta causa iudicare debuerint.* Per quantitatem: *anne tanto supplicio dignum fuerit commissum uindicare*[b] *militis.* Per conparationem: *utrum potius fuerit tunc eum interfici, an postea reum fieri.* Remotiua: *legatus intra diem tricesimum proficiscatur; legatus non accepto uiatico remansit, et reus est.* Ab initio ad finem: *an cum legatus non sit profectus, debeat poenam sustinere.* Ab adsumptione remotiua: *an cum non exceperit uiaticum, crimini non sit obnoxius.* A destructione remotiuae adsumptionis, isdem gradibus, id est per coniecturam, cur profectus non sit: *utrum ne quod uiaticum non acceperit, an ob insidias uel contumaciam, uel laedendae rei publicae studio.* Per qualitatem: *an iustum sit cessationis causa non accepisse uiaticum.* Per translationem: *an agere cum quaestore debuerit, et rem*

[a] Id est *praeponat*. [b] *Uindicare* superadditur in cod. Uique omitti poterat.

*

uel ad senatum uel ad populum deferre. Per quantitatem: *an magnum sit quod commisit*. Per conparationem: *an potius fuerit uel non accepto uiatico pergere quam manere*. Definitio huic controuersiae defuit; sed iam praediximus, non omnes locos in omnibus materiis inueniri. Adsumptiua per conpensationem: *tyrannus trecentos nobiles uti secum gubernator transueheret imperauit; ille omnes naufragio per dolum perdidit: reus est laesae rei publicae*. Ab initio ad finem: *an laeserit rem publicam trecentis perditis, an nobilibus*. A conpensatiua adsumptione: *an cum simul tyrannum perdiderit, non modo non laeserit uerum etiam iuuerit rem publicam*. A destructione conpensationis isdem gradibus per coniecturam: *quo consilio nauem fregerit, utrum quod perdere tyrannum uoluerit, an uero quod patres et rem publicam laedere*. Per qualitatem: *an iusta causa propter quam tot homines perirent*. Per translationem: *an tantam rem non debuerit suo arbitrio agere*. Per conparationem: *utrum melius fuerit cum tyranno illos uiuere an sic perire*. *Damnatus est quidam caedis, et in tricesimum diem debebat in uinculis esse; rediit qui occisus uidebatur post tricesimum diem; damnatum magistratus eduxit; reus est contra legem fecisse*. Ab initio ad finem; *an cum acto tricesimo die, damnatum non abstulerit ad poenam, contra legem fecerit*. A ueniali adsumptione: *an uenia dignus, cum innocenti pepercerit*. A destructione per coniecturam: *cur pepercerit? quod leges sperneret, an quod illum rediturum suspicaretur?* Per qualitatem: *an iustum sit istis de causis contra legem fecisse*. Per quantitatem: *an magnum sit quo quo modo contra legem fecisse*. Per conparationem: *utrum melius fuerit innocentem seruare, an legem transgredi*.

§. 7. DE TRANSLATIONE.

Rationalis translatio diuiditur locis tribus. Ab initio ad finem, in quo sunt persona, locus, tempus, ipsa res modusque eius, per quem mouemus praescriptionem. Sequens locus est translatiuae qualitatis, tercius communis qualitatis. *Adultero stigmata inscribantur; scriptus praecedebat; maritus foribus eius scripsit, hic adulter habitat; reus est iniuriarum*. Ab initio ad finem; *an cum adulter sit cuius domus inscripta est, agere non possit; an cum ipse maritus inscripserit*: in quo incidere etiam finis potest, *an etiam iniuria uocanda sit*. A qualitate translatiua: *an ei ad impunitatem proficere debeat, quod adulter sit, cuius fores inscripserit*. A communi qualitate: *an absolutione dignus sit, qui effecerit ne occulta esset inpudicicia: an uero poena magis, quod supplicium ultra praescriptum legis extenderit*.

§. 8. DE LEGALI TRANSLATIONE.

Legalis translatio diuiditur locis his, a propositione scripti, ab homonymia uel synonymia, quod [a] istorum inciderit in scriptum; a genere scripti in species, ab initio ad finem, a translatiua qualitate, a communi qualitate: saepe istis et finitiua quaestio incidet. Nunc locorum uim sub exemplo consideremus. *Caedis sit actio. Aduersus patrem nequa sit actio, nisi dementiae: bis de eadem re agere ne liceat: pauper et diues inimici uisi sint in gratiam reuertisse: commutauerunt liberos per adoptionem; inuentus est pauper in publico inspoliatus* [b] *occisus; instituit accusare caedis adoptiuus filius; praescripsit ille, et abduxit et abdicauit; uult ille rursum reum caedis facere; praescripsit diues.* A propositione scripti: *an cum lege cautum sit, ne bis de eadem re agere liceat, non possit hic rursum aggredi iudicium, quod iampridem instituerat.* Ab homonymia: *quam rem dicat, de qua bis agi uetet; utrum ne plene pertractatam et diiudicatam, an etiam uerbotenus tactam.* A speciebus quae genere continentur: *an omnes causas bis agi prohibuerit; an uero priuatas, non publicas, non capitales, non caedis.* A fine: *an et actio sit praescriptio.* Ab initio ad finem: *an cum abdicatus sit, agere possit et debeat.* A translatiua qualitate: *an ei abdicatio possit aliquid aduersus leges conferre.* A communi qualitate: *an et alias iustum sit res praeponere crimini; an caedis crimini, an cum patrem filius ulcisci uelit an et ipsi diuiti honestius sit habita contentione uincere potius quam beneficio legis euadere.* Illud plane in primis scire debemus, quod saepissime legalibus translationibus coniectura inplicatur, tendens ad id crimen quod praescriptio tuetur: quae coniectura ferme omnibus locis diuiditur, perinde ut si sola esset nulla interposita praescriptione. Probabile est enim genus actionis, ut uideamur iure, non defensionis desperatione, praescribere. Scripti et uoluntatis statum diuidimus locis his; a propositione scripti; ab eius quod scriptum est generis diuisione in species, ex quibus speciebus exceptionem uoluntatis aduersum scriptum afferimus; ab aliquo incidenti rationali statu. Per eos locos, quibus necandus sit hic qui in templo Cereris inuentus est, diuisus est quicumque status erit, non tamen omnes eos, sed quosdam qui oportuni erunt. Omnis autem scriptionis et uoluntatis quaestio necesse est ut inplicitum sibi habeat aliquem rationalem statum et uel maxime finem, coniecturam, ueniam, conpensatiuam qualitatem, uniuersales etiam propositiones, id est honesti, iusti, et ceterorum quae incidere solent, nonnumquam et conparationem. *Uir si in templo Cereris fuerit inuentus, capite puniatur; quaedam in templo Cereris puerum enixa est; petitur ad poenam puer.* A propositione scripti: *an cum lex caueat, necandum* [c] *qui in*

a Ita cod. b Ita cod. c Cod. ne cauendum.

templo Cereris inuentus est. Ab specie ex qua exceptio uoluntatis aduersus scriptum trahitur: *an uero lex non omnes puniat, sed eos qui prudentes et scientes inlicito proposito fana adierunt*. A fine: *anne uir possit uocari infans; et quid sit conpraehendi: cum latere cupiat, teneri? an uero quo quo modo inueniri?* A simplici qualitate: *an iustum sit, an impium, hominem huius aetatis interfici*. A coniectura: *an prouidentia deae illic natus sit ut statim necaretur*. A conparatione: *utrum melius sit hunc interfici an reseruari*.

§. 9. DE STATU LEGUM CONTRARIARUM.

Statum legum contrariarum diuidimus locis his; propositione scripti, interpretatione eius, conparatione scriptorum. Conparatio autem scriptorum ducitur per uniuersales propositiones honesti, utilis, ceterorumque, quos supra didicimus, statuum. Adiuuemus autem conparationibus tempus, ut quae lex antiquior sit, et quae magis congruat legibus ciuitatis, et quae lex super rebus maioribus caueat; quae de magis necessariis; quae priuata quorumdam; quae communis omnium; quae sacra, quae profana. Sed horum locorum non omnes semper in omnem materiam incidunt status; et ideo etiam ingenio est opus ad diuisionem. *Abdicatus ne quid ex bonis patris capiat; qui ultus fuerit alicuius mortem, bona mortui optineat: obiit qui ex duobus liberis alterum abdicauerat; abdicatus accusauerat fratrem ueneficii, et optinuit; uindicat sibi bona; contradicunt propinqui*. Ab interpretatione [a] scripti: *an cum lege caueatur ne quid ex bonis patris abdicatus optineat, hic bona patris optinere non possit*. Ab interpretatione sententiae per exceptionem: *an non omnibus modis abdicati excluduntur paternis bonis, sed tum demum si ea sibi filiorum nomine et sanguinis iure deposcant*. Ab interpretatione [b] alterius scripti: *an cum lex caueat ut ultorem expectent [c] bona mortuorum, hic accipere debeat bona qui ultor extiterit*. Ab interpretatione alterius sententiae: *an non omnes ultores bona accipere debeant, sed hi qui saluis aliis legibus possint*. A conparatione legum: *quae lex potior habenda sit, cane quae in patrem caueat, id est de patribus; an ea quae in omnes, id est de ulciscendis quorumcumque ciuium mortibus: utra lege standum, magis ne ea quae puniat, an ea quae honoret: utra melior, utra iustior, utra religiosior sit*. Nonnumquam et rationalis status incidit, quem et ipsum quatenus permittit eius subiectum suis locis diuidere debemus. Accidit etiam ut inter duas leges ita sit quaestio, ut alteri alter status superueniat, quibus inuentis locis diuisiones non deerunt.

a Cod. *Intentione*. b Cod. *intentione*. c Ita cod.

§. 10. DE AMBIGUITATE.

Ambiguitatis statum diuidimus locis his; propositione partis, quae ex lege nobiscum facta est; propositione eius quae aduersus nos facit; collatione partium per uniuersales propositiones, utra pars humanior sit, utra congruit [a] moribus ciuitatis; in quibus de animo latoris coniectura dominatur. Hos locos sub exemplo consideremus [b]. *Qui periurauerit ter publice uirgis uerberetur; conuictus semel periurii petitur ad poenam ut uerberetur; contradicitur*. A propositione *an periurum, ter censeat uerberandum*. Ab oppositione: *an uero lex, ter periurum, uerberandum censuerit*. A conparatione: *utrum honestius, utrum iustius, utrum legibus congruentius, utrum disciplinae aptius*; in quo quid credibile sit uoluisse latorem cernitur.

§. 11. DE COLLECTIUO STATU.

Collectiuus status diuiditur locis his, collectione, quantitate, conparatione, qualitate. Nunc locum sub exemplo consideremus. *Adulterum cum adultera liceat occidere; mulier maritum cum adultera occidit; caedis rea est*. Ab ipsa collectione: *an lex quae maritis facultatem ultionis dedit, dederit et feminis; an uero solis maribus scripta sit*. A quantitate: *an non tantum sit adulterii peccatum in maribus quantum feminis*. A conparatione: *an hoc peius sit peccatum, et iccirco morte dignius*. A qualitate: *an dignus mori maritus, qui tam intemperans fuit; an salute digna mulier quae tam iuris tenax fuit; an hoc aliis et in commune utile sit*.

V. DE COMMUNIBUS ARGUMENTORUM LOCIS.

Diuisionis in quantum breuiter potui praecepta collegi. Sed enim uereor nequam tibi caliginem faciat, quod haec argumentorum locos appellauerint, ut ex his argumenta depromerent, cuiusque status causa esset: quod quidem confitemur esse non utile. Sed plurimum prodest, ut singuli status singulas suas quisque diuisionum, id est argumentorum, formas habeant: quia ex omnibus locis argumentorum qui communes sunt et appellantur, sunt certi quidam unicuique statui familiariores, et magis adhaerentes fiunt: quos sicut recte accepisti, teneri oportet, ut proposito themate cum statum eius conpraehenderis, ilico conpendium diuisionis expedias, protinus per demonstrata decurrens. Multum plane, ad probationis [c] abundantiam poteris adiuuari, si etiam, ut illi uolunt, uniuersos locos in commune traditos teneas, ut praeter obuiam diuisionem, quae supra est tradita, ex his amplius etiam

a Ita cod. b Cod. *consideramus*, sed infra sum e. c Cod. *approbationis* sine *ad*.

argumenta uestiges; quae tamen tibi causae presentis utilitas largietur. Qui igitur communes argumentorum locos tradiderunt, alios dixerunt artificiales, alios inartificiales.

VI. 1. DE ARTIFICIALI ARGUMENTATIONE.

Artificialium distributio quadripertita est. Sunt enim primi loci qui rem praecedunt; deinde qui in re ipsa sint; deinde qui circa rem; post haec qui post rem. Rem praecedunt persona, causa, tempus, locus, materia, modus siue ratio. In re ipsa sunt a toto, a parte, a genere, a specie, a differentia, a proprio, a definitione, a nomine. Circa rem a simili, a dissimili, a pari, a contrario, a maiore, a minore, a praecedente, ab eo quod simul est, a consequente. Post rem, ab euentu, a iudicatis. Hi loci ideo communes appellantur, quia in omni genere causarum ex his argumenta duci possunt. Namque a persona considerabitur patria, nomen, genus, corporis habitudo, mores, uita, amici, aetas, incessus, uultus. Itaque proposita quaestione, etiam in coniectura considerari potest cuiusmodi persona sit, ut per quae illi accidunt aut confirmetur crimen aut repellatur. Si ex barbara natione, uel contra si ex miti, si ex seditioso genere, uel ex feroci, si nobilis, si robustus, si inualidus, si bonis moribus, uel contra nequissimis. In quo ferme ante acta uita percurritur; si bonis iunctus uel pessimis, si qua arte praeditus [a], si uerbis semper arrogans, si mansuetus et modestus [b]. Item aetas dat aliquod argumentum in utramque partem, dat etiam fortuna: nonnumquam et incessus et uultus et habitus; sed et nomen ipsum quasi indicium morum apprachenditur. Et in controuersia finitiua, argumenta nihilominus duci possunt a persona. *Non est sacrilegium cum ab eo quid de templo detrahitur, cuius tutelae atque custodiae commissum est. Si praeceptor discipulum uerberauerit, iniuria non est.* Similiter et in qualitate: *si honesta sit persona, factum quoque eius honestum iudicetur*, ut Cicero pro Cluentio fecit. A causa in coniectura: *causam adulterii fuisse amorem, aut parricidii auaritiam*. Quae plerumque poni argumentorum locis satis non est, nisi oratorum uiribus adiuuentur, id est de ui auariciae et de ui odii latius disputetur, tum in defensione quam in accusatione. Nam sicut illi ualet fuisse causam, ita defensori proderit non fuisse. A causa finitiua: *si inimicitia pulsauit, iniuria est; et qui lucri faciendi causa in templum uenit, sacrilegus est. Non enim res maleficium facit, sed causa faciendi. Si non ut lucrum facerem, sed ad ornatum commodarem, detraxi aliquid de templo, non est sacrilegium.* A causa in qualitate: *si causa honesta uidetur, res quoque honesta uideatur necesse est. Bona consumpsit; si per luxuriam, turpius; si per liberalitatem, honestius.* A tempore in coniectura: *si nox*,

a Cod. *praeditis*. b Cod. *mansuetis et modestis*.

si sollemnitas aliqua, *si oportunitas*, *si dies*. A tempore in fine: *ut Demosthenes*[1] *publicum crimen esse dicit*, *quod ludis pulsatus et festis diebus uideretur*. A tempore in qualitate. Frequenter enim tempore res aut turpis aut honesta potest uideri, aut utilis aut necessaria: *ut arma habuisse cum latrocinia plurima committerentur*, *aut domus expugnarentur*. A loco in coniectura: *ut si*[a] *siluam*, *montem*, *campum*, *templum*, *domum*, *ciuitatem causarentur*, *quorum aut oportunum crimini quod intenditur aut alienum argumentando effici potest*. A loco in fine, ut idem illud Demosthenis: *quod in theatro et in templo pulsatus sit*, *esse publicum crimen*. A loco in qualitate: *sicut quae domi iure fieri dicamus*, *haec in publico fieri non oportet*, *ita is qui adulterum in lupanari cum uxore depraehensum interemit*, *uideatur non iure interemisse*. A materia in coniectura: *ut si tyrannidis accusetur qui paratam habeat multitudinem*, *qui pecuniam*, *qui arma et uim*; *uel defendatur qui nihil horum habeat*. A materia in fine; ut Marcus Tullius pro Caecina[2] uim collegit: *ubi armati homines*, *ubi conuocati*, *ubi multi fuerint*, *ibi uim non esse factam uideri non posse*. *Quibus igitur rebus aliis uis intelligatur*, *si in his non intelligatur*? A materia in qualitate. Qualis enim materia est cuiusque rei, talis ipsa res uideri potest. Sic artes honestas aut turpes esse dicimus ex his rebus, quia instrumenta earum sunt. Nam et musicam laudamus artem, quod sint materia illius uoces et modi; et oratorem uituperamus, quod eius sint materia iudicia et lites et testimonia et damnationes. A modo in coniectura, id est a ratione, in eo est, ut quaeramus quomodo factum sit aut fieri potuerit aliquid. Potest enim quis et causam habere et materiam; sed rationem utendi materia non habere, id est clam, aperte, uel sperasse inpune facturum. Considerandum est autem ut ratio personae accommodetur. Nam si callidus, credibilius erit clam et per fraudem quam per uim et palam admisisse; contra si audax et inpudens. A modo in fine, ut Marcus Tullius[3]: *dolum circa seruos Publii Fauii*[b] *definiuit ex eo quod insidiati sint*. Et idem: *non esse detrectationem*[c] *circa pacem*, *cum non clam nec furtim profectus sit sed palam*[4]. A modo in qualitate; *an si ratio faciendi iusta est*, *et factum iustum uideri potest*.

a *Si* deest in cod. b Ita cod. pro *Fabii*. c Cod. *detractionem*.

1 Contra Midiam de alapa.

2 Cap. VIIII. sqq.

3 Scilicet in oratione deperdita pro M. Tullio, cuius orationis uidesis partes a me editas Mediolani cap. VIIII. sqq.

4 Sermo esse uidetur de uadimonio quod Fabio Romam promiserat in agro thurino M. Tullius. Atque ex his rhetoris nostri uerbis lux affulget Ciceroniano loco supra citato, uel potius illi lacunae quae post cap. I. fragmentorum est.

§. 2. DE LOCIS IN RE [a].

In re autem coniectura argumenta ducuntur a toto, a parte, a genere, a specie, a differentia, a proposito, a definitione, a nomine. A toto: *si totam rem publicam prodidit, quod ex multis rebus ostenditur, non est incredibile eum classem et equitatum prodidisse*. Et ut Marcus Tullius in defensione fecit pro Fonteio [1]: *si nulla* [b] *pecunia numerata est*; quod est totum: *cuius pecuniae quinquagesima est?* quod est pars. Contra a parte totum: *si unumquemque laeserit, totum populum laesit*. *Si congressus est, si secreto constitit, si mariti domum uenit*; quae sunt partes; *adulter esse colligitur*; quod est totum. A genere: *si libidinosus* [c], *et adulter*; *si auarus, et fur*. A specie: ut *cum probare crudelem uolumus, quaedam ab eo crudeliter facta doceamus*. A differentia, cum in eodem genere species ab alia specie secernitur. Ut Marcus Tullius: *qualis in urbana praetura* [d] *fuerit Uerres, talem in prouinciali esse* [2]. Illud nos non fugiat, incidere hoc genus argumenti, quod est a differentia, in alios locos saepe, et maxime in eum qui est a minore usque ad maius. Nam cum dico, *qui in ciuitate legibus non obtemperauit, hunc per regionem modestum fuisse creditis?* a maiore ad minus ostendo; *qui ciuitatem praedauit* [e], *quanto magis domos incendit?* A proprio sic argumentum ducitur: *proprium est tyrannorum leges contempnere; qui ergo legem a uobis latam circumscripserit, non hoc ipso tyrannidem se affectare declarat?* Et apertius [f] Marcus Tullius docet quemadmodum hoc loco utamur, qui assignat propriam Caesari esse clementiam, et dicit: *bellicas quidem laudes cum exercitu cum belli casibus ei cum ceteris esse communes: ex ista uero laude, nihil centurio, nihil cohors, nihil turma decerpsit*.

§. 3. A DEFINITIONE.

Definitio est oratio uim et substantiam rei significans. Eius duplex ratio est. Aut enim praecedente definitione quaeritur *sit ne hoc uirtus, aut quid sit uirtus*. Id aut [g] uniuersum uerbis conplectimur, ut *rhetorice est inueniendi et disponendi et eloquendi cum firma memoria et cum dignitate actionis scientia*. Sed illa prior subtilius et limatius philosophicis disputationibus coartatur; at uero haec inferior oratoris actionibus dilatatur., et magis descriptionibus et eiusmodi definitionibus

a Hic titulus a me suppletur in uacuo codicis spatio. b Num legendum *sin nulla*? c Cod. *libinosus*. d Cod. *prouincia*. e Ita cod. Cf. Priscianum gramm. VIII, 6. f In margine scribitur *cum pro M. Marcello*. g Ita cod.

1 Haec inedita imperfectae orationis particula collocanda uidetur iuxta eas reliquias quas e palatino palimpsesto edidit ill. Niebuhrius.

2 Cf. in Verr. II. 6. 7.

explicatur, quae ex pluribus speciebus rem notent, ut Marcus Tullius contra contionem Quinti Metelli: *qui animum hostilem habet, et cuius facta hostilia sunt* [1], et cetera. Hoc utique modo in utramque partem ualebit definitio. Omnis namque qui quod habet arguitur, eodem quia non habeat defenditur. Argumenta a definitione ducuntur et per etymologiam. Ut *locupletem a locorum copia, et pecuniosum a pecorum copia dicamus* [2]. Definitioni subiecta maxime uidentur genus, species, differens, proprium. Ex his omnibus argumenta ducuntur. Genus ad probandam speciem minimum ualet, plurimum ad refellendam. Itaque *non quae est arbor, platanus est; at quod non est arbor, utique platanus non est. Nec quod uirtus est, utique iusticia est; at quod non est uirtus, non potest esse iusticia*. Species firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. *Nam quod est iusticia, utique uirtus est; quod non est iusticia, potest esse uirtus, si est continentia, fortitudo*. Numquam itaque tolletur per speciem genus, nisi ut omnes species, quae sunt generi subiectae, remoueantur hoc modo: *quod neque inmortale neque mortale est, animal non est*. His adiiciunt propria et differentia. Propriis confirmatur finitio, differentibus soluitur. Proprium est autem quod soli accidit, ut homini sermo, risus. Sunt eiusdem rei plura propria, ut igni lucere, calere. Sed hic ubi plura sunt propria, quodcumque proprium deerit, soluet finitionem; non utique quodcumque erit confirmabit: quod autem proprium non erit, differens erit. Ut *aliud est seruum esse, aliud seruire*. Qualis esse in addictis quaestio solet: *qui seruus est, si manumittatur, fit libertinus, non idem addictus*. A proprio uero ad coniecturae quoque pertinent partem. Ut *quia proprium est boni* [a] *recte facere, iracundi autem uerbis aut manu labefactare; hoc ab ipsis esse credamus, aut contra*. Nam ut quaedam in quibusdam utique sunt, ita quaedam in quibusdam utique non sunt. A nomine, tenuis omnino et exilis; dat tamen nonnumquam facultatem argumentandi. Sic ostendimus Marcum Tullium fecisse de Uerris siue de Apronii nomine [3]; et cetera, quae similiter in hunc locum conueniunt. Sed et in finitiuo statu, uel multo magis isdem locis uti possumus; item in qualitate. Nec interest utrum defendamus an accusemus, parcamus an resistamus: cum locorum fide [b] monstrata, in utramuis partem inde argumenta trahi possunt.

§. 4. DE LOCIS CIRCA REM.

Secuntur hi loci qui circa rem. Omne enim quod in quaestionem uenit, habet aliquid cui conparetur, cum quo conferatur; quia est ei

a Cod. *bonis*. Sed mox *iracundi*. b Ita cod.

1 Ineditus deperditae orationis locus.
2 Cicero de rep. II. 9.
3 Cf. in Verr. II. 6. III. 9.

aliquid simile, est par, est contrarium, est maius, minus est, praecedens est, quod simul sit, est quod consequens. Ab his in hunc modum argumenta ducuntur. A simili: similitudo est res similis ei rei de qua quaeritur, ut ex eo quod certum circa rem similem acciderit, id quoque quod dubium est et in quaestionem uenit, probetur. Et ducetur aut ab exemplo, aut a parabula [a], aut a fabula, aut ab imagine. Ab exemplo, sicut hoc est: *si custodes corporis Dionysio dederitis, idem faciet quod Pisistratus, qui cum a suis ciuibus custodes corpori postulasset, tyrannidem occupauit* [1]. Hoc enim manifestum est de Pisistrato; dubium autem erat de Dionysio. Parabola est res aut genere similis aut ratione. Ratione, ut hoc: *quod in mari gubernator, id in re publica magistratus, quia ut ille nauem, sic ille* [b] *rem publicam regit*. A genere: *quod magister pecoris, hoc bonus imperator*; quia genus utriusque imperium est: eo differt, quod aliud in homines imperium, aliud in muta animalia. *Quod tempestas in mari, hoc seditio aut discordia in populo; quod medicina in corpore, hoc leges in ciuitate*. Ab apologo [c] autem, id est fabula, cum inducuntur nota iam et uulgata quaedam, et probandae rei causa ad similitudinem conferuntur. Ab imagine: est autem imago, cum ipsi aliquid simile effingimus, quamuis non sit in rerum natura, ut Marcus Tullius in Uerrem: *nam sicut Scylla*, inquit, *ipsa accipimus* [2]. A simili in finitiuo statu, non aliter quam in coniecturali, ab exemplo, a parabola: *ut si ex alto aliquis portum tenens aduersa tempestate prohibitus peteret ut in eum locum, ex quo eiectus esset, restitueretur; non illud postularet ut in salum, sed ut in ipsum portum, et ut in ipsa ciuitate* [d] *restitueretur. Sic et is qui prohibitus est ab aliquo loco, ex illo deiectus debet uideri, quem petebat, non in quo pulsus est* [3]. Et in qualitate, ut si dicamus: *utile fuisse amitti aliquam partem ciuitatis, ut ceterae saluae esse possint: et gubernatores in tempestate saepe uel mercium uel armamentorum facere iacturam, ut cetera stare possint*. A dissimili et in coniectura et in ceteris statibus sic argumenta sumemus. Et quemadmodum supra quaerebamus quid esset simile, ita et e contrario consideremus quid in se dissimile habeat ea res, quae in quaestionem uenit: ut pro Fonteio Marcus Tullius exequitur, *quod eius causa non sit eadem quae Uerris* [4]: et in pluribus aliis orationibus [5]. Quibus illud colligitur, ut si dissimilia sint ea quae obiciuntur, atque ea fuerint quae alii obiecta sunt, causa quoque dispar sit, et absolui debeat hic, cum sit ille damnatus. A pari in coniectu-

a Ita cod. Sed infra per o. b Corr. *iste*. c In cod. reficitur *appologo*. d Ita cod.

1 Cf. Cic. de rep. I. 44.

2 In Verr. V. 56, sed libere.

3 Cic. pro Caecina XXVIII, sed aliis fere uerbis.

4 Haec quoque inedita est Ciceronis particula. Porro autem qua ratione Cicero Verrem accusauerat, eadem Fonteius a suo accusatore postulatus repetundarum fuerat, criminatione per omnes eius magistratus deducta.

5 Ex. gr. pro Scauro.

ra. Fortasse hic argumenti locus similis uideatur esse illi, qui appellatur a simili; sed habet aliquam differentiam. Nam id quod est par, quantitate aestimatur; simile autem est illis modis qui supra dicti sunt. Hic locus pertinet ad statum finitiuum. Namque in eo non solum quaeritur an hoc sit, an quid; sed an idem sit, sicut Marcus Tullius definit [1] *id esse prohibere quod deiici, quoniam ex utroque id consequatur, ut aliquis amittat eum locum, ex quo prohibitus est uel deiectus: ut si quis neget caedem a se esse commissam quod non ipse percusserit, dicetur ei nihil interesse utrum auctor quis fuerit caedis, an ipse percusserit; quoniam ex utroque in eundem exitum scelus uenerit*. A pari in qualitate, ut si dicamus *utile esse tolli legem quae inutilis est, quia nec recipiantur leges quae noceant: idem autem esse, quam rem expertus fueris inutilem, tollere, et eam, quam nocituram putes, repudiare*. A contrario in coniectura, quod fit per catafasin et apofasin. Si enim tibi proponitur, *diuitem non esse uerisimile de tyrannide cogitasse*; tu a contrario argumentum ducas ita, *ut si pauperem accusarem tyrannidis incredibile uideretur, propterea quod facultatem non haberet; ergo quia diuitem accuso, probabile uideri oportet*. A contrario in fine: *ut si desertor appellandus sit qui hostem uitat ac fugit, is certe qui non uitauit nec fugit sed ultro appetiit, desertor dici nullo modo potest*. A contrario in qualitate: *ut si honestum est aliquid, turpe non est; et si iure factum est aliquid, turpe non est; et si iure factum est aliquid, non potest per iniuriam uindicari*. A conparatione et coniectura, a minore ad maius: *si exiguae pecuniae causa peccare non dubitauit, quid cum illi maius esset propositum lucrum? certe non abstinuit*. A minore ad maius in fine: *si commouisse aliquid eorum quae in templo erant posita aut contaminasse, sacrilegium uidetur, quanto magis eo crimine tenetur aliquid de templo sustulisse?* Et Marcus Tullius pro Caecina [2]: *si uidere armatos satis est ad uim probandam, quanto magis pulsum esse metu ac terrore, uis est?* Similiter et in celeris a maiore ad minus. Nec necesse est in his locis ostendere quemadmodum et in accusatione et defensione utamur. Demonstrata enim parte, facile qui non sit hebes ac nimis brutus assequitur quomodo in utramque partem, si facultas detur, his uti locis possit.

§. 5. EX PRAECEDENTIBUS IN CONIECTURA.

Omnis res habet aliquid praecedens, aliquid simul, aliquid consequens. Et ex eo quod praecedit aliquid, aut simul est, aut sonsequitur, colligimus argumentum, ut Marcus Tullius peo Milone [3]: *cum ante diem tercium dixerit Clodius Milonem periturum; cum ille non dubitauerit praedicere quid esset facturus, uos dubitatis pronuntiare*

1 Pro Caecina XII. sqq.
2 Cap. XVI.
3 Cap. XVI. cum uarietate.

quid fecerit? Defensionis autem argumenta ab hoc loco duplici modo duci possunt. Nam si quod praecedere debuit, non probatur: nec id credibile debet esse quod sequitur: *si non sum locutus, non possum uideri prodidisse*. Aut certe hoc ipso, quod praecessisse dicitur, crimen deluimus, ut si dicatur: *occidisti, nam ante minatus es*: et contra dicas, *ex eo quod minatus sum, credibile non est me peremisse: omnes enim qui aliquid tale sceleris cogitant, occulte habent, quo*[a] *facilius efficere possint*. A praecedenti in fine: *si omnino uenisse in templum furandi causa iam sacrilegium est, quia non exitu sed conatu male facta existimantur, quanto magis e templo quodcumque abstulisse?* Et Marcus Tullius[1]: *denuntiasti mortem Caecinae: si hac ui perterritus discessisset, neminem dubitare oportebat, quominus ui pulsus uideretur. Ita ne tandem audire armatos satis est ad uim probandam; uidere, non erit satis?* Ab eo autem quod praecedit et simul est et sequitur in qualitate argumentari possumus ita: *nam si quod praecedit honestum est, necesse est et quod sequitur honestum sit. Ut, si utile est exerceri ad uires corporis, et bene ualere utile est. Si bona est sanitas, et uri et secari bonum est, quia haec pro sanitate futura suscipiuntur*. Conparatiuis quoque locis non minus in hoc genere quaestionis utemur, quam in ceteris. *Nam et si unum protexisse ciuem pulcrum est, uniuersam ciuitatem eripuisse periculo multo pulcrius iudicabitur*. Et contra: *non eo multum sibi uindicare debere oratorem, si salutem homini praestiterit; nam et gubernatorem simul nauigantibus et eum qui propugnacula aedificauerit de muro dimicantibus, aeque fecisse certum est*.

§. 6. NUNC POST REM.

Ab euentu in coniectura quod Graeci ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως dicunt. *Si ante nobis discordia luctus et maeroris et inopiae, maximarum calamitatum, fuit causa, nunc quoque aestimare debemus eadem uentura si discordare coeperimus*. Et ut a Gaio Fannio aduersus Gracchum dictum est[2]: *si Latinis ciuitatem dederitis, credo existimatis uos ita ut*

a Cod. *quod*.

1 Pro Caec. XVI. cum uar.

2 En fragmentum ineditum Fannianae orationis quae apud Tullium Brut. XXVI laudibus celebratur. *Horum aetatibus adiuncti duo C. Fannii, C. et M. filii, fuerunt: quorum C. filius, qui consul cum Domitio fuit* (anno urbis DCXXXII) *unam orationem de sociis et nomine latino, contra Gracchum* (Caium Gracchum scilicet) *reliquit, sane et bonam et nobilem*. Pergit deinde Cicero uindicare Fannio eam orationem, contra nonnullorum dubitationem. Tum ait: *oratio fuit optima illo quidem tempore orationum omnium etc. Fannius numquam est habitus elinguis: nam et causas defensitauit, et tribunatus eius arbitrio et auctoritate P. Africani gestus, non obscurus fuit.* (De Fannii tribunatu, Africano censore, rursus Cicero ad Att. XVI. 13.) Praedictae orationis prima uerba apud eundem Tullium extant de or. III. 47: *a quo numero* (cretico) *exorsus est Fannius; Si, Quirites, minas illius*. Paulo iunior, sed tamen coaetaneus, fuit alius Fannius, Laelii gener, qui interfuit dialogis de re publica. Cic. Brut. XXVI.

nunc constitisse, *in contione* [a] *habituros locum*, *aut ludis et festis diebus interfuturos*. *Nonne illos omnia occupaturos putatis?* Collegit enim non esse recipiendos in ciuitatem, ex his quae euentura sint. *Prodere uoluisse patriam arguor*. *Quid ita? an ut euersa patria*, *dignitatem a maioribus acceptam*, *fortunas optime constitutas amitterem*, *ut cui liceret beatissimo cum summa gloria uiuere*, *idem hostium potestati subditus cum infamia degerem!* Ab euentu in fine, ut Marcus Tullius Cicero [b] [1]: *si iudicaueritis sine dolo malo posse familiam congregari*, *hominem occidi*, *omnibus facinorosis eandem licentiam permiseritis*. *Et si prohiberi non potest aut deiici*, *prohiberi domo* [c] *tua potueris*, *et non habebis interdictum quo restituaris*. Et in defensione: *quod si ex eo quod hi naues reliquerunt et ad pedestrem exercitum transierunt*, *uictoriam parauerunt*, *desertores eos appellare non possumus*. Ab euentu in qualitate: ut, *qualia sint ea quae euenerunt*, *aut quae uideantur euentura*; *tale illud quoque existimetur*, *ex quo euenerunt*. Ut Sabinis Ennius dixit [2]: *cum spolia generi detraxeritis*, *quam inscriptionem dabitis?* A iudicatu in coniectura uberrimus et late patens locus est. Ex hoc fere omnia sunt quaecumque ἔνδοξα Graeci uocant, nos autem probabilia dicimus. Utimur autem iudicatu tum omnium, tum plurimorum, tum optimorum, praeterea eorum qui in unaquaque arte peritissimi sunt. Omnium iudicatu utitur Marcus Tullius cum dicit, *nullum ordinem in ciuitate fuisse quibus non licentibus* [d] *ab exilio rediret* [3]. Bonorum autem iudicatu, cum *ex senatus consulto sibi domum restitutam* [4]. Obtimorum [e] iudicatu, *cum Pompeium et ceteros auctores reditus sui nominat* [5]. Scientium iudicatu, *cum domum suam dicit a religione*, *pontificum sententia*, *liberatum* [6]. A iudicatu in fine, similiter ex isdem locis: ut *si quaeratur quid sit princeps*, *eum esse dicamus qui sit nobili genere et facultatibus affluens*; *quod ita omnes appellandos esse principes credant*. Uel si ita dicamus, *eum esse principem qui uirtute praecellat*, *quod ita sapientes censeant* [7]. Et cetera eodem modo percurremus. A iudicatu in qualitate. Hic uel maxime conuenit qualitati locus. Nam et in [f] opinione uti possumus omnium, quae turpia et honesta iudicentur, et plurimorum excellentium et peritorum aeque, ut retro didicisti. Adiiciendum uidetur duci argumenta etiam a fictione, ex omnibus isdem locis, quibus superiora. Fictio autem est proponere aliquid, quod si uerum

a Cod. *contentione*. *b* Nam pro *Cicero* est in codice *dicendo*? Certe uocabuli compendium mihi paulo obscurius est. *c* Cod. 1. manu *domna tua* - 2. *domi sia tua*. *d* Ita cod. Sed malim *libentibus*, ita ut haec uox referatur eleganter ad uotum, ut non raro in inscriptionibus. *e* Ita cod. *f* Ita cod.

1 Adhuc exempla petuntur ex oratione pro Caecina cap. VII.

2 Hoc inedito loco confirmatur Ennio operis *Sabinae* titulus, quem diserte memorauerat Macrobius saturn. VI. 5, sed quidam criticus immerito abolendum curauerat, ut dixi ad Cic. de rep. II. 7. Videntur autem haec uerba Sabinarum feminarum bello Romuli et Tatii oratricium pacis.

3 Ad Quir. post red. I.

4 De harusp. resp. VII.

5 Ad Quir. post red. VII.

6 De harusp. resp. VI.

7 Legesis Ciceronem de rep. I. 33. 34.

est, aut soluat quaestionem aut adiuuet: deinde id de quo quaeritur, facere illi simile. Hoc quo [a] sit notius, subiiciamus exemplum. *Lex: qui parentes non aluerit uinciatur; non alit aliquis; ut uincula recuset, utitur fictione: si filius infans sit*[1]; *si rei puplicae*[b] *causa absit.* Et illa quae solent contra praemium dici: *si tyrannidem petat; si templorum euersionem*. Utitur his Cicero pro Caecina[2]: *unde tua*[c] *familia aut procurator. Si me uilicus*[d] *tuus solus deiecisset. Si uero ne habeas quidem seruum, praeter eum qui me deiecerit.* Et alia in eodem libro plurima. Haec autem fictio cum plurimum ualet aduersus scripta, tum etiam ad qualitates habet uires non mediocres. *Si Lucius Catilina cum suo consilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re publica*[e] *posset iudicare, condemnaret Lucium Murenam*[3]. Et, *si hoc tibi inter cenas et illis inmanibus populis tuis accidisset*[4]. Et, *si Appius ille caecus loqueretur*[5].

§. 7. DE INARTIFICIALIBUS.

Inartificiales sunt, quos non oratoris ingenium inuenit, sed causa ipsa in se habet, ut praeiudicia, rumores, tormenta, tabulae, iusiurandum, testes, responsa, omina, uox aliqua emissa; in quibus maxima pars forensium contentionum consistit. Haec ut ipsa carent arte, tractanda sunt: et adiuuantur isdem locis, quos tradidimus; a persona, a loco, a tempore, a ceteris omnibus, qui in probationibus artificialibus communes argumentornm loci appellantur. Nec tamen omnia tradi possunt, sed tamen demonstratur uia quaedam atque ratio, qua percepta, non modo in exequendo suas quisque uires debet adhibere, sed etiam inueniendo his quae traduntur similia, ut quaeque condicio litium poscit. Neque enim de omnibus causis quisquam potest dicere, quae sunt [f] infinitae et numero et uarietate.

§. 8. DE PRAEIUDICIIS.

Praeiudiciorum uis omnis tribus in generibus maxime uersatur. Rebus, quae aliquando ex aliis causis sunt iudicatae, quae exempla rectius dicuntur, ueluti de rescissis patrum testamentis uel contra filios confirmatis. Item iudiciis ad ipsam causam pertinentibus, unde etiam nomen hoc ductum est, qualia in Opiauicum [g] facta dicuntur, et a senatu aduersus Milonem. Item cum de eadem causa pronunciatum est, ut in reis deportatis [h], et adsertione secunda, et partibus centumuiralium,

a Cod. *quod*. b Ita cod. c Edd. *unde tu aut*. d Ita cod. 1. manu; at 2. *uillicus*; male, nam in priscis codd. constanter scribitur unica *l*. e *Publica* deest in edd.; scribitur autem explicate in cod. f Cod. *sint*. g Ita cod. cum unica *p*. h Ita Quintil. V. 2. At cod. *de piratis*.

1 Recole superius p. 12. u. ult.
2 Cap. XVIIII.
3 Pro Murena cap. XXXVIIII.
4 Philipp. II. 25.
5 Pro Caelio cap. XIIII.

quae in duas hastas diuisae sunt, constet oratio. Confirmantur autem praecipue duobus, auctoritate eorum qui pronuntiauerunt, et similitudine rerum de quibus quaeritur. Refelluntur uero raro per contumeliam iudicum, nisi forte manifesta in his erit culpa, ne offendantur iudicum animi: uel aliqua dissimilitudine causae, quia uix ulla res est, quae per omnia alteri similis sit. Si id non continget, aut forte causa erit eadem, actionum incusanda negligentia, aut de infirmitate personarum quaerendum contra quas erit iudicatum: aut de gratia quae testes corrupit; aut de inuidia, aut de ignorantia: aut uidendum quid causae postea accesserit. Quorum si nihil fuerit, licet tamen dicere multos iudiciorum casus ad inique pronuntiandum ualere: ideoque dampnatum Rutilium, absolutos Clodium atque Catilinam. Rogandi etiam iudices, ut rem potius tueantur ipsam, quam iuri iurando [a] alieno suum donent. Aduersus consulta autem senatus et decreta principum uel magistratuum nullum est remedium, nisi aut inuenta quantulumcunque causae differentia, aut aliqua uel eorumdem uel eiusdem potestatis hominum posterior constitutio, quae sit priori contraria. Famam atque rumores pars altera consensum ciuitatis et uelut publicum testimonium uocat: altera sermonem sine ullo certo auctore dispersum, cui malignitas initium, credulitas incrementum affert; quod nulli non etiam innocentissimo possit accidere fraude inimicorum falsa uulgantium. Exempla utriusque non deerunt. In tormentis quoque pars altera quaestionem uera fatendi necessitatem uocat: altera falsa dicendi, quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas necessarium. Et si de ui habenda quaestio agetur, plurimum intererit, quis et quem postulet aut offerat, et in quem, et ex qua causa: siue iam erit habita quaestio, quis ei praefuerit, quis et quo modo sit ortus: an credibilia dixerit; an inter se consonantia: an perseuerauerit in eo quod coeperat; an aliquid dolore mutauerit. Prima parte quaestionis; an praecedente cruciatu: quae utrimque tam infinita sunt quam ipsa rerum uarietas. Contra tabulas saepe dicendum est. Cum sit autem in his aut scelus signatorum aut ignorantia, tutius ad ignorantiam nos conuertimus quo pauciores rei fiant. Sed ad hoc ipsum argumenta et causa trahuntur, si forte aut incredibile est id actum esse, quod tabulae continent; aut aliis quoque probationibus aeque inartificialibus soluitur, si aut is in [b] quo signatum est, aut aliquis signatorum dicitur afuisse, uel prius esse defunctus; si tempora non congruunt; si uel antecedentia uel sequentia tabulis repugnant. Inspectio etiam ipsa falsum saepe deprachendit. Iusiurandum qui offert, aut ita se tuebitur ut eum non sit credibile periuraturum; aut ipsa ui religionis, in quam [c] plus fidei consequitur, si id egerit, ut non cupide ad hoc descendere, sed ne hoc quidem recusare uideatur: aut si causa patiatur, modo litis propter quam deuoturum et se ipse non fuerit passus: aut, si praeter alia causae instrumenta, adiiciet ex abundanti hanc quoque conscientiae suae

a Cod. *iureiurando*. b Ita cod. c Ita cod.

fiduciam . Qui non recipiet condicionem , et [a] a multis contempni iurisiurandi metum dicet , cum etiam philosophi quidam sint reperti , qui deos agere curam rerum humanarum negarent . Eum uero qui nullo offerente iurare sit paratus , ipsum uelle de causa sua pronuntiare et ostendere , quam id quod offerat leue ac facile credat . Qui deferat aliis iurisiurandi conditionem , modeste agere uidetur * , cum litis aduersarium iudicem faciat , et eum cuius cognitio est honere [b] liberet : cui profecto alieno iuri iurando [c] stari quam suo mauult . Quo difficilior recusatio est , nisi forte res est ea , quam credibile sit notam ipsi non esse . Quae si excusatio deerit , hoc supererit , ut inuidiam sibi quaeri ab aduersario dicat , atque id agi ut in causa , in qua uincere non potest , quaeri possit . Itaque hominem quidem malum occupaturum hanc condicionem fuisse , se autem probare malle , quae affirmet , quam dubium cuiquam relinquere an peierarit . Praecipere tamen quidam solent , numquam temere iusiurandum deferri oportere , sicut optionem iudici aduersario dandam . Nam si dicere contraria turpe aduocatum [d] uidetur , certe est turpius facere quod noceat . Testimonia aut per tabulas dicuntur aut a praesentibus . Simplicior contra tabulas pugna est : nam et minus obesse uidetur pudor inter paucos signatores mentiendi ; et probandi diffidentia premitur [e] absentia . Et si reprachensionem non capit ipsa persona , infamare signatores licet deinde quod nemo dat per tabulas testimonium nisi sua uoluntate . Contra haec dicitur , et amicum pro amico et inimicum posse uerum integra fide dicere . Et late locus uterque tractatur . Contra praesentes uero communis locus est cum pars altera nullam firmiorem probationem esse contendit , quam quae sit hominum scientia nixa ; altera omnia , per quae fieri solent falsa testimonia , enumerat . Uerumtamen non est in eiusmodi quaestionibus immorandum , an credendum testibus , an credendum tormentis sit . Sed tamen sumendus est transitus ad propria causae : debemus enim probare uelle non nullis [f] testibus nec nullis tormentis esse credendum , de quibus tum maxime agitur . Sequens ratio est , cum specialiter iam quidem sed tamen multos inuadere patroni solent . Nam et gentium simul uniuersarum testimonia eleuantur , et de auditionibus possunt inueniri : non enim ipsos esse testes , sed iniuratorum offerre uoces . Ut eos qui se reo numerasse pecunias iurant , litigatorum non testium habendos loco . Interim [g] aduersus singulos dirigatur actio . Ob quam rem multum interest , ut totam orator causam familiariter norit . Ea enim res docebit ad quae iudicis animus actione sit praeparandus : debet enim uel fieri uel detrahi testibus fides oratione perpetua , quia sic quisque dictis mo-

---

* *Sch.* Modestum auctoris praeceptum .

---

a Copula et inutilis uidetur . b Ita cod. cum adspir. ut in fragmentis iuris uaticanis . c Cod. *iure iurando* . d Ita cod. e Cod. *praemitur* . f Ita cod. g Ita *interim* in cod. pro *interdum* heic et alibi .

uetur, ut est ad credendum uel non credendum ante formatus. Saepe inter testes et argumenta contentio est: et inde scientiam et religionem esse; hinc uero ex argumentis dicitur testem gratia, metu, pecunia, ira, odio, amicitia, ambitu deprauari. Argumenta autem ex natura dici possunt: in his iudicem sibi, in illis aliis credere [1]. Communia haec multis causis ac saepe iactata sunt. Aliquando etiam utrimque sunt testes. Sed confirmatio sequitur ex supradictis, si his adiicientur diuina testimonia, id est responsa et omnia [b] cetera similia. In quibus tractatus erit unus generalis, qui inter stoicos et epicureos solet rogari, prouidentia ne mundus gubernatur [c]? alter specialis contra partes diuinationis, ut quaeque ad quaestionem cadet. Hic enim fidem confirmabit, hic refellet, quod adiiciat aliquis et uoces, siquae sunt per uinum uel per somnum uel per dementiam uel ab infantibus emissae: quos pars altera nihil iudicare dictura est, altera nihil fingere. Haec omnia, quae inartificialia supra dicta sunt, non tantum praestantur cum sunt, sed etiam ubi non sunt, desiderari solent. Ut puta, *pecuniam dedisti; quis numerauit? ubi? unde? Uenenum arguis: ubi emi? a quo? quanti? per quem dedi? quo conscio?* Ideo autem retro eorum statuum, qui sunt in scripto, non fecimus mentionem, quia eadem ratio est in omni genere quaestionum, qua semel accepta, ad cuiusque status controuersiam probationum argumenta parantur. Illud quoque studiosi eloquentiae et de artificialibus et de inartificialibus cogitent, neque in unaquaque causa ea quae monstrauimus cuncta posse reperiri; nec eodem ordine, quo sunt tradita, semper debere tractari: neque cum proposita fuerit materia dicendi, tum demum scrutanda singula argumentorum loca et uelut ostiatim pulsanda, ut ad probandum id quod intendimus respondeant. Infinitam enim et inutilem faciat ista res discendi tarditatem. Propter quod opus est non tantum arte, sed ingenio et studio et exercitatione nimia, quae plus plerumque et arte et ingenio ualet. Ut quemadmodum in syllabis, quae scribentium cogitationem non exigunt, si sit usus et consuetudo, sic in oratoribus sponte quaedam argumentorum facultas dicendi uel scribendi consuetudine ultro se necessariis locis offerat.

§. 9. DE ARGUMENTO.

Non est satis argumentorum locos uel diuisionum argumenta inuenisse, nisi exornentur inuenta et ceteras [d] in partes distinguantur. Dicere enim, *ueri simile est eum homicidium fecisse qui ex barbaris est*; aut, *concubuit haec mulier, nam peperit*; non argumentari est, sed argumentum proferre. Est igitur argumentum [e] inuentum aliquo ex genere rem aliquam aut probabiliter ostendens aut necessarie.

a Nam omina? b Nam pro omina et? c Ita cod. d Nam pro certas? e Cod. cum igitur argumentum sit.

1 Sic fere Cicero pro Scauro ed. mediol. p. 23.

*

VII. DE NECESSARIA ARGUMENTATIONE.

Necessarie demonstrantur ea, quae aliter ac dicuntur neque fieri nec demostrari possunt: hoc modo, *si peperit, concubit cum uiro: si lac habet, peperit*. Hoc genus argumentandi, quod in necessaria ratione uersatur, tractatur in dicendo aut per conplexionem aut per enumerationem aut per simplicem conclusionem. Conplexio est, in qua utrum concesserit, reprachenditur: ut, *si inprobus est, cur tueris? si probus, cur accusas?* Enumeratio est in qua, pluribus rebus expositis et ceteris infirmatis, una res aliqua necessario confirmatur: ut, *necesse est aut inimicitiarum causa ab hoc esse occisum aut metus aut spei aut alicuius amici gratia: aut si horum nihil est, ab hoc non esse occisum. Nam sine causa maleficium susceptum non potest esse. Ergo si neque inimicitiae fuerunt, neque metus ullus, neque spes, neque ad amicum pertinet huius mors illius; relinquitur igitur, ut ab hoc non sit occisus*. Simplex conclusio est: *si uos me istud eo tempore fecisse dicitis, (ego)*[a] *autem eo ipso tempore trans mare fui, restat ut id quod (dicitis) non modo non fecerim, sed ne potuerim quidem facere*. Atque hoc diligenter uideri oportet, ne quo pacto genus hoc refelli possit, ut non sola confirmatio, uerum et ipsa argumentatio ex necessaria ratione constet.

VIII. DE PROBABILI ARGUMENTATIONE.

Probabilis argumentatio in eo genere est, quod credibile est, quod uere solet fieri, quod in opinione positum est, quod sine ullo teste auditoris opinio confirmat. Ut, *si mater est, diligit; si auarus est, contemnit iusiurandum*. In hoc omnis argumentatio aut per inductionem tractanda est aut per ratiocinationem. Inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem eius, quicum instituta est; quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus assentit, probetur. Ut, *dic mihi quaeso, mulier, si uicina tua melius habeat aurum, utrum illius ne an tuum malis? illius inquit*[b]. *Quid si et uestem et ceterum ornatum muliebrem precii maioris habeat quam tu, tuum ne an illius malis? respondit, illius uero. Quid si uirum meliorem habeat illa quam tu habes, utrum ne tuum uirum malis an illius*[1]? Hic cum rebus non dubiis assensum est, fiet propter similitudinem ut etiam illud quod dubium uideretur, siquis separatim quaereret, propter rationem interrogandi concedatur. Hoc in genere praecipiendum nobis uidetur, primum ut illud, quod inducemus per similitudinem, eiusmodi sit, ut sit necesse concedi. Nam

a Verba parenthesi inclusa abscissa fuerunt. b Ita cod. 2. manu; at 1. inquid.

1 Cicer. de inuent. I. 31.

ex quo postulabimus nobis illud quod dubium sit concedi, ipsum dubium esse non oportet. Deinde, illud cuius confirmandi causa fiet inductio, uidendum est ut simile his rebus sit, quas res ante induxerimus quasi non dubias. Nam aliquid ante concessum nobis esse, nihil proderit, si ei dissimile erit id cuius causa illud concedi primum uoluerimus. Demus oportet non intelligi quo spectent illae primae inductiones, et ad quem sint exitum peruenturae. Nam qui uidet, si ei rei quam primo rogetur recte assenserit, illam quoque, quae sibi displiceat, esse necessario concedendam; plerumque aut non respondendo, aut male respondendo, longius procedere rogationem non sinet. Quapropter ratione interrogationis imprudens ab eo quod concessit ad id quod non uult concedere, deducendus est. Ad extremum autem, aut taceatur oportet aut concedatur aut negetur. Si negabitur, aut ostendenda similitudo est earum rerum quae ante concessae sunt, aut alia utendum inductione. Si concedetur, concludenda argumentatio est. Si tacebitur, aut elicienda responsio est, aut quoniam taciturnitas imitatur confessionem, pro eo ac si concessum sit concludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi, id est inductionis, tripertitum, ut prima pars ex similitudine constet una pluribusue, altera ex eo quod concedi uolumus, cuius causa similitudines exhibitae sunt; tertia ex conclusione, quae aut confirmat confessionem, aut quid ex ea conficiatur, ostendit.

VIIII. DE RATIOCINATIONE.

Ratiocinatio, id est syllogismus, est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum sua se ui et ratione confirmet. Syllogismi membra sunt enthymema et epichirema. Syllogismus constat partibus compluribus, aliquando quinque aliquando ·IIII· aliquando ·III· Plerumque, quotiens quinque partibus constat, prima est propositio, qua exponitur summa argumentationis ad hunc modum: *melius adcurantur quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur*. Secunda est confirmatio propositionis, quae rationibus uariis et quam copiosissimis approbat superiorem hoc modo: *domus ea*[1], *quae ratione geritur omnibus est instructior rebus et apparatior, quam ea quae temere et nullo consilio administratur. Exercitus is, cui praepositus est sapiens et callidus imperator, commodius regitur, quam qui stulticia et temeritate administratur. Nauis optime cursum conficit, quae scientissimo gubernatore utitur*. Tertia est assumptio, quae id quod uelit ostendere, assumit hoc pacto: *nauis autem melius quam omnis mundus administratur*? Quarta est quae approbat assumptionem hoc modo: *nam et signorum ortus et obitus definitum quemdam ordinem seruant, et annuae conmutationes non modo ex necessitate quadam semper eodem modo fiunt, uerum etiam ad utilitates quoque*

1 Cic. de inuent. I. 34, Quintil. V. 14.

rerum omnium sunt accommodatae : et diurnae nocturnaeque uicissitudines nulla re umquam mutatae, significant non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. Quinta est conclusio, quae id infert quod ex omnibus partibus cogitur hoc modo : *consilio igitur mundus administratur*. Haec est ratiocinatio in quinque partes distributa quam omnes ab Aristotele [a] et Theophrasto profecti maxime secuti sunt [1] : ut illam per inductionem Socrates et Socratici tractauerunt : et mox oratores ab utrisque transtulerunt. Et tamen aliquando est quadripertita ratiocinatio, cum aut proponimus, aut assumimus sine approbatione. Id autem fieri debet cum aut propositio ex se intelligitur, aut assumptio nullius approbationis indiget. Item est et tripertita ratiocinatio, id est trium partium syllogismus, qui constat propositione, ratiocinatione, conclusione. Ut, *bonum est uirtus* [2]; *nam id demum bonum est, quo nemo male uti potest; uirtute autem nemo male uti potest; bonum ergo est uirtus*. Et contra idem syllogismus : *non est bonum pecunia; non enim bonum est quo quis male uti potest; pecunia autem potest quis male uti : non igitur bonum est pecunia*. Syllogismorum propositio aut confessa est aut probanda : confessa, ut *omnes beatam uitam uiuere uolunt*. Sequitur ergo argumentatio et conclusio probanda; ut, *qui beatam uitam uiuere uolet, philosophetur oportet*. Non enim conceditur nisi confirmata fuerit. Assumptio quoque interim confessa est; ut, *omnes autem uolunt beatam uitam uiuere*. Interim probanda; ut, *quod autem dissolutum est, sensu caret* : cum hoc non constet, quia potest soluta corpore anima uel immortalis uel ad tempus manere. Omnia genera conclusionum in syllogismis intelligi oportet. Nam ita concludimus, ut in unum conducamus propositionem et assumptionem, atque ita conclusionem adnectamus hoc modo : *quod si leges omnes ad utilitatem rei puplicae* [b] *consuluit* [c], *profecto non potest eodem facto et saluti communi consuluisse et legibus non obtemperasse*. Aut ita, ut ex contrario conficiatur conclusio, hoc modo : *summa igitur amentia est in eorum fide spem habere, quorum perfidia tociens deceptus sis* [3]. Aut ita, ut id solum quod conficitur inferatur, ad hunc modum : *urbem igitur diruamus*. Aut id quod eam rem, quae conficitur, sequatur necesse est, hoc modo : *si peperit, cum uiro concubuit; peperit autem*; conficitur hoc, *concubuit igitur cum uiro*. Hoc si nolis inferre [d] et inferas id quod sequitur; *fecit igitur incestum*; et concluseris argumentationem. Quare in longis argumentationibus ex conductione aut ex contrario conplecti oportet : in breuibus id solum quod conficitur exponere; in his, in quibus exitus perspicuus est, consecutione uti.

a Cod. *Aristotile*; b Ita cod. c Ita cod. Mallem *utilitati rei p. consulunt*. Cf. Cic. de inuent. I. 38. d Cod. *conferre*.

1 Cic. de inuent. I. 35.
2 Quintil. V. 14.
3 Cic. de inuent. I. 40.

X. DE ENTHYMEMATE.

Enthymema est inperfectus syllogismus [1]: non est enim in eo necesse primum proponere, deinde argumentari, et postremo concludere; sed uel primam propositionem praeterire licebit, propterea quod ipsa tantum praesumptione iudicis uel auditoris contenta esse poterit, et sola ratiocinatione exsequi [a], et conclusionem superaddere, uel certe conclusionem praemittere, et sensibus iudicis id quod ratiocinatus est colligendum relinquere. Quare ergo dialecticis illud necessarium est, ut omnibus partibus colligant, oratoribus non semper? quoniam illis ueri inueniendi ratio, his suadendi proposita est. Persuadere autem non poterunt, si ipsa diligentia et redditione partium obscurauerint quae colligunt. Deinde ad illos non pertinet ut suaues et iucundi sint in disserendo; oratori autem maxime ne aures auditoris offendat studendum est; offendit porro iisdem nominibus utendo saepius et eadem collectione referendo. Debemus etiam illam differentiam scire, quod is qui disserit interim longe probationem petit, et multis in ratiocinatione positis colligit: orator autem quo sit lucidior probatio eius, ex proximo petit, nec spectabit quam uera sint ea quibus colligit, sed quam probabilia. Ut si colligendum sit mortem malum esse, dialecticus ille repetet huius rei probationem ex natura, quod illa nos uitae conciliauit; uel etiam altius et obscurius ex disperatione [b] animae et corporis, ut uel interire animam probet, uel si inmortalis sit, poenas eorum dare quae hic commiserit. Et ideo cum hoc ipsum incertum sit an recte uixerimus, timendum esse nequas poenas sustineamus. At uero orator nihil horum sibi probandum putat, nisi forte haec ipsa pompatice exequi uolet alio modo et alia ratione. Locuples enim et speciosa uult esse eloquentia, quod non sequetur, si conclusionibus certis et crebris et in unam prope formam cadentibus concessa [c], ex copia satietatem, et ex similitudine fastidium attulerit. Probationem autem ex proximo petet: ut *omnes homines aut maior pars hominum mortem timent* [d], *quod sui lugeant eos qui mortui sunt*, *quod carituri sint uoluptatibus*. Est enim illi oratio apud homines, qui non recondita disputationum subtilitate, sed communi sensu uniuersa percipiant.

XI. DE EPICHIREMATE.

Et quoniam diximus quid differat syllogismus ab enthymemate, non alienum hoc loco uidetur et de epichiremate dicere; quoniam quaerere quidam solent quid inter epichirema et enthymema intersit. Est autem

a Ita cod. At inferius *exequi*. b Ita cod. c Ita cod. pro *congesta*. Contra Virgilius apud Frontonem in exemplis elocutionum *quo congessere columbae* pro *concessere*. d Cod. *timeat*.

1 Quintil. V. 14.

diafora [a] utrumque et ui et substantia idem. Quid ergo interest? quod enthymema correptior probatio, epichirema autem executio enthymematis sit. Quod dico, tale est. Cum partes hae, quibus colligitur aliquid, ita probabiles sint ut nullum praeterea firmamentum desiderent [b], enthymema erit nudum et uiduum, quale est hoc: *si uero creditis eum qui patre non temperauit, quominus manus inferret, alienis temperaturum*. Hoc quia statim probabile uidetur, nullam confirmationem desiderat, et circumcisum enthymema est. At uero hoc ipsum, quia quasi paruum [c] probabile hoc modo proponat aliquis, deinde exequitur: *si ostendero iudici ab hoc pulsatum patrem, dubitabitis [d] ab eo iniuriam extraneo factam? non opinor*. Deinde longius prosequatur. *Etenim multi quamuis petulantes in alienos essent, suis tamen temperauerunt: at uero qui patrem non manu dico sed uultu tantummodo laesit, quid est quod non audere possit? credo existimationem inpudentiae uerebitur, qui crimen impietatis suscipere non recusauit; aut leges uerebitur, qui parente uiolato, non solum humana uerum etiam diuina iura permiscuit*. Et licet in quantum uis aliquid exequi: deinde hoc probato et confirmato, tum demum inponere enthymemati conclusionem ita deinde: *cum ab hoc pulsatum patrem constet, ab eo non uidebitur aliquid iniuriose circa hominem alienum et extraneum esse commissum?* Et omnino, quia est tripertita, quae est minima collectio syllogismi: proponimus enim id quod colligendum est, deinde confirmamus, deinde concludimus [e]. Illa ratiocinatio, quae est inter propositionem et conclusionem, enthymema dicitur. Enthymematon et epichirematon formae sunt quinque, electicon, item dicticon, item gnomicon, item paradigmaticon, item syllogisticon [f]. Electicon, quod solum apud ueteres tractabatur, in quo repugnantia colliguntur, cuiusmodi est hoc: *liberalem se praedicat; idem peculatum fecisse conuincitur*. Pugnant enim liberalitas et peculatus. Alii postea adiecerunt enthymematicon: *quod si apparet huic numquam officio pecuniam fuisse potiorem, certe eum liberalem iudicari oportet*. Non enim pugnant haec inter se, sed consecuntur; et est haec forma enthymematicon quod appellatur dicticon et fit a consequentibus. Tercium gnomicon: nam gnomicon est sententia, sicut illa: *difficile est modum precio statuere nisi libidini feceris* [1]. Et illa: *non potest uerus accusator esse qui cum*

a Ita cod. b Cod. *disiderent*. c Ita cod. pro *paruum* huic et infra. d Cod. *dubitatis*. e Cod. *concludimus*. f Haec uocabula explicantur exemplisque inlustrantur in margine. *Electicon, id est conuincibile, est quod euidenti ratione conuincit. Ut Cicero facit pro Milone: eius igitur mortis sedetis tutores* (edd. *ultores*) *cuius uitam si putetis per uos restitui posse, nolitis? — Dicticon, id est ostentabile, est quod a rei demonstratione constringit. Ut Cicero in Catilinam: hic tamen uiuit? immo in senatum uenit. — Gnomicon id est sententiale, est quod sententia generali . . . ut apud Terentium: obsequium amicos, ueritas odium parit. — Paradigmaticon, id est exemplabile, est quod alicuius exempli comparatione exitum similem comminatur. Sic Cicero in philippicis: te miror, Antoni, quorum exempla* (edd. *facta*) *imitaris, eorum exitus non pertimescere. — Syllogisticon, id est collectiuum, est quod in unum quae argumentata sunt colligit. Sic Cicero pro Milone: quem igitur cum gratia noluit, hunc uoluit cum omnium querela? quem iure, quem loco, quem tempore non est ausus, hunc iniuria, alieno tempore et loco, cum periculo capitis, non dubitauit occidere?* Cf. Quintil. V. 14.

1 In Verr. IIII. 7. cum uarietate.

reo criminum societate coniungitur [1]. Sed enthymema gnomicon hoc a sententia differt, quod ibi tantum simpliciter sententia pronuntiatur, hic autem simul et ratio sententiae redditur, quale est hoc: *Carthaginienses nobis iam hostes sunt; nam qui omnia parat contra me, ut quo tempore possit, bellum uelit inferre, hic iam mihi hostis est, tametsi nondum armis agat*. Paradigmaticon enthymema quamquam ad exemplum se refert, hoc tamen differt ab exemplo, quod exemplum per se positum probationem adiuuat, conuersum autem in speciem argumenti, formam accipit paradigmatis enthymematici. Ut sit exemplum: *non debetis largitionem permittere; nam et Dionysius et Pisistratus ciues largitione corruperunt*. At uero ut enthymema sit paradigmaticon, illo modo corripitur et concluditur: ut, *si Phalaridi et Pisistrato et ceteris omnibus una res maxime largitio dominationem conparauit, quid est quod non idem Gracchum affectare credatis, quem eadem quae illos facere uideatis?* Syllogisticon enthymema est quod ad imaginem syllogismi ex multis aliquid colligit. Ut si dicamus: *adulterium multis modis arguitur, quod munuscula missa sint, quod ad cellulam saepius conuenit ancillae, quod ad domum mariti accessum sit, quod qui accesserit latere uoluerit*. Atque haec omnia cum astruxerimus, tunc concludimus: *quod si munera misisse doceo, et cum ancillulis familiaritatem habuisse, et egressum furtim; quid est quod non ex his omnibus adulterium uideatur esse conmissum?* In eliciendo [a] enthymematibus raro utendum est. In patheticis uero aut ethicis materiis etiam dissoluamus quantum fieri potest enthymemata et destruamus, ne pedibus et numeris constricta sint. In his uero causis, in quibus res omnis in probatione posita est, dictica uitamus, et syllogistica adhibemus. Paradigmatica et gnomica seueris et grauibus et magnificis conueniunt: dictica supplicantibus et in affectu positis. In omni autem argumentatione uariari orationem magnopere oportebit [2]. Nam sicut in omnibus rebus, ita etiam in hac similitudo mater est satietatis. Uariari autem poterit, si non similiter semper congrediamur, si tum inductione utamur, tum ratiocinatione: nec semper ratiocinationem a propositione incipiamus, nec semper quinque partibus eius utamur, nec eadem ratione partitiones explicemus: sed tum ab assumptione incipere, tum ex propositione; tum approbatione, tum hoc tum illo genere conclusionis uti.

XII. DE REPRAEHENSIONE.

Repraehensio [3] est per quam argumentando aduersariorum confirmatio deluitur aut adleuiatur [b]. Haec fonte inuentionis eodem utitur quo utitur confirmatio, propterea quod quibus ex locis aliqua res potest con-

a Ita cod. b Ita cod. 1. manu; 2. *adleuatur*. Sed illa prior retinenda est uerissima lectio, contra criticorum dubitationes apud Cic. l. c.

1 Confer in Verr. III. 1; quamquam hic est alius Ciceronis locus.

2 Cic. de inuent. I. 41.

3 Cic. de inuent. I. 42.

firmari, isdem potest infirmari; id est quos in superiori parte didicisti communibus argumentorum locis. Nec tantum argumentum, sed argumentatio, tam in confirmando quam in refellendo similiter explicatur. Uerum enim sunt huius partis quaedam propria praecepta, quae in refellendo obseruare debemus. Tradidimus retro argumentum aut necessarium esse aut probabile: necessarium tractari aut per conplexionem aut per enumerationem, aut per simplicem conclusionem. Haec quemadmodum in probando tractarentur accepisti. Nunc quemadmodum repraehendantur, id est refellantur, attende. Primum conplexio [1], quae utrum concesseris debet tollere, si uera est, numquam repraehenditur: id est, *si peperit, concubuit cum uiro*. Si uero falsa, et imitatur ueritatem, duobus modis, aut conuersione aut alterius partis infirmatione. Conuersione hoc modo:

nam si ueretur, quid eum accuses qui est probus?
si inuerecundum animi ingenium possidet,
quid eum accuses qui id parui auditu aestimet?

Hic siue uereri dixeris, siue non uereri, concedendum putat hoc, ut necesse non sit accusandum [a]. Refelles ergo conuersione sic: *nam si ueretur, accuses; non enim parui auditu aestimabit: si inuerecundum ingenium animi possidet, tamen accuses; non enim probus est*. Alterius autem partis infirmatione repraehenditur conplexio ita: *uerum si ueretur, accusatione corripitur, ut ab errato recedat*. Enumeratio repraehenditur si aut praeteritum quiddam dicemus quod uelimus [b] concedere; aut infirmum aliquid annumeratum, cui contradici possit; aut causa non sit quare non honeste possimus concedere. Praeteritum quiddam est: *quoniam habes istum equum, aut emeris oportet, aut hereditate possideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus sit; aut si horum nihil est, surripuisti. Neque emisti, neque hereditate uenit, neque donatus est, neque domi natus est; necesse est ergo ut subripueris*. Hoc totum dissolues si dicere possis, ex hostibus equum esse captum, quod ille in enumeratione praetermiserat. Item repraehenditur enumeratio, cum contradici alicui speciei ex enumeratione possit. Ut, *si contendas hereditate tibi obuenisse, aut munere accepisse, aut domi natum esse*. Item repraehenditur cum aliquid ex enumeratione eligere possumus cui honeste concedamus. Ut si qui dixerit: *aut insidias facere uoluisti, aut amico morem gessisti, aut cupiditate elatus es*. Et nos contra dicamus, *amico morem gessi*. Simplex conclusio repraehenditur, si id quod sequitur, non uideatur necessario cum eo quod ante sit cohaerere. Nam hoc quidem; *si spiritum ducit, uiuit; si dies est, lucet*; eiusmodi est ut cum priore necessario posterius cohaerere uideatur. Argumentatio, quae per inductionem appellatur, quoniam per similitudinem maxime exercetur, poterit repelli dum

a Edd. *ut neges esse accusandum*. b Cod. *uelim*.

1 Cic. de inuent. I. 45.

simile negemus id quod confertur, et si fieri potest, diuersum genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione. Quo in numero illud quod per similitudinem affertur, et quo hoc cuius causa affertur haberi conueniat, quid res a re differat, ostendendum: ex quo probemus aliud de eo quod conparabitur, et de quo conparabitur existimari oportere. Syllogismus expugnatur, cum aut intentio eius, aut assumptio, aut conclusio, nonnumquam communia, refelluntur. Et quidem intentio ex his locis argumentorum redarguitur, quibus et confirmatur, id est contraria ratiocinatione: ratiocinatio autem numquam est uera, nisi et propositio uera sit. Nonnumquam tamen uerae propositionis falsa ratiocinatio est, *ut uirtus bonum est*; uerum est; sed siquis ratiocinationem subiiciat *quod ea locupletes faciat*, uerae intentionis falsa sit ratiocinatio [1]. Conclusio autem aut uera negatur, cum aliud colligit quam id quod ex prioribus exprimitur, aut nihil ad praesentem quaestionem dicitur pertinere. Non est uera, sicut haec: *insidiator iure occiditur*; *nam cum uitae uim afferat ut hostis*, *etiam repelli debet ut hostis*; *recte igitur Clodius ut hostis occisus est*. Nam utique nondum etiam [a] Clodium insidiatorem ostendimus. Et si uera conclusio, *recte igitur insidiator ut hostis occiditur*; nihil ad nos; nondum enim Clodius insidiator apparet. Sed ut potest uera esse intentio et ratiocinatio et tamen falsa conclusio, ita si illa falsa sunt, numquam est uera [b] conclusio. Praeterea omne genus argumentationis siue in his quae scripta sunt, siue in enthymemate, siue in epichiremate, refutatur aut quasi uitiosum genus argumentationis, ut cum contra argumentum aliud argumentum opponitur firmum, cum ipsum genus uitiosum est aut falsum. Ut, *non potest esse sapiens qui pecuniam negligit*. Aut cum commune, ut non minus aduersariis quam nobis faciat, hoc modo: *iccirco*, *iudices*, *quia ueram causam habebam*, *breui peroraui*. Aut ut uulgare quod in aliam quoque rem transferri possit: ut, *si causam ueram non haberem*, *uobis me iudicibus non conmisissem*. Aut ut leue quid sero inducitur: *si in mentem uenisset*, *non conmisissem*. Aut ut remotum, quod ulterius quam satis est petitur: ut, *si in nemore Pelio non cecidissent trabes*, *hoc scelus factum non esset* [2]. Aut male definitum repraehenditur, ut communia describendo, hoc modo; *seditiosus est is* [c] *qui malus atque inutilis ciuis est*; cum non magis seditiosi quam ambitiosi et calumniatoris sit. Aut false definiendo: ut, *sapientia est pecuniae quaerendae intelligentia* [3]. Item uitiosum est argumentum, cum controuersum est, id est cum incertis incerta uult probare; uel cum relicta controuersia, de eo, in quo non est quaestio, argumentatur. Non honestum est argumentum, quod aut loco in quo dicitur, aut homine qui dicit, aut eo tempore quo dicitur,

a Quint. melius: *non utique, nondum enim*. b Cod. *uera falsa*. c Cod. *his*.

1 Quintil. V. 14. ad Heren. II. 22, et Cic. de inuent. I. 49.
2 Ex Ennii Medea euripidea apud auct. 3 Cic. inuent. I. 49. sqq.

aut his qui audiunt, aut ea re de qua agatur, indignum est. Offensum est argumentum, quod eorum qui audiunt uoluntatem laedit. Inconstans est argumentum, quod ab eodem de eadem re diuerse dicitur, ut *qui dicat uirtutem ad beate uiuendum*[a] *nulla re indigere, et idem postea neget sine bona ualetudine posse bene uiui*[b]. Aduersarium est argumentum, ut *siquis hostium uim et copias augeat cum ad pugnandum milites adhortetur*. Uitiosum est argumentum, si plurima in partitione pollicitus, pauciora demonstret: aut cum, si totum debet ostendere, de parte aliqua loquatur, hoc modo: *mulierum genus auarum est, nam Eriphila auro uiri uitam uendidit*. Uiciosum est argumentum, et si res ex hominis uitio uituperabitur, *ut qui doctrinam*[c] *alicuius docti uitiis repraehendunt: aut siqui, cum aliquem uolet laudare, de felicitate eius non de uirtute dicet*. Aut *si rem cum re ita conparabit, ut alteram se non putet laudare, nisi alteram uituperauerit*. Aut *si cum de certa re quaeritur, de communi instituerit orationem*: ut, *si cum aliqui deliberent bellum gerant an non, pacem laudent omnino, non illud bellum inutile esse demonstrent*. Paruum idoneum est argumentum hoc modo: *maximum bonum est amicitia; plurimae enim delectationes sunt in amicitia*. Cum contra argumentum aliud firmum argumentum opponitur; hoc genus in deliberationibus maxime uersabitur, cum aliquid quod contra dicatur aequum esse concedimus, sed id quod nos defendamus necessarium esse demonstramus; aut cum id quod ille defendat, utile esse fateamur; quod nos dicamus, honestum esse demonstremus[d].

XIII. DE PROPOSITIONE.

Quaeri etiam solet, an semper approbationes propositione uti necesse sit. Propositio autem est omnis confirmationis initium. Sed aliquando sine propositione quoque satis manifestum est quid in quaestione uersetur; utique si narratio ibi finem habet ubi initium quaestio, adeo ut aliquando subiungatur expositioni, quae solet in argumentis summa esse collectio; ut est: *haec si ut exposui gesta sunt iudices, insidiator superatus est, ui uicta uis est*[1]. Nonnumquam ualde utilis est propositio, ubi res defendi non potest, et de iure quaeritur, ut pro eo qui pecuniam priuatam de templo sustulit. Ut si dicas: *de sacrilegio cognoscitis*: ut iudices intelligant id unum esse officii sui quaerere, an id quod obiicitur sacrilegium sit. Item necessaria est propositio in causis obscuris aut multiplicibus, non solum ut fiat causa lucidior, sed quia aliquanto magis mouet, si protinus subtexantur aliqua quae prosint. Ut est: *lex aperte scripta est, ut peregrinus qui murum ascendit, mor-*

a Cod. *utendum*. b Ita fortasse in cod. 1. manu; at 2. *uiuere*. c In ed1. additur *ex*. d Ita cod. At supra cum *a*.

1 Cicer. pro Mil. XI. cum uarietate. Confer autem Quintil. IIII. 4.

te multetur; *peregrinum te esse certum est*, *et ascendisse murum*; *quid superest*, *nisi ut puniaris*? haec enim propositio confessione aduersarii premitur [a], et quodammodo iudicandi moram tollit. Sunt propositiones non tantum simplices, sed etiam duplices et multiplices. Nam et plura crimina simul congeruntur. Ut, *Socrates accusatus est quod corrumperet iuuentutem*, *et nouas superstitiones introduceret*. Defensio quoque plures interim propositiones habet. Ut, *pecuniam petis nullo iure*; *procuratorem enim tibi esse non licuit*; *sed neque cuius nomine litigas*, *habere procuratorem potuit*. Et multiplicari haec in quantum libet possunt. Est etiam nuda propositio, qualis fere in coniecturalibus: *caedis ago*, *furtum obiicio*. Est cum ratione propositio; ut, *maiestatem minuit Cornelius*, *nam codicem legit* [1]. Praeter haec utimur propositione, aut nostra; *adulterium obiicio*: aut aduersarii; ut, *adulterii mecum agitur*: aut communi; ut, *inter me et aduersarium quaestio est*, *uter sit defuncto* [b] *propior*. Nonnumquam diuersas quoque iungimus: ut, *ego hoc dico*; *aduersarius illud*. Habet interim uim propositionis etiam quae per se non est propositio, cum enarrato rerum ordine, subiicimus: *de his*, *iudices*, *cognoscetis* [c]: ut sit haec commonitio iudicis, ut ad quaestionem ingredientibus ipse quoque quodammodo nouum audiendi sumat exordium.

XIIII. DE PARTITIONE.

Et de partitione quaesitum est an ea semper esset [d] utendum. Partitio autem est nostrarum aut aduersarii propositionum, aut utrorumque in ordinem collocata enumeratio. Hac aliquando utendum non est. Primum quia pleraque gratiora sunt, si inuenta subito nec domo adlata, sed inter dicendum ex re ipsa nata uideantur. Unde illa non iniocunda [e] schemata [f]: *paene excidit mihi*; et *fugerat me*; et *recte admones*. Deinde quod interdum etiam fallendus est iudex, ut aliud agi quam quod petimus putet. Nam est nonnumquam dura propositio, quam iudex si praeuidit, non aliter reformidat, quam qui ferrum medici priusquam curetur [g] aspexit. At si de re non ante proposita securum ac nulla denuntiatione in se conuersum intrarit oratio, efficiet quod promittenti non crederetur. Deinde refugienda interdum non modo partitio quaestionum, sed omnino tractatio est, et affectibus turbandus et ab intentione auferendus auditor. Non enim solum oratores docere, sed nonnumquam plus debent mouere. Cui contraria est maxime tenuis illa et scrupulosa partitio: quod interdum quae per se leuia sunt et infirma, congerenda sunt et turba ualent, ut uelut eruptione pugnetur, quod tamen rarum esse debet et ex necessitate demum; cum hoc ipsum, quod

a Cod. *praemitur*. b Edd. *intestato*. c Edd. *cognoscitis*. d Cod. *esse*. e Ita cod. f Ita 2. manu; at 1. *scemata*, ut apud Frontonem. g Cod. *curuetur*. Sed recte Quintil. IIII. 5.

1 Ascon. argum. or. pro Cornel. et Cic. in Vat. II.

dissimile rationi est, coegerit ratio. Praeter haec in omni particione est utique aliquid potentissimum, quod cum audierit iudex, cetera tamquam superuacua grauari solet. De illo quoque genere defensionis plerumque dubitatur: *si occidi*, *recte feci*; *sed non occidi*. Quo enim pertinet prius, si sequens firmissimum est? sequente enim, si modo indubitabile est, solo utendum est. Uerumtamen siquid in eo quod est fortius timebimus, utraque probatione nitamur. Alius enim alio moueri solet. Et qui factum putabit, iustum credere potest; et qui tamquam iusto non mouebitur, factum fortasse non credet. Ut certa manus uno telo potest esse contenta, incerta plura spargenda sunt, ut sit et fortunae locus. Ut pro Milone insidiatorem primum ostendit Clodium; tum ex habundanti [a] addidit, etiamsi id non fuisset, talem ciuem cum magna uirtute interfectoris necari potuisse. Quotiens tamen hac duplici defensione utendum est, nitendum est ut in illam partem sequentem fides ex priore ducatur. Potest enim uideri qui tuto etiam confessurus fuit, mentiendi causam in negando non habere. Et illud utique faciendum est, ut quotiens suspicamur iudicem aliam probationem desiderare, quam de qua loquimur, promittamus nos statim plene satis esse facturos. Frequenter autem suscipitur causa paruum uerecunda, sed iure tuta, de quo ne inuiti iudices audiant, frequentius sunt admonendi secuturam defensionem probitatis, ut expectent et agi ordine sinant. Quaedam nos inuitis litigatoribus simulandum est dicere. Nonnumquam, si interpellamur, ab his subsistere: saepe auertenda ad ipsos oratio: hortandi etiam ut sinant nos uti nostro consilio. Ita subripitur animo iudicis, et dum sperat probationem pudoris, asperioribus illis iuris adlegationibus minus repugnabit. Sic utraque se res inuicem iuuabit, eritque iudex circa ius nostrum spe modestiae attentior; circa modestiam, iuris probatione procliuior. Sed ut non semper necessaria, aut utilis est partitio, ita oportune [b] adhibita, multum et lucis et gratiae confert. Neque enim solum id efficit ut clariora fiant quae dicturi sumus, sed reficit quoque audientem certo singularum partium fine, non aliter quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata in scriptis lapidibus spatia. Partitio igitur quotiens adhibenda est inlustrem et distinctam facit orationem [1]. Partitionis partes sunt duae, quarum utraque magnopere ad aperiendam causam et constituendam pertinet controuersiam. Una pars est, quae quid cum aduersariis conueniat, et quid in controuersia relinquatur ostendit; ex qua certum quiddam destinatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum. Altera est in qua rerum omnium, de quibus erimus dicturi, breuiter expositio ponitur distributa, qua conficitur ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat fore peroratum. Quae partitio quid conueniat et quid non conueniat ostendit. Haec debet illud quod conueniat inclinare ad suae causae commodum hoc modo: *interfectam*

a Ita cod. cum adspir. *b* Ita cod. cum unica *p*.

1 Cic. de inuent. I. 22. sqq.

matrem esse a filio, conuenit mihi cum aduersariis; item contra interfectum esse ab uxore Agamemnonem conuenit: an sceleratus Orestes, et an scelerata Clytemnestra, non conuenit: et hoc τὸ κρινόμενον. Sed cum scelus sit matrem interemisse uel maritum interemisse, idque conueniat, plurimum proficit etiam ad id quod non conuenit inter partes, ut scelerati uideantur qui id admisisse doceantur. Ut, *dicam de auaritia, de superbia, de crudelitate*. Ut, *dicam primo quae in quaestura, quae in aedilitate, quae in praetura Romae, postremo quae in prouincia conmiserit*; et talia. Sic et Marcus Tullius fecit pro Tullio: *dampnum* [a] *datum Tullio et ui hominibus armatis et a familia P. Fabi* [b] *constare dicit; in controuersia autem esse an dolo malo dampnum datum sit*; quod est τὸ κρινόμενον, quodque adiuuatur plurimum ex his de quibus conuenire constitit. Idem: *dolum malum esse cum familia armata sit, cum ad uim uenerit, cum dampnum intulerit*. Quae autem partitio omnium, quas dicturi sumus, rerum distributam continet expositionem, haec habere debet breuitatem, absolutionem, paucitatem. Breuitas est cum, nisi necessarium, nullum assumitur uerbum; quae iccirco est utilis, quod rebus ipsis et partibus causae, non uerbis neque extraneis ornamentis, animus auditoris tenendus est. Absolutio est per quam omnium [c] quae incidunt in causam genera, de quibus dicendum est, amplectimur. In qua partitione cauendum est, ne aliud aliquod genus utile relinquatur, aut sero extra partitionem, id quod uitiosissimum ac turpissimum est, inferatur. Paucitas in partitione seruatur si genera ipsa rerum ponantur, neque permixte cum partibus inplicentur. Nam genus est, ut animal; pars est, ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est: Nam homo animalis, pars est; Troiani [d] aut Graeci, genus est. Hoc ideo, ut aperte intellecta generali partitione, paucitas generum in partitione seruari possit. Nam qui ita partitur: *ostendam propter cupiditatem et audaciam et auaritiam*; non intelligit in partitione exposito genere, partem se generi admiscuisse. Nam genus est omnium nimirum libidinum cupiditas; eius autem generis sine dubio pars est auaritia. Hoc igitur uitandum est, ne cuius genus posueris, eius sicut aliquam diuisam ac dissimilem partem ponas. Quod si in genus incident partes, id genus cum in prima causae partititione erit simpliciter expositum, eo tempore commodissime distribuetur, cum ad ipsum uentum erit explicandum in causae dictione. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura quam satis sit demonstraturos nos dicamus, hoc modo: *ostendam aduersarios quod arguamus, et potuisse, et uoluisse, et fecisse*; cum satis sit *fecisse*, ostendere. Aut cum in causa nulla partitio sit, et cum simplex aliquid agatur, tamen utamur distributione, id quod perraro potest accidere. Meminisse debemus, quod prima quaeque pars, ut exposita est in partitione, sic in ordine primo quaeque transigatur. Est autem magna pru-

a Ita cod. 2. manu; at 1. *dampnum*. Sic et infra. b Cod. pro *P. Fabi* habet *praeda ui*, qui est librarii error notae ueteris non intelligentis. c Edd. *omnia*. d Edd. male *Thebani*.

dentia, cum multa argumenta occurrunt, non uti omnibus, sed electis et magis profuturis, nec tam enumerare argumenta quam pendere [a]. Argumenta semper desiderant purum sermonem, et dilucidum et distinctum et minime elatum, maxime in rebus minoribus. Etiam sermone ac uerbis propriis utendum est. Nam, ut ait Marcus Tullius [1], *ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis fontibus* [b] *hauriuntur, dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu atque hominum in* [c] *more et sermone uersatur: ut in ceteris artibus* [d] *id maxime excellat, quod longissime sit ab inperitorum intelligentia sensuque disiunctum; in dicendo autem uitium uel maximum sit* [e], *a uulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere*. Hoc cum Marcus Tullius de omni parte orationis dixerit, praecipue tamen in argumentatione seruandum est, in quo etiam obscuritas magis fugienda est. Siquando tamen maior erit materia, nonnullus etiam agumentationi indulgendus est ornatus, quod et Tullius fecit: *silent leges* [2] *inter arma, et gladium nobis interim* [f] *ab ipsis porrigi uidemus legibus*. Sed et Quintilianus praecipit [3] in argumentatione ante omnia peraccurata utendum esse perspicuitate: in maioribus dumtaxat causis licere ornatu aliquo delectare. Quicquid natura magis asperum est, hoc pluribus est condiendum uoluptatibus, dummmodo in his argumentis pius [g] habeatur modus ut sint ornamenta non inpedimenta. Cum igitur argumentorum locos perspexeris et quemadmodum his sit utendum, tum suscepta causa constitue quid habeat boni quid mali: nulla enim potest esse quae non habeat utrumque: et quod boni habet, id amplectere, id exorna et exaggera et in eo commorare. A malo autem uitioque causae ita recede, non ut te fugere appareat, sed ut totum bono illo ornando et augendo obruatur. Et si causa est in argumentis, ad ea te potissimum conuerte. Si in consiliatione [h], insiste. Summa denique huius generis haec sit, ut si in refellendo aduersarium plus spei sit, quam in confirmandis nostris, omnia in illum tela conferamus: si nostra probari facilius quam illa redargui possunt, abducere animos a contraria defensione et ad nostram conemur adducere. Diximus retro in inuentione excogitari principia, narrationem, excessus, quaestiones, epilogos. Itaque his, quae prima in omni causa spectanda sunt, idest quaestionibus disputatis, iam reliqua uideamus.

XV. DE PRINCIPIIS [4].

Non tantum in prohoemio, sed in omni parte actionis maxime prodest ut dicturus intueatur qui, et apud quem, et pro quo, et contra quem, et quo tempore, et quo loco, et quo rerum statu, et qua

a Cod. *pandere*. *b* Edd. *e fontibus*. *c* Edd. *in hominum*. *d* *Artibus* deest in edd. *e* Edd. male *est*, ubi recte emendabat Pearcius *sit*. *f* Edd. *interdum*. *g* Ita cod. *h* Ita cod.

1 De orat. I. 3.
2 Pro Milone III. IIII, et Quintil. V. 14.
3 Lib. V. 12.
4 Cf. Quintil. IIII. 1.

uulgi fama dicendum , quid iudicem sentire credibile sit . Ita etiam facilius quid adnitendum , poterit institui . Oportet autem , ut aedibus ac templis uestibula , sic causis principia , nec magnis parua , nec paruis magna praeponi . Principium autem non semper est necessarium . Nam uel temporis angustiae non patiuntur , uel causa perparua est , uel iudex mora offenditur . Plane potest nonnumquam post narrationem prohoemium poni . Si enim est quod apud suspicionem iudicum causae officiat , ipsi autem expositionem negotii statim desiderent , possumus utrique rei satisfacere , ut explanata omni controuersia , quibus medendum est principiis , leniamus . Ac si ad probationes transeamus , quod genus graeci μερικὰ prohoemia appellant , quae non initio , sed ubicumque usus exigerit [a] , quibusque actionis partibus accomodantur [b] . Cum autem erit utendum principio , praeparare eo debemus iudicem , beniuolum , attentum , docilem faciendo . Quae tamen per totam actionem custodienda sunt , sed in initiis praecipue , ut in animum iudicis possimus admitti . Beniuolus aut personis efficitur , aut causis . A personis , si ducatur exordium uel ab actore causae , uel ab ipso litigatore , et ab accidentibus unicuique personae ; ut aut dignitas allegetur , aut infirmitas , aut merita : sed uerecundius , ne inuidiam prouocemus . Prosunt etiam et liberi et sexus et aetas et conditio et cetera quae iudicem ad misericordiam inclinant . Degustanda tamen in principio , non consumenda latius . Aduersarii quoque persona prope isdem omnibus e contrario inpugnari solet . A iudice quoque principia ducuntur , non nimis laudando eum , quia suspectum est et parti utrique commune ; et ideo si fieri potest laudem eius ad utilitatem causae conferamus : ut adlegemus pro honestis dignitatem illi suam , pro humilibus iusticiam , pro infelicibus misericordiam , pro laesis seueritatem , et similiter cetera . Propter quod mores quoque si fieri potest iudicis uelim nosse . Nam prout asperi , lenes , iocundi , graues fuerint , ita aut assumere in causa naturas eorum quae conpetunt , aut mitigare quae repugnabunt oportebit . Praeterea detrahenda uel confirmanda opinio , si [c] quam uidebitur domo iudex attulisse . A causis beniuolentia ducitur , si quae in actione fauorabilia nobis fuerint , et tractemus et augeamus : ea uero quae laedant , aut omnino repellamus , aut certa aliqua ex parte minuamus . Sed sicut in persona diximus , res omnes quae affectus mouent , id est uel pro nobis gratiam , misericordiam , beniuolentiam , uel contra etiam aduersarios odium , iram , inuidiam , parcius et modestius in principio praegustanda sunt , quia hoc differt principium ab epilogo , quod hic restrictius , illic liceat effusius euagari . Namque in epilogo et allocutionem permittitur inducere , et defunctos excitare , et pignora producere , et cetera quae animos audientium moueant . Quae omnia tamen sicut in principio praecerpenda sunt pro nobis , ita ex diuerso amoliri opus est . Illud in uniuersum praeceptum sit , ut si causa laborabimus , per-

a Ita cod. b Ita cod. cum unica m . c Cod. *sed* ,

sona subueniat; si persona oberit, causa prosit; si nihil fuerit quod adiuuet, quaeramus quid aduersarium laedat. Non inutile est interdum occurrere, quae uidentur obstare. Ut Cicero [1]: *scire se mirari, quod qui per tot annos defenderit, subito ad accusandum descenderit*. Multum gratiae exordio dabit, si ab actione diuersae partis trahatur, quia non conpositum domi, sed ibi natum existimabitur. Attentum iudicem facies, si res agi uideatur noua, magna, atrox, pertinens ad exemplum. Praecipue tamen si iudex aut sua uice aut rei publicae commoueatur, spe, metu, ammonitione [a], precibus: promissione etiam nos non diu moraturos nec quicquam extra causam esse dicturos. Sed intentio, si quam [b] sibi pars diuersa conciliauerit, minuetur e contrario quaedam quasi leuia, quaedam quasi non pertinentia ad causam praedicando. Et si actio diuersae partis iudicum animos occupauit, praemittendae sunt nostrae probationes et diuersarum refutatio. Docilem sine dubio haec ipsa praestabunt, attentio et beniuolentia. Sed et illud, si breuiter et dilucide summam rei de qua cognoscere debeat, iudicemus, ut Homerus atque Uirgilius operum suorum principiis faciunt, cuius rei modus esse debet, ut propositioni similior sit quam expositioni: nec quomodo quidque sit actum, sed de quibus dicturus sit orator ostendat. Licet etiam principales quaestiones in principio praecerpere, sed praecursu solo atque tactu, ut de his quaeri uideatur. Quomodo pro Flacco et pro Fonteio Marcus Tullius, *nihil agi illo iudicio nisi ut magistratus in prouinciis non audeant imperare sociis quod ex usu rei publicae sit*. Saepenumero in principiis etiam causam praediuidimus ex utilitate nostra, ut Demosthenes contra Aschinem. Est etiam illud nonnumquam aptum ad prohoemiandum, cum praeiudicatum aliquid de ea re ostendimus, uel cum incipimus ab his quae acciderunt. Tenendum est et in principio et in quacumque parte actionis, ne ante inuehare in crimen, quam id coargueris. Prohoemio conuenit non semper sed frequenter sententiarum et uerborum conpositio; id enim nostris iam temporibus exigitur; cum autem apud priscos multo utilius praecipi soleat, minime ostendendam eloquentiam in principiis, quia facilius simplicitate simulata subripere possit orator. Sed et nunc delicatius audientium fastidium hanc saltem moderationem capit, ut demus operam ne uideamur callide, sed accurate potius dicere. In principiis cauere debemus, ne quod inusitatum uerbum, neue audatius translatum aut obsoletum [c] a uetustate aut poetica licentia sumptum sit. Nondum recepti sumus, et custodit nos recens audientium intentio. Et ideo illud quoque turpissimum est, in principio turbari memoriam, uel uerborum facultate destitui, uel in quocumque repraehendi. Solet in principiis apostrophe admitti secundum ueterum exempla, quod diligentiores prohibent. Non enim quia

a Ita cod. et sic in aliis antiquis codd. uidi. *b* Cod. *si quem*. c Cod. 1. manu *abs*. 2. *obs*. Sed nec prior scriptura, a uerbo *absolesco*, protenus repudianda erat.

1 In Verr. I. 1.

potest bene aliquando fieri, passim facienda est, cum sit magis secundum naturam ut eos adloquamur potissimum quos conciliare nobis studemus. Sunt illa uitia principiorum, si id dicas quod ad plures causas accomodari [a] possit; quod appellatur uulgare principium: uel quod causae non cohaereat, et aliunde translatum sit, quod alienum dicitur.

XVI. DE NARRATIONE [b].

Narratio esse debet breuis, perspicua, probabilis. Nam etsi in omnibus, in hac tamen uel maxime uitanda est obscuritas, et modus custodiendus et credibilia facienda quae dicas. Breuis erit si narrationem nec repetamus altius nec persequamur longius quam quaestiones exigant, neque inseramus minime necessaria, nec locos communes, nec egressus appetamus. Poterimus enim haec aut in argumentando aut in commouendo reddere, nisi de hac re niti uoluerimus indignam aliquam rem et miserabilem demonstrando; quia prodest cum quid narres, etiam quemadmodum gestum sit exponere. Sed hoc, sicut supra dictum est, in narratione breuiter. Alias autem breuiter narrare, eam uirtutem, quae narrationis est maxima et iocunda, et ad persuadendum accommodata sit, tollit. Denique illa: *nam is postquam excessit ex ephebis* [1], non tam breuis narratio quam iocunda, mores adolescentis ipsius, et mors Chrysidis [c], et uultus et forma et lamentatio et reliqua peruarie collocantur. Quaedam narrationis uitiosa prolixitas est, cum specie breuitatis ea omnia singulis uerbis exsequimur, quae aut ex sequentibus aut ex praecedentibus nihilo minus, etsi taceantur, intelligi possunt; ut est illud: *ecfertur* [d], *imus*, *uenimus*, *in ignem inposita est*. Uidetur haec breuitas esse, quia concise proposita est; sed abundat; potuit enim ex eo quod dictum est *ecfertur*, intelligi etiam quod sequebatur, licet non esset dictum. Item *nauigare uolens*, *ad portum descendi*, *dominum nauis conueni*, *locum conduxi*, *ascendi*, *nauigaui*. Hoc quoque in pari culpa est. Ex eo enim quod dictum est *nauigaui*, satis potuerunt praecedentia subaudiri. Abesse a narratione praecipue, ut maxima uitia, debent tautologia et perissologia [e]. Perspicua erit narratio si utamur uerbis usitatis et significantibus et propriis; si ordine temporum seruato; si non interrupte narrabitur; si amphibolia absit; si hyperbaton et translatio alte repetita, et breuitas nimis coartata, et nimis praeceps continuatio uerborum. Probabilis erit narratio, si circumstantiam persequa-

a Ita cod. cum unica m, ut supra. b Cf. Quintil. IIII. 2. c Cod. *Chirsidis*. d Cod. *haec fertur*. Ita et mox. Sic enim audiuit qui dictata scripsit. e Haec uitia declarantur in scholiis sic: *tautologia est idem eloquium; ut: quem si fata uirum, seruant, si uescitur* (cod. *siue fruatur*) *aura aetherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris. Totum enim quod repetitur una res est, sed crebro sermone adnunciata. Perissologia est adiectio plurimorum uerborum supernacua; ut: uiuat... en et non moriatur. Hyperbaton est transcensio, cum uerbum aut sentencia ordine conmutatur. Sunt autem quinque species, anastrophe, hysteron proton, parenthesis, tmesis, synchysis. Amphibologia est ambigua oratio; ut: uideo statuam auream hastam tenentem; dubitatur enim utrum auream referatur ad statuam an ad hastam.*

1 Ter. And. I. 1. 24.

mur, uel omnem, uel quaecumque ex ea subpeditauerint [a]. Circumstantia autem est, sicut retro tradidimus, peristasis, quis, quid, quando, ubi, cur, quemadmodum, quibus amminiculis [b]. Dicendum ergo: *ille cum illi inimicus esset, cumque ante insidiaretur uitae eius, in solitudine, circa illum locum, nocte, cum ipse cum pluribus esset armatus, iurgio orto, commisso proelio, gladio eum transfixit*. Haec narratiuncula habet omnia, et personam, et tempus, et causam, et locum, et rationem, et adminicula. Sed hoc tamen frustra erit, nisi certa ratione ponantur, ut inter se congruant et conueniant, et quae singulis accidunt, probabiliter affecta [c] sint. Nam si aut personam eam posuerimus, quae a re semota sit, aut tempus alienum a re gerenda, aut locum, aut haec ipsa inter se repugnantia, locus repraehensionis erit: quam sicut in nostris narrationibus cauere debemus, ita in aduersarii repraehendere, cum occasio datur. Solet et sine persona narratio esse, cum res aliqua per se ipsam exponitur. Nonnumquam et causa sola faciendi enarrari solet. Sunt aliae narrationes, in quarum singulis partibus probationes singulae reddantur, et dicuntur μερικαί: quod accidit duobus modis, aut cum longa rerum series est, et uerendum ne iudex aut auditor obliuiscatur eorum quae prima dixeris, et statim singulae quaeque partes proderunt: aut cum sub unum crimen plures res gestae cadunt, ut in repetundarum iudiciis et tutelae actionibus. Itaque quasi multae causae sint, sic oportet singula narrari et probari. Sunt narrationes quae appellantur ἐγκατάσκευοι, quae incertas probationes habent non tam longas quam habent illae retro. Hoc enim interest, quod illic singulorum criminum uel singularum specierum narrationem probationes plenae sequuntur: hic autem sic mixta probationum semina habent, ut in narrationis cursu quo laborare causa uidetur, aut quod per se aut inuidiae aliquid habiturum sit, aut paruum fidim [d] fulciatur. Ut, *Quintus Ligarius cum esset nulla belli suspitio legatus in Africam profectus, non modo ad bellum sed ne ad minimam quidem suspitionem belli, domum spectans, ad suos redire cupiens*. Ita quod exponebat et ratione fecit credibile et affectu. Uerumtamen non argumentatione sed argumento. Si quando omnia narranda sunt, obseruandum est caute, ut contraria praeteruolemus quantum poterimus, minuentes quoque, aliam causam, aliam mentem, aliam rationem afferentes, luxuriam hilaritatis nomine, auariciam parsimoniae, negligentiam simplicitatis, et cetera in hunc modum; nostra [e] exaggerantius, instantius inmorantes. Sunt causae quae narrationem habere non possunt; ut si inter duos de sacerdotio quaeratur uter sit dignior; in quo nos falli non oportet; cum de nobilitate generis aut de meritis disputatur. Uerum enim hac non causarum narrationes sed quaestionum illarum praeparationes, uter nobilior, uter melior meritis, uter praestantior: quae sunt argumenta a persona. Nonnumquam reus narrationem subtrahit, cum id quod obicitur neque negari neque excusari potest, sed in sola iuris ratione consistit. Ut in eo

a Ita cod. b Ita cod. quod scripturae genus antiquum est. c Ita cod. d Ita cod. e Ita cod.

qui pecuniam ex aede sacra subripuit, confessio uerecundior quam expositio est. *Non negamus pecuniam de templo esse sublatam; calumpniator tamen sacrilegii agit, cum priuata fuerit*. Sed et petitor aliquando narrationem subtrahit, quia satis est propositione: ut *pecuniam peto ex stipulatione; legatum peto ex testamento*: in quo diuersa pars tantum exponit, cur non debeatur. Et quod quidam dicunt superuacuam esse narrationem rei quam uel aduersarius narrauerit, uel iudex nouerit, sic intelligendum est, si non modo factum quid sit sciet iudex, sed ita factum etiam, ut nobis expedit, opinabitur. Neque enim narratio in hoc reperta est, ut tantum cognoscat iudex, sed aliquanto magis, ut quemadmodum nos uolumus gestum putet. Quare etiam si non erit docendus, sed aliquando afficiendus, narrabimus inter nos. In narrandis his quae nota sunt, plurimis figuris orationis erit uarianda expositio ad effugiendum taedium, ut assidue iniiciamus *ne grauentur rationem quoque cognoscere*; uel *sicut meministis*; uel *fortasse superuacuum fuerit hic commorari*; uel *quid ego diutius? cum tu optime noris*: et his similia. Quaeri solet an sit utique narratio prohoemio subserenda. Sed hoc interim mutat conditio causarum. Ideo et Tullius pro Milone distulit narrationem tribus propositis quaestionibus. Nihil enim profuisset exponere quomodo Miloni insidias fecisset Clodius, nisi fas esset eum, qui a se hominem occisum fateretur, defendi: et cetera quae necessario ante narrationem est exsecutus. Etenim hae quoque quaestiones uim prohoemii obtinent, quae iudicem praeparant, ut etiam idem Marcus Tullius fecit. Quod fiet utiliter etiam in anticategoria; ut refutatis prius quae obiecta sunt, ueluti inicium sit narrandi aliud. Similis narratio est earum quoque causarum, in quibus crimen quidem [a], de quo cognitio est, facile diluitur, sed multis ante actae uitae oneratur: quae prius amouenda sunt, ut iudex propitius defensionem ipsius negocii, cuius propria quaestio est, audiat. Ut pro Caelio M. Tullius fecit. Interim prodest ita narrare, quasi damnemus ipsi susceptos. *Uis te dicam uino non* [b] *esse pulsum? errore lapsum? uera sunt ista fortasse; cum tamen ingenuum stuprasti, solue decem milia*. Non semper eo ordine, quo quid actum est, narrare expedit, sed aliquando nobis excidisse aliquid simulabimus, ut id utiliore loco dicamus. Interim reddituros nos reliquum ordinem testamur, quasi sic futura sit causa lucidior. Interim re exposita subiungimus causas quae antecesserunt. Quaedam tamen turpiter conuertuntur: ut si peperisse narres, deinde concepisse: apertum testamentum exponas, deinde factum [c]. Excessus in narratione perquam raro permittitur, et is tamen breuis et talis, ut ui quadam affectus uideamur a recto itinere depulsi, qualis est Ciceronis circa nuptias Sasiae sermo [1]; quandoquidem aduersus iudicem, ut in prohoemio dictum est, habet quidem exempla sed minime probabiliter fit

a Cod. *quid*. b Malim omittere *non*. c *Factum* a me suppletur.

1 Pro Cluent. VI.

apostrophe. Allocutio quoque aeque perquam raro admittenda est, nisi ubi opus tibi, et ubi ad celeritatem et ad fidem plurimum confert. Ut apud M. Tullium [1], *ut adeas, tantum dabis*. Plurimum refert quae sit natura eius rei, quam exponimus: ut in priuatis quaestionibus pressus et uelut applicitus rei sit cultus in uerbis utpote quam propriis et accomodatis et summa diligentia deliniatis, compositio dissimulata quidem, sed tamen quam lenis et placida decurrat. Figurae uerborum non illae poeticae et contra rationem loquendi auctoritate ueterum receptae; debet enim esse purissimus sermo. Nec uero in eundem casum simili conpositione pares elocutionum tractus incidant. Ubi autem maior res erit, et atrocia inuidiose et tristia miserabiliter dicere licebit, non ut consumatur affectus, sed tamen uelut primis lineis designetur, ut qualis futura sit imago rei, statim appareat. Iamque uel iram uel misericordiam uel quodlibet aliud in iudice opus fuerit, ceteris partibus praeparemus. Sententiis quoque fatigatam iudicis intentionem refici oportet, et maxime breui iniectione, qualis est illa: *fecerunt serui Milonis quod suos quisque seruos in re tali facere uoluisset* [2]. Nonnumquam et liberior, ut est: *nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium* [3]. Finem narrandi quidam dicunt perducendum esse eo unde quaestio oritur: ut, *his rebus ita gestis Publius Dolabella praetor interdixit* [4]. Et cetera deinde: *ex hac quaestione* [a] *uobis iudicandum est*. Quod ait Quintilianus [5], a petitore semper fieri posse, a defensore non semper.

XVII. DE EGRESSIONE [6].

Hoc spaciandi genus non modo narrationi, sed etiam quaestionibus uel uniuersis uel interim singulis oportune subiungi potest: sed non semper, uerum cum res postulat aut permittit. Si illustratur eo oratio, si coheret et sequitur, non si per uim irrumpit, ut ea quae natura iuncta sunt disrumpat uel distrahat. Nihil enim tam consequens quam narrationi probatio: nisi excursu illo uel finis narrationis, uel quasi inicium probationis adiuuetur. Erit ergo illi [b] nonnumquam locus, ut si expositio circa finem atrox fuerit, prosequamur eam, ueluti irrumpente protinus inuectione. Quod tamen ita fieri oportebit, si res dubitationem non habebit; quia criminum inuidia pro reo est prius quam probatur. Licet autem et si merita aliqua in aduersarium exposueris, inuehi in ingratum, et similia; sed omnia breuiter: iudex enim crimine audito festinat ad probationem. Praeterea cauendum est, ne ipsa expositio euanescat, auersis in aliud animis iudicum. Sed sicut non semper est necessaria post narrationem progressio, ita frequenter utilis ante quaestio-

a Edd. *hac de sponsione*. b An in cod. *illic*?

1 In Verr. V. 45.
2 Cap. X.
3 Pro Cluent. V.
4 Cic. pro Caecina VIII.
5 IIII. 2. fin.
6 Quintil. IIII. 3.

nem praeparatio, ut sit hic locus uelut sequentis exordium ad conciliandum probationibus iudicem, uel mitigandum, uel concitandum: quod uehementius et liberius hic fieri potest quam in prohoemio: quia iudici nota iam causa est. Quo loco iudicis quoque noscenda natura est, iuri magis an aequo sit apposita; primumque consideremus quid faciendum sit. Haec eadem res et post quaestionem perorationis uice fungitur, et appellatur parecbasis, in qua plures sunt occasiones, quae per totam causam uarios excursus aperiant, ut laus hominum locorumque, ut descriptio regionum, expositio quarumdam rerum licet etiam fabulosarum. Quo ex genere est contra Uerrem laus Siciliae, Proserpinae raptus: et pro Gaio Cornelio popularis illa uirtutum Gnei Pompeii commemoratio. Sales [1] etiam in dicendo nimium quantum ualent, uel quod ipsa hilaritas beniuolentiam conciliat, per quem [a] excitata est, uel quod frangit aduersarium, odiosasque res saepe, quas argumentis diluere difficile est, ioco risuque dissoluit. Ridiculorum autem cum duo genera sint, unum facetiarum, alterum dicacitatis, utetur utroque orator: sed altero, id est facetiarum, quod idem etiam cauillatio dicitur, cum narratur aliquid uenuste ad risum commouendum, ut Marcus Tullius de Caepasiis [b] fratribus. Hoc quam sit facetum, quam elegans, quam oratorium, perspicitur. Siue habeas quod narres, ut id tamen sit mendacii stillicidiis aspergendum, siue totum fingas, maxima est uirtus, ut ita facta demonstres eius, de quo narres, ut sermo, ut uultus, ut omnia apta et competentia uideantur, ut qui audiunt cerni illa fierique existiment: nec tamen mimici uti imitatio sit, quia imitationem orator surripiat oportet, ut is qui audiet, cogitet plus quam uideat. Praestet idem orator ingenuum pudorem, uerborum turpitudine et rerum obscenitate uitata. Alterum uero, id est dicacitatis, quod est breue aliquod et circumcisum dictum urbanius ad risum commouendum. Id magnae debet esse cautionis, ut nec nimis frequens sit, nec scurribile [c] uideatur, nec subobscenum, nec mimicum, nec petulans, nec inprobum, nec in calamitatem, nec inhumanum, nec in facinus: nec odii locum risus occupet: et quod maxime fugiendum est, quia est ineptissimum, ne aut suae personae aut iudicis aut ceterorum, aut tempori aut loco, aut rei minus accomodatus iocus, et parum [d] oportunus existimetur. Ualde etiam frigidum erit ridiculum, si quaesitum et non repente enatum intelligatur. Parcendum amicis qui sint e dignitatibus audientibus kari; uitandae insanabiles contumeliae: tantummodo aduersarii figendi: nec tamen semper, nec omnes, nec omni modo. Per haec igitur parecbasis, id est egressio, esse intelligitur alicuius rei ad utilitatem causae pertinentis extra ordinem excurrens tractatio. Quicquid igitur dicitur, quod sit praeter illas, quas fecimus partes orationis, id est prohoemium, narrationem,

a Ita uidetur cod. b Corruptum hoc est in cod. uocabulum. Vide autem Cic. pro Cluent. XXI. c Ita cod. d Ita cod., quum alibi sit *paruum*.

1 Quintil. VI. 3.

quaestiones et epilogum, ea profecto egressio est; id est indignatio, laus, interpellatio, interuentus alicuius, tumultus repentinus, amplificatio, minutio, affectus: de luxuria, de auaricia, de religione, de officiis; et innumerabilia sunt quae maxime iocundam et ornatam faciunt orationem. Potest autem longius exire qui praeparat aliquid ante quaestionem, et qui finitae probationi uelut commendationem adiicit: at qui ex medio erumpit, cito redire debet eo unde diuertit. Ciceroni placuit in secundo artis rhetoricae, hanc partem non ponere in numero; quod de causa egredi nonnisi per locum communem putet oportere [1].

XVIII. DE EPILOGO.

Epilogus habet partes tres enumerationem, indignationem, conquestionem [2]. Enumeratio est per quam res disperse et diffuse dictae unum in locum coguntur et reminiscendi causa unum sub aspectum subiiciuntur. Hoc si semper eodem modo tractabitur perspicue ab omnibus, artificio quodam tractari intelligetur: sin uarie, et hanc suspcionem et satietatem uitare poterit: et ideo tum oportebit sigillatim unamquamque rem attingere, et ita omnes transire breuiter argumentationes: tum dicere quas partes exposueris in partitione, de quibus pollicitus sis te dicturum, et reducere in memoriam quibus rationibus unaquamque partem confirmaris: tum ab his quaerere, quid sit quod sibi uelle debeant demonstrari. *Hoc modo docuimus illud, hoc planum fecimus.* Ita simul et in memoriam redibit auditor et praeterea nihil putabit esse quod debeat desiderare. Ita fit ut enumeratio sit aut uariarum argumentationum separatim decursus, aut tuarum et contrariarum conparatio. Et cum tuam dixeris argumentationem, tunc contra eam quae afferretur quemadmodum dilueris ostensio. Sic per breuem conparationem auditoris memoria et de confirmatione et de reprachensione redintegrabitur. Hoc aliis quoque actionis modis uariari oportebit. Nam tum ex tua persona enumerare potes, ut quid et quo quid loco dixeris admoneas: tum uero personam inducere et ei enumerationem totam tribuere. *Quid si legis scriptor existat et quaerat a uobis, quid dubitetis quid possitis dicere, cum uobis hoc et hoc sit demonstratum?* Atque hic item ut in nostra persona licebit alias sigillatim transire omnes argumentationes, alias ad partitionis singula genera deferre, alias ab auditore quid tenderet quaerere, alias hoc facere per conparationem suarum et contrariarum argumentationum. Nec tantum persona poterit induci, sed et cui oratio attribuetur. Ut, *quid si leges loqui possint, nonne hoc apud uos querantur? quidnam amplius desideratis, iudices, cum uobis hoc et hoc planum sit factum?* In hoc quoque genere omnibus isdem modis uti licebit. Commune autem praeceptum hoc datur ad enumerationem, ut ex una-

1 Videtur auctor intelligere locum ad Heren. II. 30. Quod si ita se res habet, ipse in eorum sententia est, qui libros illos non Cornificio sed Ciceroni tribuerunt.

2 Ad Heren. II. 30, Quintil. VI. 1.

quaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non potest, id elitatur quod erit grauissimum, et unumquodque quam breuissime transeagur, ut memoria non oratio renouata uideatur. Indignatio est oratio cum in aliquem hominem magnum odium aut ira aut grauis offensio concitatur. Conquestio est oratio auditoris misericordiam commouentis [a]. In hac primum animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet, quo plerumque facilius conquestionem commouere possit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos fortunae uis in omnes et hominum infirmitas ostenditur: qua oratione habita grauiter et sententiose, maxime demittitur animus hominum et ad misericordiam conparatur, cum in alieno malo suam infirmitatem considerabit. Et indignatio autem et conquestio et omnia praeterea adiuuantur maxime locis omnibus argumentorum, quae accepisti, a persona, a loco, a causa, et a tempore, et ceteris his. Et probatio instruitur et amplificatio et diminutio operabitur, et animus mouetur et delectatio mulcet. Ita et communes argumentorum loci, tametsi probationum sunt proprii, in omni tamen orationis specie, in omnibus membris, in omni genere actionum, praecipue sunt tenendi, recipiendi, intuendi, amplificandi, obseruandi. Satis quidem de inuentione tradidimus, quae excogitari possint ad explicandam orationem; principia, narratio, excessus, quaestiones, epilogus. Sed cum ad haec [b] omnia praeceptis fueris instructus, frustra fuerit, nisi et legendis et quantum fieri potest tenendis orationibus lectissimorum auctorum atque summorum singularum specierum exempla consideres, intuearisque cum cura, quae illic sit in prohoemio conciliandi iudicis ratio, quae narrandi lux, breuitas, fides, quod consilium, quam occulta calliditas, quanta in diuidendo, quam subtilis et crebra argumentatio, qua iocunditate permulceat, quanta in maledictis asperitas, in iocis urbanitas, quae amplificandi, quae minuendi uirtus: postremo quae in omnibus partibus inuentio extiterit, intendas; imitationem cum arte coniungas: quia efficacior est per exempla doctrina, meliusque poteris perficere quod disces, si itidem quemadmodum fecerint, qui didicere, perspicias.

XVIIII. DE DISPOSITIONE.

Dispositio est rerum inuentarum in ordinem distributio. Haec autem et uerbis et rebus maxime prodest. Omnia enim non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensanda et componenda sunt, prout praesens ratio utilitatis aut decoris aut necessitatis exegerit. Sed quod ad uerborum dispositionem pertinet satis plene docetur, cum de elocutione tractatur. De rerum uero dispositione per singula membra orationis, id cum prohoemio et [c] narratione et ceteris traditum accepisti.

a *Commouentis* a me additur. b Cod. pro *ad haec* habet *et hec*. c Cod. uidetur habere *de* pro *et*

XX. DE ELOCUTIONE.

Elocutio est idoneorum uerborum ad inuentionem accommodatio [1]. Haec et latina debet esse et apta [2]. Apta erit utendo significantibus et propriis uerbis et usitatis, sine ambiguo, non nimis procul ductis translationibus, nec interposito hyperbato; latina autem, si grammatica sit ratio, auctoritas subsit. Sed de his nequaquam nobis existimo laborandum; neque enim docemus illum qui loqui nesciat; nec sperandum est qui latine non possit, hunc ornate esse dicturum; neque qui non dicat quod intelligatur, hunc posse quod admirandum sit dicere. Augenda est potius eloquentia legendis auctoribus, quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui nisi ornate. Neque tamen utendum erit uerbis priscis quibus iam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce et tamen usitatis. Ornatur eloquentia aut in uerbis singulis aut in coniunctione uerborum. In uerbis singulis duo sunt quae orationem illustrant; aut proprium si sit uerbum aut translatum. In uerbis propriis est illa laus, ut abiecta atque absoleta [a] fugiantur, electis atque illustribus utamur, in quibus plenum quicdam [b] et sonans inesse uideatur. In quo consuetudo etiam bene loquendi plurimum ualet. In translatis late patet ornatus, quem necessitas genuit inopia coacta et angustiis, post autem delectatio iocunditasque celebrauit. Nam ut uestis frigoris repellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem, sic uerbi translatio instituta est inopiae causa, deinde frequentata delectationis. Nam *gemmare uites*, *luxuriare messem*, *laetas segetes*, etiam rustici dicunt: quod enim declarari uix uerbo proprio potest, id translato illustratur. Ea tamen transferri oportet quae clariorem faciunt rem; ut est, *inhorrescit mare*, et *feruet aestu pelagus*. Nonnumquam etiam breuitas translatione conficitur, ut *telum manu fugit*. Inprudentia enim teli amissi propriis uerbis exprimi breuius non posset. Et quoniam summa haec laus est uerbi translati ut sensum feriat, fugienda est omnis turpitudo earum rerum ad quas eorum animos, qui audient, trahit similitudo, ut dictum est, *morte Africani castratam rem p.* Ut *stercus curiae*. Est in utroque deformis cogitatio. Similitudinis translatio non sit maior quam res postulet, ne dicas *tempestas comesationis*; aut contra minor, *comesatio tempestatis*. Nolo esse uerbum angustius id quod translatum sit quam fuisset proprium. Si uereare ne paulo durior translatio sit, mollienda est proposito uerbo. Ut dicturus, *mortuo Catone*, *pupillum senatum*: uerecundior enim fiet translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irrupisse uideatur. Est translatio non in uno uerbo sed in pluribus continuatis, ut aliud dicas et aliud intelligendum sit. Ut est, *neque me*

a Ita cod. b Ita cod.

1 Ad Heren. I. 2, de inuent. I. 7. 2 Quintil. VIII. I.

patiar ad unum scopulum iterum crasse offendere. Et *iam perii insistente iugo*: quod magnum ornamentum est orationis. Sed in eo fugienda est obscuritas: etenim ex hoc fere genere fiunt ea quae dicuntur aenigmata. Est etiam illa translatio pertinens ad ornatum: ut, *Martem belli esse communem*; et *Cererem pro frugibus*; et *curiam* pro *senatu*; et *campum* pro *comitiis* [a]; *togam* pro *pace*. Aut cum uirtutes et uicia pro ipsis in quibus ista sint appellemus: ut, *quam in domum luxuries irrupit*, *et auaricia penetrauit*. Est et illud cum intelligi uolumus aut ex parte totum, cum pro *aedificiis parietes* aut *tecta* dicimus: aut ex toto partem, ut cum *unam turmam*, *equitatum*: aut ex uno plures, ut *Romanus inuasit*: aut cum ex pluribus unum, ut *Romani sumus*, cum unus dicit. Utimur etiam saepe uerbo non tam eleganter, sed licentius tamen translato, ut cum *grandem orationem* pro *longa*: *minutum animum* pro *paruo* dicimus. Sequitur continuatio uerborum, quae duas res maxime, collocationem primum, deinde modum quendam formamque desiderat, ut structura uelut conpacta decurrat. Ne sit hiulca uocalium et maxime longarum crebra concursione; quamquam Tullius dixit [1]: *habet hiatus ille et concursus uocalium molle quiddam* [b] *et quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quam de uerbis laborantis*. Ne aspera consonantium conflictu earum quae sunt asperiores, ut si .s. ultima cum .x. confligat. Ne homoeoptota, ne homoeteleuta, ne monosyllaba multa iungantur, ne breuia multa congerantur, ne longa multa, ne ultima syllaba prioris uerbi eadem sit quae prima posterioris, ne prima cum ultima efficiat obscenitatem, id est cacenfaton. Quidam etiam, hique praecipui oratores, etiam pedes obseruandos censuerunt, quos et poetae sequuntur, dum ne in uersum aut in partem uersus incidamus. Id enim maximum uicium est. Cum per totam orationem, tum praecipue in conclusionibus, seruandus est ordo uerborum: moderate in exordio, in media parte leniter, ita ut magis ad numerum tendat quam ipsa numerosa sit. Longis syllabis incipiendum potius quam breuibus est, ut sit in exordio dactylus aut spondaeus aut paeon primus. Nonnumquam tamen quotiens attenuandus est, et ab iambo optime incipitur. Concludere autem aut creticus, ut una syllaba ei supersit, potest; uel duae, quae spondaeum uel trochaeum uel iambum pedem faciant; aut tres, quae eundem creticum geminent. Cludit et paeon primus, si spondaeus ei supersit; et paeon posterior, si una syllaba ei supersit. Nec uero ad hanc diligentiam redigimus oratorem, ut in structura semper pedes singulos conspiciat et collocet. Erit enim maximi res impedimenti et tarditatis; sed exercitatione et discendo auctores optimos ad hanc eandem cursu perueniet, ad quam ratio deducit. Cauendum ne omnes conclusiones eandem formam habeant, quia fastidium creabunt et studium ostentabunt.

a Cod. *comitibus*. *b* Deest in cod. *quiddam*.

1 In oratore cap. XXIII, et apud Quintil. VIIII. 4.

Maxime tamen fugiendum est id uicium , quo in oratione nihil turpius est , cum cessanti numero uerba inania non rei augendae [a] sed structurae tantummodo inplendae causa subueniant . Nec numerosa sint omnia nec dissoluta ; nec creticus pes saepius frequentetur . Inter nomina aut pronomina in eosdem casus cadentia , nomen diuersi casus interueniat . Est ille ornatus eloquii , si uel dictionum uel uerborum figuris conpositiones conuenustemus . Dictionum figurae sunt cum multiformis se uersat orator , ut aut haereat in eadem commoreturque sententia , quod Graeci dicunt κατὰ τοῦ αὐτοῦ ; ut interrogando urgeat , quae est ἐπερώτησις [b] ; ut rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat ; ut contra ac dicat accipi uelit ; ut addubitet ; ut aliquid relinquat , quae est παράλειψις ; ut cum his qui audiunt , nonnumquam etiam cum aduersario , quasi deliberet ; ut hominum sermones moresque describat ; ut muta quaedam loquentia inducat ; ut ab eo quod agitur auertat animos ; ut se in hilaritatem risumque conuertat ; ut interpellatorem coerceat ; ut aliquid reticere se dicat ; ut denunciet quid caueant ; ut irascatur ; ut obiurget ; ut deprecetur ; ut medeatur ; ut optet ; ut execretur ; aliaque similia permulta , quae in orationibus quoniam semper exposita cernuntur , non sunt omnia sequenda .

XXI. DE FIGURATIS .

Sed et illa figura dianoias [c] uideri potest , in qua per quandam suspitionem , quod non dicimus accipi uolumus : non utique contrarium ut ironia , sed aliud latens et auditori quasi inueniendum [1] ; unde controuersiae quoque figuratae dicuntur . Eius triplex est usus : unus , si dicere palam parum tutum est ; alter si non decet ; tercius qui gratiae tantummodo causa adhibetur , si elegantius ita dicitur quam aperte . Prima frequens in scholis est . Nam et pactiones [d] deponentium tyrannidem , et alia in quibus non licet quid palam dicere finguntur . Nam uera negocia numquam adhuc habuerunt talem silentii necessitatem , sed aliam huic similem quidem multo ad agendum difficiliorem , cum personae potentes obstant , sine quarum repraehensione teneri causa non possit : ideoque hoc parcius et circumspectius faciendum est , quia nihil interest quomodo offendas ; et aperta figura prodit hoc ipsum quo figura est . Ac propterea a quibusdam tota res repudiatur, et superuacua uidetur , siue intelligatur siue non intelligatur . Sed modum licet adhibere , in primis ne sint manifestae . Non erunt autem , si non ex uerbis dubiis et quasi duplicibus : quale est in suspecta nuru , *duxi uxorem quae patri placuit* . Aut quod est multo ineptius conpositionibus ambiguis : ut in illa controuersia , in qua infamis amore filiae uirginis pater , raptam in-

a Cod. *agendae* . *b* Corruptum est hoc et paulo post sequens graecum uocabulum . *c* Gloss. *sententiae* . *d* Num pro *factiones* ?

1 Quintil. VIIII. 2.

terrogat eam a quo uiciata sit : *quis te*, inquit, *rapuit*. *Tu pater nescis?* res ipsae perducant iudicem ad suspitionem. In quo multum etiam affectus iuuant, et interrupta silentio dictio, et cunctationes : sic enim fiet ut iudex quaerat illic nescio quid fortasse quod non crederet, si audiret; et ei, quod a se inuentum existimat, credat. Sed ne si optimae quidem sint figurae, esse debent frequentes : nam densitate ipsa figurae aperiuntur. In summa sic maxime iudex credit figuris, si nos putat nolle dicere quaedam. Etiam quae non possis probare figura aspergenda sunt. Haeret enim nonnumquam telum illud occultum, et hoc ipse quod non apparet, eximi non potest. At si idem dicas palam, et defendendum [a] et probandum est. Secundum genus figurae est, cum minime decet dicere, hic existimet iudex tegere nos quod sciamus, et uerba ui quadam ueritatis erumpentia credat coercere. Nam quo minus aut ipsi in quos dicimus, aut iudices, aut assistentes oderint hanc male dicendi lasciuiam, si uelle nos credant? Aut quid interest quomodo dicatur, si et res et animus intelligitur, nisi ut palam sit, facere nos quod ipsi sciamus non esse faciendum? Tercium genus est, quod etsi palam liceat dicere, elegantius tamen figuratur. Ut Marcus Tullius : *semper hic erro*. Et *cum propter nocturnos metus cum sorore cubitaret* [1]. Et alia. Uiciosimum est quod quidam etiam ubi opus non est adhibent figuras.

XXII. DE OBLIQUITATE.

Superuacuum Quintilianus existimat in libro nono institutionum etiam illud genus dicendi, quod figuris finitimum est. Aliud dicere et aliud uelle, obliquitas appellatur : ut cum reddunt causas uoluntariae mortis; *non enim*, inquiunt, *mori uult*, *sed inuidiam facit* : cum sit superuacuum ut quis, si uiuere mauult, mortem potius male petat quam omnino non petat. Usi tamen et hoc genere multi obliquitatis, ut Marcus Tullius cuius solum exemplum satis est, suppeditantibus multis, cum de poena coniuratorum fingit se mitiorem, et tamen id agit oblique ut interficiantur coniurati [2]. In quo quidem genere multo cautius et subtilius et argutius quam in figuratis agendum est, quia illic aliud dici uis et aliud intelligi; in obliquitate uero et intelligi debes aliud uelle, et tamen longe aliud dicendi arte perficere. Quaestionis insidiae nisi astu occulto et latenter operantur, omnem effectum intellectae etiam cum indignatione audientis amittent. Quaesitum [3] quomodo contra figuras responderi oporteat : et quidam semper ex diuerso aperiendas putauerunt, sicut latentia uicia rescinduntur : idque sane frequentissime faciendum est; aliter enim dilui obiecta non possunt, utique cum quaestio in eo consistit, quod figurae petunt; at ubi maledicta sunt tantum, et non animaduertere interim et dissimulare, bonae conscientiae est. Si fuerint cre-

a Ambigua haec terminatio in cod.

1 Dicteria sunt haec in Clodium. 2 In Catilinariis. 3 Quintil. VIII. 2.

briores figurae, quam ut dissimulari possint, postulandum est ut nescio quid aliud [a], quod aduersarii obliquis sententiis figurare uelint, si fiducia sit, obiiciant palam; aut certe non exigant, ut quod ipsi non audent dicere, iudices non modo intelligant, sed etiam credant. Uerborum uero figurae magis apud grammaticos et ex lectionibus percipiuntur, ut si dicamus *hac re inuidere* [b]; non ut ueteres et Cicero praecipue, *hanc rem inuidere*: *et incumbere illi*, non *illum*: et *plenum uino*, non *uini*: et *huic adhulari* [c], non *illum adhulari*: et mille alia, quae auctoritate defenduntur. Quo quidem parce, et cum res poscit, utendum est, uelut aspero quodam condimento. At qui nimium affectauerit, ipsam illam gratiam ueritatis amittit. In elocutione magnum uicium est cacozelon, id est mala affectatio et per omne dicendi genus peccans. Nam et tumida et pusilla et praedulcia et habundantia et acerba et exultantia sub idem uicii nomen cadunt. Denique cacozelon uocatur quicquid est ultra uirtutem, quotiens ingenium iudicio caret et specie boni fallitur; omnium in eloquentia uiciorum pessimum: nam cetera uitia cum fiunt, parum uitantur [1]. Est autem totum hoc in elocutione uicium: rerum enim uicia nomen suum obtinent, ut aut stultum aut commune, aut contrarium, aut superuacuum uocetur; cacozelon uero est quod dicitur aliter, quam se natura habet, et quam oportet, et quam satis est. Et ne omnia percurram, hoc satis sit exemplum [2]. *Lecta capite cuiusdam ossa medicus tenenda matri dedi*: *ille adiecit*: *infelicissima femina nondum extulisti filium et iam ossa legisti*. Et multa alia similia maxime uitanda, quia inpensissimo conatu ingenii irrisionem petunt. Ornat elocutionem praecipue descriptio, quia tota rerum imago uerbis describitur, ut uelut ante oculos posita uideantur quodammodo ab audientibus. Ut apud Tullium [3]: *stetit soleatus praetor populi romani cum palliolo purpureo*, *tunica talari*, *muliercula nisus in littore*. Et apud eundem [4]; *uidere uidebar alios intrantes*, *alios autem exeuntes*, *quosdam ex uino uacillantes*, *quosdam hesterna* [d] *ex potatione oscitantes humus erat immunda lutulenta uino coronis languidulis et spinis cooperta piscium*. Sic et urbium captarum crescit miseratio: sine dubio enim qui dicit expugnatam esse ciuitatem conplectitur omnia quaecumque talis fortuna recipit, sed in affectus minus penetrat breuis hic uelut nuncius. At si aperias haec quae uerbo uno clausa erant, apparebunt, id est effusae per domos ac templa flammae, et ruentium tectorum fragor, et ex diuersis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alii extremo conplexu suorum cohaerentes, et infantium feminarumque ploratus, et cetera. Licet enim haec omnia, ut dixi, conplectatur qui dicit euersam urbem, minus est tamen totum

a Quintil. *ut illud nescio quid*. b Quintil. VIII. 3. *huic rei*. c Ita cod. d Cod. *esterna*.

1 Alludit ad formulam iuridicam *parum cauisse uidetur*, de qua Fronto in epistulis alsiensibus.

2 Apud Quintil. VIII. 5.

3 In Verr. V. 33.

4 In fragmento orationis pro Gallio, quod citat Aquila de figur. sent. p. 16.

dicere quam omnia. Consequemur item ut manifesta sit descriptio, si fuerit ueri similis. Et licebit etiam falso adfingere quicquid fieri solet. Continget enim claritas etiam ex accidentibus. Ut [1], *mihi frigidus horror membra quatit gelidusque coit formidine sanguis. Et trepidae matres pressere ad pectora natos*. Facillime enim recipiunt animi quod agnoscunt. Ornant elocutionem etiam similitudines; quare aliae sunt illae quae probationis gratia inter argumenta ponuntur, de quibus inter argumenta didicisti; aliae hae ad exprimendam rerum imaginem compositae, quod est huius loci proprium, id est ornatus. *Inde lupi ceu raptores, atra in nebula*. Quo in genere id est praecipue custodiendum, ne id quod similitudinis gratia adsciuimus, aut obscurum sit aut ignotum: debet enim quod illustrandae alterius rei gratia assumitur ipsum esse clarius eo quod illuminat. Quare poetis quidem permittamus: *qualis, ut hibernam Lyciam Xanctique fluenta deserit, et Delum maternam inuisit Apollo*; oratorem non decet nisi satis notis et illustribus ea quae sint obscura [a]. De sententiis siue sensibus consuetudo iam tenuit, ut mente concepta sensus uocemus; lumina autem praecipue in clausulis posita, sententias: quae minus celebratae apud antiquos, nostris temporibus modo carent, ut ait Quintilianus [2]. Sententiae interim ad rem referuntur: ut, *nihil est tam populare quam bonitas*. Interim ad personas, ut est Afri Domiti: *princeps qui uult omnia scire, ei necesse est ignoscere* [b]. Hanc quidam partem enthymematis, quidam initium aut clausulam epichirematis esse dixerunt: et est aliquando, non tamen semper. Illud uerius, esse eam aliquando simplicem, ut ea quae supra ediximus; aliquando ratione subiecta. Ut est: *nam in omni certamine qui opulentior est, etiamsi accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere uidetur*. Est nonnumquam et duplex: *obsequium amicos, ueritas odium parit*. In his custodiendum est, id quod ubique, ne crebrae sint, ne palam falsae et ne passim et a quocumque dicantur: magis enim decet eos, in quibus est auctoritas. Ueri pondus etiam persona confirmat. Quis ferat adolescentem aut etiam ignobilem, si iudicet in dicendo et quodammodo praecipiat? Ephiphonema est rei narratae uel probatae summa exclamatio [c]: ut, *tantae molis erat romanam condere gentem*. Et, *facere enim periculose* [d] *probus adolescens quam perpeti turpiter maluit*. Clausula est quae est concludentibus sensus: ut est, *quare prius de uestro facto fateamini necesse est quam Ligarii culpam ullam repraehendatis*. Uerum nunc uicium est nouitatis. quod omnes in fine sermonis fieri sensus uelint [3]: quae res facit ut etiam inepta dicantur. Neque enim possunt tam multae bonae sententiae esse quam necesse est multae sint clausulae. Elocutionis genera sunt tria, uehemens, quod Graeci βαρὺ; tenue quod Graeci ἰσχνὸν; medium quod Graeci μέσον

a Ita cod. sine alio uerbo. b Apud Quintil. VIII. 5. *multa ignoscere*. c Quintil. loco cit. *acclamatio*. d *Periculose* deest in cod.

1 Ex Virg. hoc et sequentia exempla.
2 Loco citato.
3 Contra Symmachus et Cassiodorius epistulas plerasque incipiunt a sententiis.

dicunt. In genere tenui communis consuetudo sermonis imitanda est, ab indisertis plus quam [a] opinione differens. Itaque qui audiunt, quamuis sint infantes, tamen illo modo confidunt se posse dicere: sed nihil est experienti minus possibile. Hoc genus non sit suae nimis expolitum structurae: ne tamen nimis solutum. Uerum callidus non ingratam quandam negligentiam simulat magis de re hominis quam de uerbis laborantis. Sunt acutae crebraeque sententiae. Non sequantur illas similiter conclusa, et paria paribus reddita, et cetera quae sunt quaesitae uenustatis. Utatur autem uerbis quam usitatis, translationibus quam mollissimis. Nec faciet rem publicam loquentem; nec ab inferis mortuos excitabit; nec aceruatim multa frequentans una conplexione deninciet. Erit enim, ut uoce, sic etiam oratione suppressior. Aspergantur, si oportune possunt, etiam sales. Hac forma est prō Ligario paene tota oratio. Medio autem generi dicendi omnia ornamenta conueniunt, plurimum suauitatis, multum [b] sententiarum, laetae eruditaeque disputationes, et communes loci sine contentione dicentur. Hoc solum totum genus est sofistarum [c] fonte defluxum in forum; sed spretum a subtilibus, repulsum a grauibus, in ea demum, de [d] qua loquor, mediocritate consedit: ut est oratio de imperio Gnei Pompeii. Tercia est uehemens forma dicendi, quae cursu magno fertur et sonitu, tragica quadam et excelsa sublimitate dicendi; et hoc a superioribus uel maxime differens, quod illa optime uersantur in lubrico, et si semel constiterint, numquam cadunt, nec extimescunt ancipites dicendi incertosque casus: at uero hic grauis, acer, ardens et in periculum praeceps est, et si hoc solum possit quod profitetur, uix satis sanus uideri solet. Debet ergo tranquille, ut ille medius; debet et subtiliter, ut ille primus; debet et uehementer, quod ei est proprium, id est granditer, dicere: praesertim cum causae partim tutae [e] sint eo modo, partim aliter tractandae; ut pro Cornelio maiestatis, et in Uerrem, et pro Cluentio. Ergo quot officia oratoris, tot genera dicendi, ut sit subtile in probando, modicum in delectando, uehemens in flectendo: in quo uno uis omnis oratoris est. Magni igitur iudicii, summae etiam facultatis esse debet moderator ille et quasi temperator huius tripertitae uarietatis. Nam et iudicabit quodcumque opus sit, et poterit quocumque modo causa postulabit dicere. Sed est eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum sapientia. Ut enim in uita sic in oratione nihil est difficilius quam quid deceat uidere: πρέπον appellant hoc Graeci, nos dicimus sane decorum: de quo clare et multa praecipiuntur, et res est cogitatione [f] dignissima. Huius ignoratione non modo in uita, sed saepissime et poematis et in oratione peccatur. Est autem quid deceat oratori uidendum, non in sententiis solum, sed etiam in uerbis. Non omnis fortuna non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis aetas: nec uero locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem aut uerborum genere tractandus est aut sententia-

a Ita cod. b Cod. *multa*. c Ita cod. sine adspir. d Deest *de*. e Ita cod. f Ita cod.

rum: semperque in omni parte orationis, ut uitae, quid deceat est considerandum: quod et in re de qua agitur positum est, et in personis eorum qui loquuntur, et in eorum qui audiunt. Est etiam eloquendi triplex. Nam aut comma, aut colon, aut periodos dicitur. Comma concisa in singulas partes breuis oratio, ut est illud apud M. Tullium: *abiit*, *excessit*, *euasit*, *erupit*. Colon uero per membra definitae breuiter dictiones, ut est apud eundem: *quo usque tandem abutere Catilina patientia nostra? quam diu te iam furor iste tuus eludet? quem ad finem se se effrenata iactabit audacia?* Periodos uero longo ambitu et pleno circuitu orationis circum acta conuersio, ut: *etsi uereor iudices ne turpe sit pro fortissimo uiro dicere*: et cetera omnia totius principii, quae magno orbe circum acta uoluuntur: quae differentia, prout res, et orationis aut magnae aut paruae aut cum impetu exsurgentis, aut contra tranquillioris, ratio poposcerit, erit usurpanda dicendi. Ethos et pathos prae oculis habendum. Ethos autem est habitus quidam mentis et morum perpetuus tenor, ut iracundus, auarus, pius, rusticus, uel lenis uel timidus uel libidinosus uel seuerus, uel senex uel adolescens; et cetera: quorum proprietatem sermo debet imitari: ut Marcus Tullius fecit pro Caelio in persona Appii caeci, item Clodiae. Pathos uero est repentina et temporalis animi incommoditas, ut ira, dolor, gaudium, maeror, metus, et cetera; quae omnia ita proferenda sunt, ut apte exprimantur: ut tristia miserabilibus, iracunda atrocibus uerbis efferamus. Uix adeo scenicis plures habitus in agendo concipiendi sunt, quam oratoribus eloquii formae ac uarietates. Sed sicut ornate dicere melius ex libris, ita etiam apte loqui ex libris multo melius addiscimus, si hoc in auctoribus animaduertamus, et animaduersa imitationis exercitatione celebremus. Marcus enim Tullius nihil aliud esse ineptum, quam minus apte dicere, disputauit [1]. Minus autem apte dicat necesse est, qui et rerum et personarum et temporum ceterorumque omnium, quae in oratione uersantur, rationem habere neglexerit.

XXIII. DE MEMORIA.

Memoria est firma animi rerum ac uerborum ad inuentionem perceptio. De hac Marcus Tullius [2]: *quid dicam inquit, de thesauro omnium rerum memoria, quae nisi custos cogitatis inuentisque rebus et uerbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiamsi praeclara fuerint, in oratore peritura*. Ad hanc obtinendam tradunt plerique locorum et simulacrorum quasdam obseruationes [3], quae mihi non uidentur habere effectum. Exercenda est memoria ediscendis ad uerbum quam plurimis et tuis scriptis et alienis: licet Quintiliano uehementer displiceat exercitationis causa sua scripta ediscere; qui scribere quidem plurimum praecipit, ediscere autem lectos ex orationibus uel historiis alioue quo genere

1 De orat. II. 4. 2 De orat. I. 5. 3 Cf. ad Heren. III. 16, Quintil. xi. 2.

dignorum [a] locos. Ita enim et confirmabimus memoriam et adsuescemus obtimis, semperque habebimus intra [b] nos quod imitemur, et non sentientes, formam orationis illam, quam mente penitus accepimus, exprimemus. In his autem quae cogitamus et in his quae scribimus retinendis proderit multum diuisio et conpositio [c]: nam qui recte conpegerit orationem, numquam poterit errare. Certa sunt quaedam non solum in digerendis quaestionibus, sed etiam in persequendis. Et si prima et secunda deinceps cohaereant, nihil per obliuionem subtrahi poterit, ipso consequentium admonente contextu.

XXIIII. DE PRONUNCIATIONE [1].

Pronuntiatio est ex rerum et uerborum dignitate uocis et corporis moderatio. Huic non immerito Demosthenes ex omnibus oratoris uirtutibus primas dedit et secundas et tercias [2]. Haec enim in tantum excellit, ut etiam secundum sententiam maximi Tullii quamquam indocta oratio laudem tamen consequatur si optime proferatur, et quamuis optime expolita, si indecenter pronuncietur, contemptum irrisionemque mereatur. Et uocis ergo et speciei et totius corporis et ipsius linguae motus exerceantur, quia non tam artis haec erunt quam laboris. In primis [3] uicia, siqua sunt, oris emendanda sunt, ut expressa sint uerba, ut suis quaeque litterae sonis enuncientur, nec uerba in faucibus patiamur audiri, nec oris inanitate resonare, nec quod minime sermoni puro conueniat simplicem [d] uocis naturam pleniore quodam sono circumliniri, quod Graeci catapeplasmenon dicunt. Curandum etiam ne ultimae syllabae intercidant. Nolo praeterea exprimi litteras putidius, nolo obscurari neglegentius, nolo uerba exiliter exanimata exire, nolo inflata et quasi anhelata. Sonus ipse uocis ita rectus et simplex esse debet, ut nihil ostentationis aut imitationis habere uideatur, non aspere, non uaste, non hiulce; sed pressim et aequaliter et leniter: nolo rustice ac praefracte ac cum clamore erumpat, sed nec perpetuo et uniformiter uociferetur oratio. Pro locis, pro rebus, pro personis, pro causis, pro temporibus, sicut in elocutione didicisti, uarianda est. Eris enim ineptissimus secundum Marci Tullii sententiam, nisi omnium horum ratio diligenter habeatur [4]. Alia simplicitate narrandum est, alia auctoritate suadendum est; alia inflammatione consurgat ira, alius flexus miserationem decet, alius rogantem. Et hoc acceperis propter quam maximas uel panegyricas dictiones. Ceterum si apud pedaneum iudicem sit priuata cognitio, ad sermocinationis uicem deprimendam actionem etiam non admonitus intelliges. Sicut enim in sublimibus quaestionibus deiecta et iacens pronunciatio deformis est, ita in paruis elata et clamosa uideatur necesse est furiosa atque deridi-

a Ita cod. b Cod. *contra*. c Cod. *conpo*, linea superposita. d Cod. *simpliciter*.

1 Quintil. XI. 3.
2 Apud Cic. de orat. III. 56.
3 Quintil. I. 11.
4 De orat. II. 4.

cula. In pronuntiatione habenda est ratio diligenter quos imiteris, quorumque similis esse uelis. Eoque impensissimum studium curae et laboris intendas: quia etsi ad pronunciationis laudem praecepta te ducant, incredibile est quanto magis ualeat ad hanc rem uiuum exemplum. Et intuendi tibi non solum oratores in pronunciando laudati, sed etiam actores scenici: non tamen ita ut ad scenicos motus deferaris, sed in quantum satis est ex his ad pronunciationis ornamenta deriues. Nec enim etiam tenuitas femineae uocis imitanda est, aut seniliter tremendum, aut ebrietas uacillatione exprimenda est: quia in pronunciatione oratoris id maximae [a] erit artis ne ars esse uideatur: tenebisque ut quotiens exclamandum erit, lateris conatus sit ille non capitis: ut gestus ad uocem, uultus ad gestum accommodetur. Illud non sine causa est ab omnibus praeceptum, ut parcatur maxime uoci in illo a puericia in adolescentiam transitu, quia naturaliter inpeditur; non ut arbitror propter calorem, ut quidam putauerunt; nam est maior alias; sed propter humorem potius: nam aetas illa inturgescit: itaque nares etiam et pectus eo tempore tument atque omnia uelut germinant, ideoque sunt tenera et iniuriae obnoxia. Iam igitur confirmatae constitutaeque uoci optimum genus exercitationis est, quod est operis simillimum, dicere quotidie sicut agendum est. Namque hoc modo non uox tantum confirmatur et latus, sed etiam corporis decens et accommodatus orationi motus conponitur. Uocis quoque ipsius sonus neque acutus neque nimis remissus sectandus est. Namque ut in neruis [b], ita et in uoce quo remissior, hoc grauior et plenior; quo intentior, hoc tenuis et acutus magis est. Ita imus uim non habet, summus rumpi periclitatur: et iccirco mediis utendum sonis, ex quibus sit et excitandae intentioni et submittendae facultas. Obseruandum etiam ut recta sit facies; ne labra detorqueantur, ne immodicus hiatus rictum distendat, ne supinus uultus, ne deiecti in terram oculi, ne inclinata ceruix, ne elata aut depressa supercilia. Infinitum enim in his quoque rebus momentum est, quia nihil potest placere quod non decet. Et ut ait ·M· Tullius, caput artis est decere quod facias [1]. Labra lambere uel mordere deforme est, cum etiam in efficiendis uerbis modicus esse debeat eorum motus: ore enim magis, quam labris, loquendum est. Manus uero, sine quibus trunca esset actio ac debilis, uix dici potest quot motus habeant, cum paene ipsorum uerborum copiam consequantur [c]. Nam ceterae partes loquentem adiuuant, hae prope est ut dicam ipsae loquuntur: his poscimus, pollicemur, uocamus, dimittimus, minamur, supplicamus, abominamur, timemus, interrogamus, negamus; gaudium, tristiciam, dubitationem, confessionem, paenitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus. Hisdem concitamus, inhibemus, probamus, admiramur, uerecundamur. Hae in demonstrandis locis atque personis aduerbiorum atque pronominum

a Cod. *maxime*, quod fortasse ferri poterat. b Superponitur glossa *in fidibus*. c Cod. *consequatur*.

1 De or. I. 29.

obtinent uicem , ut in tanta per omnes gentes nationesque linguae diuersitate , hic mihi omnium hominum communis sermo uideatur . Auerso pollice demonstrare aliquid oratori indecorum est . Sinistra manus numquam sola gestum rectum facit , idque praecipue uitandum est uicium . Plane dextrae se frequenter accommodat [a] , siue in digitos argumenta digerimus , siue obiicimus aduersas , siue in latus utrumque distendimus , siue satis facientes aut supplicantes . Diuersi autem sunt hi gestus : summittimus manus , siue adorantes attollimus , siue aliqua demonstratione aut inuocatione praetendimus . *Uos albani tumuli atque luci* [1] . Aut gracchanum illud [2] : *quo me miser conferam ? in Capitolium ad fratris sanguinem ! an domum ?* Maiorem enim affectum in his iunctae exhibent manus . Cantare uero inutilius sit an foedius , nesciam . Quid enim minus oratori conuenit , quam modulatio ebriorum aut comesantium licentiae similis ? Qui uero mouendis affectibus contrarius magis quam cum docendum , irascendum , indignandum , commiserandum sit , non solum ab his affectibus , in quos ducendus est iudex , recedere , sed ipsam rei scurrilitatem [b] efficere quodammodo tibiis ac fidibus aut cymbalis audiendam ? Quisquam ne , non dico de homicidio , sacrilegio , parricidio , sed de calculi ratione et ceteris quaestionibus loquens ; atque ut in breue conferam , quisquam in lite [c] cantat ? Itaque hanc inflexionem uocis quae paulo modulatior existeret , reprachendere et Aeschines et Demosthenes solent . M· etiam Tullius dixit in Phrygia et Caria turpissime rhetoras epilogos coepisse cantare [3] , quo foedius nihil est . Satis sit , si obscuro quodam flexu , ubi necesse est , sit lugubris ac miserabilis : cum uirili tamen et recta pronunciatione , non modulata , ut nunc plerique faciunt , cantatione .

XXV. DE EXERCITATIONE .

Ante omnia illud inhaerere tibi uolo , haec quae supra dicta sunt , et cum natura obuenerint et arte fuerint excogitata , ad plenam tamen confirmationem nullo modo posse sine usu continuaque et iugi et instanti exercitatione perduci , sine qua affirmat ·M· Tullius Cicero nullam rem illustrem effici posse . Idem alio loco : *exercitatio quaedam suscipienda est* , inquit : *usus enim uni rei deditus , et ingenium et artem saepe uincit* [4] . Alibi quoque : *adhibeatur usus frequens , qui omnium magistrorum praecepta superauit* [d] . Quamobrem et inuentio et dispositio et elocutio et memoria et pronuntiatio usu acri et exercitatione intentissima conualescunt . Nec te fugiat in exercitatione esse periculum maximum , quod plerique fugientes laborem incuriose et tumultuarie exercentur , uerborumque sola frequentia delectantur ; *cum sit nihil tam ui-*

a Ita heic et alibi cod. cum unica *m* . *b* Cod. uidetur habere *sanctitatem* . *c* Cod. *litte* . *d* Num pro *superabit* ?

1 Pro Mil. XXXI.
2 Apud Cic. de or. III. 56.
3 Orator XVIII.
4 De or. I. 32 , et pro Corn. Balb. XX.

ciosum, ut ait Marcus Tullius, *quam uerborum uel optimorum atque amplissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sentencia*[1]. Etsi ergo in istis ipsis exercitationibus utile est subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumpto spacio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere. *Stilus est*, inquit Marcus Tullius[2], *stilus optimus et praestantissimus effector dicendi ac magister. Omnes enim siue artis sunt loci, siue ingenii cuiusdam atque prudentiae, inquirentibus nobis omnia quae sunt cuiusque generis maxime propria, maxime illustria, sub acumen stili subeant et succedant necesse est. Tum ipsa collocatio conformatioque uerborum perspicitur*[a] *in scribendo, et hanc affert facultatem, ut etiamsi subito dicas, tamen illa quae dicantur, similia scriptorum esse uideantur*. Multa praeterea ex omni parte orationis circumspectantur, nequid offendas, nequid inruas: nec tibi uideatur reformari postea posse, siquid in exercitatione neglexeris. Naturae enim uicem paene optinet consuetudo, *et sicut bene dicendo*, inquit ·M· Tullius[3], *bene dicitur, ita male dicendo male dicatur necesse est*; ut melius sit omittere, quam paenitenda consuetudine in prauitatem aliquam conualescere. Ridiculum forsitan putes si adiecero ut exercitatione consuescas nihil[b] contrarium, nihil quod obsit, incurrere. Sed frequenter, mihi crede, oratores urgentur ab aduocatis, a litigatoribus, ut quod sit inutile ingerant. Huic errori non obtemperare consuesces, si exercitationi quoque nequid contrarium dicas prospexeris. Dices enim, si personarum quas defendes rationem habere neglexeris; si quae sunt in eis inuidiosa non mitigaris extenuando, sed laudando et efferendo, inuidiosiora feceris; si in homines caros iudicibus inueharis; siqua uicia aut incommoda sint in iudice, aduersario si exprobraris; si cum dicas ab altero laesus, litem tuam persequaris, causam relinquas. Quid si ipsis argumentis posueris aliquid aut aperte falsum aut ei quod dixeris dicturusue sis contrarium? Quid multa? omnis cura esse debet, ut siquid possis boni causae efficias: sin minus, certe, ut ait Marcus Tullius[4], *nequid mali*: quia nihil turpius uideri potest, quam cum oratoris dicto sermone consequitur, occidit susceptum. Exercitatio iuuenilis uberior et habundantior esse debet, quia multum inde quoque anni, multum ratio limabit. *Uolo*, ait ·M· Tullius, *se efferat in adolescente*[c] *fecunditas*. Audeat ergo haec aetas plura et inueniat. Facile remedium est ubertati: sterilia nullo labore uincuntur. Sit eloquens, non tamen disertus. Inter

a Edd. *perficitur*. b Cod. *nichil*, ut alibi. Placet autem heic uerba exscribere falsi Apuleii grammatici, cuius opuscula de adspiratione et de diphthongis non uno in codice uaticano sunt. *Quaeritur utrum mihi et nihil per .c.h. an per .h. sine .c. scribi debeant. Et usus quidem iuniorum obtinuit ut .c. interponatur; sed rationabilius sine .c. scribuntur: cum in latinis dictionibus post .c. nota aspirationis numquam reperiatur: unde errant qui pulcer et sepulcrum per .c.h. scribenda existimant. At haec nunquam mia pro mihia, et nil pro nihil inuenirentur: neque cum .h. solam inter duas locatam uocales inuenerimus, synaeresim fieri posse uidemus*. In codicis autem, unde exscribo, margine adnotatur Seruium et Priscianum contrariae esse sententiae, qui *pulcher* et *sepulchrum* et alia per aspirationem scribi consentiant. c Ita codex per o; at antiquiores constanter *adulescens*.

1 De or. I. 12.
2 De or. I. 33.
3 De or. I. 33.
4 De or. II. 75.

disertum autem et eloquentem hoc interest, quod eum statuit ·M· Tullius [1] esse disertum qui possit satis acute atque dilucide ex communi quadam opinione dicere, eloquentem uero qui mirabilius ac magnificentius augere atque ornare quae uelit: qui distincte, qui explicate, qui habundanter, qui illuminate et uerbis et rebus, et in ipsa oratione quasi quendam numerum uersumque conficere; quique ita aptus esse possit, ut rebus et personis congruenter accommodet eloquium. Amet laudem iuuenis, magnumque sciat multis tacentibus solum audiri. Nam licet ipsa uitium sit ambitio, frequenter tamen causa uirtutum est. Orator, cui semper in multa celebritate uiuendum est, assuescere exercitatione maxime debet iam ab adolescentia non reformidare homines neque illo labore solitario delitescere. Cum enim omnibus oratoris opibus fueris instructus, plurimum tamen ualet animi praestantia, quam nec metus frangat, nec ultra modum reuerentia retardet. Sicut enim abominanda sunt contraria uicia, confidentia et temeritas et inprobitas et arrogantia, ita sine constantia nihil studium, nihil profectus ipse profuerit; ut si des arma timidis et imbellibus. Est ergo uerecundia interim aduersa, multisque causa fuit ut bona ingenia studiaque situ quodam secreti consumerentur. Ne putes a me probitatem repudiari, sed uerecundiam, quae longe differt atque discreta est. Nam quid [a] est uerecundia, quam timor quidam reducens animum ab his quae facienda sunt? inde confusio. Quis autem dubitet uiciis ascribere affectum prohibentem facere quod debeat fieri? Neque ego is sum qui nolim eum qui sit dicturus et sollicitum surgere et colore mutari; quae si non acciderent, etiam simulanda erant: sed sentiat periculum uolo, non succumbat nec concidat. Sed prorsus optima atque potissima est aduersus uerecundiae uicium medicina fiducia. Excitanda ea et attollenda semper est, quae in eiusmodi secretis languesceret. Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in sole et omnia noua offendit, et quod solus exercuerit, inter multos facere non possit. Sequenda igitur est ·M· Tullii sentencia [2], qui praecipit ducendam dictionem ex domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in puluerem, in clamorem, in castra atque in aciem; subeundum uisum [b] omnium. Sint praeterea ipsae materiae quae finguntur quam simillimae ueritati. Nam et declamatio ea solummodo prodest, quae imitatur eas actiones in quarum exercitatione [c] reperta est. Frustra in declamationibus laborabimus, si diuersitate operis ac dissimilitudine ad forum quasi rudes uenturi sumus. Rudes autem simus necesse est, si alia pronunciatio, aliud genus elocutionis in declamationibus fuerit, cum longe alia in foro reperienda sint. Et ideo unum etiam atque etiam te repetens iterum iterumque monebo, ut et pronunciatione et elocutione declamatio tibi semper forenses actiones imitetur et exprimat et effingat. Eas uero decla-

a Ita cod. sine *aliud*. b Ita cod. non *usum*. Hinc omnino corrigenda apud Cic. uox *usus* pro *uisus*. c Ita cod. Confer indicem latinitatis fragmentorum iuridicorum.

1 De or. I. 21. 2 De or. I. 34.

mationes, quas quidam corruptius delectationis tantummodo causa decantant, non aliud esse Quintilianus affirmat [1] quam fuisse traditur qui grana ciceris ex spacio distante missa in acum [a] aduersum sine frustratione inserebat: cui donari modium ciceris rex iussit, inhertem [b] laborem ipso praemii genere testatus. Huic conparandi sunt qui in declamationibus quas esse ueritati dissimillimas uolunt, multo se studio ac labore consumunt: et appellatur hoc a doctis ματαιοτεχνία, quaedam superuacuae artis imitatio; certe apud omnes profecto ματαιοπονία, quia habeat uanum laborem, nullumque eius, ad quod praeparetur, effectum. Quid ergo? nihil ne sibi declamatio indulgebit, aut panegyricus [c] sermo? Indulgeat sane aliquid ad ornatum, ita tamen ne a forensis actionis similitudine ullo alio differat, quam accuratiore splendore et locis omnibus, quibus supra diximus illustrari orationem liberius effusis. Tenendum tamen, quicquid aget orator, non multum a forensi actione discrepare debere et rebus et uerbis et pronunciatione: ceterum longe ab effectu operis aberrauerit.

XXVI. DE SERMOCINATIONE.

Sermocinandi ratio non in postremis habenda est. Et quidem sermonis usus multo frequentior quam oratoris est. Igitur sermonis est uirtus elegantia sine ostentatione. Uerba sint electa, honesta magis quam sonantia, paucae translationes, neque hae alte petitae, modica antiquitas, sine figuris insignibus, sine structura leniore, sine periodo, sine enthymemate: denique omnis rhetoricas palaestras missas feceris, quae ut addunt orationi auctoritatem, sic detrahunt sermoni fidem. Attamen habebit sermo lucem suam, ut sit simplex et aequalis, et ante omnia carens obscuritate. Sermonum argumenta, quae semper esse uix seria possunt, plerumque se iocis inserentibus, tamen semper honesta sint. At non inepte neque iurgiose. Nam multos nugae rapiunt ad foeditatem, nec non contentiones ad furorem. Cum tamen in omni parte uitae, tum in sermonibus quies optima est. Fere sermo cuiusque mores probat. Caue nequem sermone laedas uel aperto uel inuerso, uel absentem, uel coram. Agrestis ingenii est aut neminem appellare, aut de pluribus unum alterumue eligere, quicum fabulere. Superiores obseruare oportet, ut inuitent clientes ad colloquendum: nam inferior modestius fecerit, si expectet dum lacessatur, nisi quid rei suae euenerit. Sermonum autem occasiones sunt et sciscitatio [d] quid agant rogantis, et commemoratio quid tibi aut alteri euenerit, aut quid nouae rei audieris, quam tamen narrare non sit religionis, et admonitio ex re nata fortuita. Iam ubi statum [e] est inicium, res ipsa perducit: nascitur enim ex responsione responsio.

a Cod. uidetur habere *acumen*. b Ita cod. c Cod. *panagericus*. Tum in margine scholium est: *panegyricum est licentiosum et lasciuum genus dicendi in laudibus regum, in cuius compositione homines multis mendaciis adulantur; quod malum a Graecis exortum est, quorum leuitas instructa dicendi facultate et copia incredibili multas mendaciorum nebulas suscitauit.* d Cod. *scicitatio*. e Ita cod.

1 Lib. II. 20.

In quo cauendum est ne hinc illo quod aiunt transultes, aliudue quid, quam qua de re agitur, interseras. Neque porro obloquare, neque solus loqui postules, neque properantem morere atque odio [a] obtundas. Ubique breuitas bonum est, sed in sermone praecipuum. Alterius enim tempore non abuti decet. Multum ad sermonis gratiam ualet ueterum exemplorum memoria, rerum nouarum scientia; si illa accommodes, non ut quaesita sed ut obuia: et prouerbiorum tempestiuitas [b] lepida est graecorum atque nostrorum, et uersus partesue eorum. Ex oratoribus aliisue scriptis sententiae, si loco proferantur, sermonem conuenustant. Uita [c] uernilia scurrarumque aemulationem: nam multi dum se facetos uolunt, non modo uerba sed gestus quoque ac uocabula scurrarum exprimunt. Ita accidit ut nec quod esse debent sint, nec quod imitantur. Nec sermonem quasi orationem pronunciaueris, nec praepropere loquaris, ne si possis quidem uerba sine haesitantia linguae celeriter euoluere. Multo enim turpius si offendas saepius quasi salebrosa festinatione. Neque tamen protrahere uoces oscitantem decet, nec interuallis diuidere. Bonus modus est in loquendo tamquam ambulando clementer ire, sine curriculo, sine cunctatione. Clamare in loquendo rusticum ac barbarum est: fit enim de sermone conuicium. Iam si in publico aut in conuiuio clames, non agrestis modo sed insanus habearis. Rursus si ita demisse fabuleris, uix ut proximus audiat, hominis nimium delicati est. Et audire semocinantem rationis est, primum ut attente audias, ne dum res alias agas, cum responsorio opus sit, aliud respondeas; aut ignarus rogari quid uideatur, consilescas. Deinde ut sinas propositum explicari, atque in loco occurras, ne duo aut plures, chori aut cateruae modo, constrepatis. Et hominum et locorum et temporum ratio seruanda est. Alius cum superiore, alius cum pari aut proximo sermo est: item cum senioribus, cum aequalibus, cum pueris aut mulierculis. Quid? in conuiuio putas eundem debere esse quem in foro aut aliquo coetu litteratorum? Quod [d] ego scio quosdam spectaculis aut conuiuiis aut ubi minime conuenit doctrinam atque facundiam uenditare, aut rem publicam strepere. Minime oportet uinum de poculo in mensam instillare, idque digitulo diducere in lineas [1]. Mala ista satio [e] in conuiuio garrula ac per uinum diserta: et fere uideas qui sicci ac sobrii nihil sunt, eos madidos friguttire. Et temporum tibi cura sit, ne in rebus tristibus laeta, ne in laetioribus tristia introducas. Ii sunt enim quos Cicero ineptos uocat, qui neque ubi, nec quando, nec cum quibus fabulentur existimant, nec quamdiu, nec quomodo. Partim plus cachinno interturbant quam uerbis explicant, uerba concidunt, syllabas obscurant, litteras ut furto auferunt. Loquere oportune, honeste, latine, dilucide, placide, plano ore, uultu quieto, clamore nullo, sine

a Num pro *otio*? b Cod. *tempestas*. c Cod. *dirta*. d Ante *quod* ponendum uidetur paulo supra scriptum *quid*, interrogandumque post *strepere*. e Ita cod.

1 Ut ille miles apud Ouid. ep. Penelop. v. 32: *pingit et exiguo Pergama tota mero*.

cachinno, sine aliis notatis supra. Multum ad sermonis elegantiam conferent comoediae ueteres et togatae et tabernariae et atellanae fabulae et mimofabulae; multum etiam epistolae ueteres, in primis tullianae.

XXVII. DE EPISTOLIS [a].

Epistolis conueniunt multa eorum quae de sermone praecepta sunt. Epistolarum species duplex est. Sunt enim aut negociales aut familiares. Negociales sunt argumento negocioso [b] et graui. In hoc genere et sententiarum pondera, et uerborum lumina, et figurarum insignia conpendii opera requiruntur, atque omnia denique oratoria praecepta, una modo exceptione, ut aliquid de summis copiis detrahamus, et orationem proprius sermo explicet. Siquid historicum epistola conpraehenderis, declinari oportet a plena formula historiae, ne recedat ab epistolae gratia. Siquid etiam eruditius scribas, sic disputa, ut ne modum epistolae corrumpas. In familiaribus litteris primo breuitas obseruanda: ipsarum quoque sentenciarum ne diu circumferatur, quod Cato ait, ambitio; sed ita recidantur, ut numquam uerbi aliquid deesse uideatur: unum te [c] scilicet, quod intelligentia suppleatur, in epistolis tullianis ad Atticum et Axium frequentissimum est. Lucem uero epistolis praefulgere oportet, nisi cum consulto consilio claudestinae litterae fiant, quae tamen ita ceteris occultae esse debent, ut his ad quos mittuntur clarae perspicuaeque sint. Solent etiam notas inter se secretiores pacisci, quod et Caesar et Augustus et Cicero et alii plerique fecerunt. Ceterum cum abscondito nihil opus est, cauenda obscuritas magis quam in oratione aut in sermocinando: potes enim parum plane loquentem rogare, ut id planius dicat, quod in absentium epistolis non datur. Et ideo nec historia occultior addenda, nec prouerbium ignotius, aut uerbum cariosius, aut figura putidior: neque dum amputatae breuitati studes, dimidiatae sententiae sit intelligentia requirenda, nec dilatione [d] uerborum et anxio struendi labore lux obruenda. Epistola, si superiori scribas, ne iocularis sit; si pari, ne inhumana; si inferiori, ne superba; neque docto incuriose, neque indocto diligenter, nec coniunctissimo translaticie, nec minus familiari non amice. Rem secundam prolixius gratulare, ut illius gaudium extollas: cum offendas [e] dolentem, pauculis consolare, quod ulcus etiam cum plana manu tangitur, cruentatur [f]. Ita in litteris cum familiaribus ludes, ut tamen cogites posse euenire, ut eas litteras legant tempore tristiore. Iurgari numquam oportet, sed epistolae minime. Praefationes ac subscriptiones litterarum conputandae sunt pro discrimine amicitiae aut dignitatis, habita ratione consuetudinis. Rescribere sic oportet, ut litterae quibus respondes prae manu sint, nequid cui responsio

a Ita cod. pro *epistulis*. Nimirum hoc uocabulum in sequioris aeui codicibus (cuiusmodi est huius rhetoricae codex) scribitur interdum per *o*; at in uetustissimis codicibus et in lapidibus constanter per *u*. b Cod. *negociosa*. c Ita cod. d Ita cod. e Cod. *ostendas*. f Cod. *et cruentatur*; sed *et* ibidem expungitur.

opus sit, de memoria effluat. Obseruabant ueteres karissimis sua manu scribere, uel plurimum subscribere [1]. Commendatitias [a] fideliter dato, aut ne dato. Id fiet, si amicissime dabis ad amicissimum, et si probabile petes, et si inpetrabile. Graece aliquid addere litteris suaue est, si id neque intempestiue neque crebro facias: et prouerbio uti non ignoto percommodum est, et uersiculo aut parte uersus. Lepidum est nonnumquam quasi praesentem alloqui, uti *heus tu*, et *quid ais*, et *uideo te deridere*: quod genus apud M. Tullium multa sunt. Sed haec ut dixi in familiaribus litteris: nam illarum aliarum seueritas maior est. In summa id memento, et ad epistolas et ad omnem scriptionem bene loqui.

EXPLICIT ARS RHETORICA
C. IULII UICTORIS FELICITER
HERMAGORAE, CICERONIS, QUINTILIANI, AQUILI,
MARCOMANNI, TACIANI.

a Cod. *commendatias*.

1 Legesis in mea ad Symmachum praefatione p. XXII. n. 2. uerba *et alia manu principis*. Item quae hac de re dixi in praef. rom. Fronton. p. XVI.

Vocabula nova aut rara apud C. I. Victorem.

compensativus IIII. 6. 8. *Utitur Victorinus p. 137.*
consiliatio XIIII.
diffora III. 3. 5.
disperatio (*pro* disparatio) X.
enthymematicus XI.
fidum XVI
indiciva, ae IIII. 4, *id est merces indicii. Apud Apuleium in licena. Sine dubio unum idemque vocabulum est: utrum vero Apuleius an Victor in mendo cubet, nescio.*
iurgiose XXVI.
mimofabula XXVI.
pompatice X.
praescriptivus III. 10. IIII. 1. *Utitur Sulpicius Victor* p. 332.
pragma III. 4. 9. 15.
remotivus IIII. 6.
res uxorium XXVI.
scurribilis XII.
Omitto graecas voces plurimas latine usurpatas apud nostrum auctorem.
Adde rari exempli vocabula praesto *pro* praepono; absoletus; parcius *pro* parum; interim *pro* interdum; praedo, as; scriptus, us (*ut apud Frontonem*) *et alia*.

Emendationes et additamenta.

P. 2. v. 18. eloquentes. *Al. n. apud Cic. de or. I. 14.*
5. n. d. *Sulpicius Victor* p. 273. *legit item* cruditatis.
10. v. 13. *lege* συγγνώμην.
34. *dele notam d.*

L. CAECILII MINUTIANI APULEII GRAMMATICI

DE ORTHOGRAPHIA

TRIUM LIBRORUM FRAGMENTA.

Saeculum cum .ae. diphthongo nulla nisi temporis ratione a multis scribitur: quae obseruatio minime fieri debet in pedestri oratione. Est spatium definitum centum annorum, siue plurium si ultra producatur . . . Minoris numeri esse non posse Papyrius [1] docet, et usus auctorum . . . Cicero ad . . . Plinius affirmat . . . Terentius Uarro [2] in punico bello ita cecinit de Carthaginis aetate . . .

Busiris cum .i. latino, qui apud Iouis aram hospites mactabat, diuinoque iudicio ab Hercule ibidem mactatus est, auctore Argone [3] in quarto Apollonii commentario [a], Pherecyde, Homeroque minore [4]: ex nostris Nasone et Caluo [5], Lucretio uero in primo, Neptuni filius fuit ex Epaphi nata Libya, Diodoro [6] atque Lucilio, cui Cornelius Rufus [7] in lyricis ita subscribit . . . Idem Rufus in pindarica aemulatione [8] . . .

Lachesis aspirat .c., una ex tribus Parcis, quae necis nostrae habent arbitrium et uitae, quam ipsa sororesque eius Clotho et Atropos producunt corripiuntue: nam Clotho nendo praesentis temporis curam habet: Atropos filum in fuso perfectum colligit, quod est praeteriti; Lachesis per incisionem futuri . . . Dicuntur autem Clotho a . . . Lachesis . . . Cotta in pharsalico bello [9] . . .

Rhea [10] aspirat .r., filia Staphyli et Chryseïdis, sororibus Molpadia maior, Parthenia minor; quae ab Apolline compressa grauidaque facta, a patre in arca inclusa est, et in mare deiecta, in Delum appulit, filiumque genuit nomine Anium, qui clam ab Apolline alitus et diuinitate donatus est, Polycarpi, Alcimi, Maximique testimonio [11]. C. Proculus in sua Lyde, et Sextus Gracchus [12] in libro [b] amorum historiam elegantissime exornarunt . . .

a *Cod.* com. b *Cod.* in li. *Quare suspicabar legendum esse* in secundo: *praesertim quia nota numeri secundi in codice Symmachi hanc fere habet formam, nempe* II.

(1) Papyrius seu Papyrianus grammaticus, cuius excerpta dat Cassiodorius in orthographia.

(2) Puta Varronem Atacinum, qui argonautas quoque cecinit et bellum sequanicum.

(3) Quaerendum de hoc Argone. Neque certe placet de heraclida Argone cogitare. Gorgon quidam memoratur Pindari scholiastae.

(4) Num intellige Homerum tragicum?

(5) Lic. Caluus Catulli amicus.

(6) Him. bib. I. 18.

(7) Ouid. pont. IIII. 16. 28. *pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae* Patet iam Rufum hunc pertinere ad gentem Corneliam, quod se nescire aiebat Burmannus ad Ouid. l. c.

(8) A Rufo Pindarum latinum factum fuisse exploratum est. Hinc Horatius *Pindarum quisquis studet aemulari etc.*

(9) Cottae poetae contemporanei sui meminit Ouidius l. c. Heic autem titulum poematis ab eo compositi noscimus. Lucanus ergo praeoccupatum thema usurpauit.

(10) Secunda haec Rhea est: nam prima mater deorum, tertia Romuli.

(11) De Polycarpo quaerendum. Ego quidem Carpum historicum citaui ex Proclo ad VI. Cic. de rep. Alcimum uero intellige illum qui scripsit antiquitates italicas, citaturque a Festo uoc. *Roma*, et ab Athenaeo X. 56. XII. 14. Maximi historici plures fuerunt tum graeci tum latini.

(12) Ouid. *cum Varus Gracchusque darent fera dicta tyrannis,*

Callimachi Proculus molle teneret iter.

Ex hoc Ouidii testimonio, Priscianique duobus VI. 3. 16. Gracchum tragicum noueramus. Sed iam amatorium quoque poetam uidemus.

*

Ouidius aut . u. a. q. l. a. o. n. a. d. h. [1] . . . Delum enim [a] . . . Sed et M· Fontanus in nympharum et satyrorum amoribus [2], et ·C· Melissus in [3] . . .

Parcae a partu secundum Uarronem, qui quoniam raro est tempestiuus septimo mense, nonoque et decimo bene nutritus est, antiqui Parcas Mortuam [b], Nonam, et Decimam piis nominibus appellarunt: ut Atteius [4], ·Cn· Turanus [5] in Helene, et Cornelius Rufus in pindarica aemulatione.

Allia per duplex ·l· flumen memorabile exercitus nostri clade ·T· Ucrax [6] in suo sine homerico Ulixe . . .

Mihi habet aspirationem ad [c] differentiam mi uocatiui . . . Papyrianus [7] . . . Plinius [8] . . .

Cymbalum hya [d] habet, et similiter tympanum . . . Uulgatum est prouerbium in eos qui uana loquacitate improbe importune inaniterque loquuntur, cymbalum dodoneum, ut tintinabulum, ut lebes, ut aes dodoneum, ut peluis aerea, ut tympanum mundi, ex Aristotele, Maenandro, Xenophonte, Zenodoro, Caecilio, Plinio, Suda [9] et aliis. Lupus Anilus [10] proin cymbalum appellat Uranium [11] aemulum.

Anius uirgilianus [12] unico ·n· notatur. Ananius [13] item dicitur Zenoni grammatico [14], Philemo [15], Stephano [16], Marciano [17], Methymio [18]. Quintus Trinacrius [19] . . . et ·C· Marius in uariis carminibus [20] . . .

Lemulcatus [e] citra aspirationem dicitur sexta gladiatoris palma. Titinius [21]: " gladiator mi gloria quoius / lemulcatus meridionaria; nam erit haec septima

a *Cod.* ·n·. b Morta non mortua *scribunt apud Gellium* III. 16 *Liuius Andronicus et Caesellius Vindex. Sic in antiquissimo cod. Cic. de rep.* I. 18 mortua *pro* mortuus. *Existimassem autem Apuleium a Gellio hanc historiam sumpsisse, nisi ipse mox alios auctores suae sententiae laudaret.* c *Cod.* et, ro ad. d *Notemus quonam nomine ueteres litteram* y *appellarent. Quamquam infra uoc.* adytum *appellatur* ypsilon. e *Ita cod. heic et infra. Ego uero magnopere suspicor scribendum esse* lemniscatus, *uel potius* lemniscata: *namque adiectiuam formam usurpant Cicero et Tertullianus. Nihilominus insignis est hic Apuleii locus ad sensum praedicti uocabuli declarandum.* f *Ita mihi uideor compendium uocabuli legere.*

(1) Hae sunt litterae priores uerborum totidem. Sic enim apud scholiastas haud raro compendii causa laudantur uersus poetarum, in quos illi commentantur.

(2) Ouid. *Naidas a satyris caneret Fontanus amatas.*

(3) Ouid. *et tua cum socco musa, Melisse, leuis.*

(4) Atteius philologus, quem citat Charisius lib. apud Putsch. p. 102, et de quo scribit Suetonius in grammaticis.

(5) Ouid. *musaque Turrani tragicis innixa cothurnis.*

(6) De hoc quaerendum. Verax nepos Ciuilis apud Tacit. hist. V. 20.

(7) Hic dicitur Papyrius p. 75. Nota est autem nominis uarietas.

(8) Intellige Plinium seniorem in libris deperditis de grammatica. Et quidem Plinio tribuitur in peruetere codice neapolitano, olim bobiensi, opusculum illud grammaticum de differentiis uocabulorum, quod uulgo Frontoni adscribitur.

(9) Ita multi scribere malunt quam *Suidam*. Intellige autem non recentiorem lexicographum, sed antiquum historicum cuius apud auctores haud rara mentio est.

(10) Infra *Auilius*. Quin etiam infra occurrit Lupus [illegible].

(11) Poeta sine dubio hic est. Ceteroqui et uanus philosophus atque loquax Uranius improbatur apud Agathiam lib. II. circa finem.

(12) Aen. III. 80

(13) Ananius poeta iambicus apud Athenaeum. Sicque legendum est pro *Anania* etiam apud Lycophronis scholiasten.

(14) De Zenone grammatico Laertius VII. 35, ibique Casaubonus et Menagius.

(15) Num pro *Philemoni*?

(16) Stephan. byzant. voc. Ἄνδρος. Quamquam uero Stephani aetas paulo incertior est; hinc tamen cognoscimus, Apuleium nostrum non esse Stephano uetustiorem. Certe illo Apuleio grammatico cuius mentio fit apud Suetonium noster recentior est.

(17) Dubitare licet, utrum auctor intelligat Marcianum grammaticum, qui Valentis imp. filias docuit (Socrat. hist. VII. 9); an heracleotam geographum uel etiam historicum.

(18) De hoc quaerendum.

(19) Ouid. *Trinacriusque suae Perseidos auctor.*

(20) Ouid. *et Marius scripti dexter in omne genus.*

(21) Titini fragmenta comoediarum aliquot supersunt a grammaticis delibata.

„ laurus „. Turpilius in Thrasylione [a]: " nemo unquam uidit ebrium ire „ interdiu, neque turbam facere, neque fores exurere [1], aut festra [b]: ut uos „ caeci qui perpauci ad lemulcatum peruenitis, numquam eam transilitis „. C. Rabirius [2] . . .

Eumenides in [c] latino nos furias dicimus . . . quas Aeschylus primus finxit implicitos serpentibus crines habere. Filiae, secundum Eudemum [3], Acheruntis et noctis fuerunt . . . Orpheus [d] Plutonis et Proserpinae. Uirgilius modo hunc modo illum secutus [4] . . . Athenodorus [5] et Mnastes [6] Orci et Stygis. P. Terentius Uarro facit . . .

*

Cassandra filia Priami uates geminat .s., et in ultima syllaba habet .d., licet apud priscos .t. inueniatur propter cognationem ipsarum litterarum: unde quod olim scribebatur per .d. adque. coniunctio, nunc. atque. Et .at. et .ad. pro .ac. olim dicebatur, ut monumenta [e] testantur antiquissima; postea per .c. ac differentiae gratia scribi placuit, Plinio auctore [f], ne aliud quam copulam significare uideretur.

Proteus filius oceani, qui Homero et Uirgilio testibus, notissimum est, in uarias formas ut uertebatur [g]: unde prouerbium est apud Plutarchum et Democritum, interpretem Aristophanis, et Lucianum [7], in tergiuersantes, mutabiles, inconstantes, uafros, ac uersipelles. Sed et Horatius eos qui facile

---

* *Hoc loco in codice scripta erant sequentia, mox ibidem, ut aliena uel spuria, deleta fuerant.* Staphylus cum hya. Primus docuit uinum aqua misceri. C. Plinius [8] et Sallustius [9] auctores sunt. Et Staphyli nomine uua staphyle Democrito [10] celebrata. Fuit autem Staphylus aetolus; de quo Uirgilius poculaque .i. a. m. u. [h], Donato Proboque testibus [11], pastor Oenei regis, a cuius nomine Liber pro inuenti gloria statuit oenon uinum appellari. Fuit filius Bacchi ex Ariadna, Plutarcho [12] et Dione testibus: uel ex Erigone Icarii filia, Luciano in barbato philosopho [13] et Ouidio in metamorphoseon [14] testantibus. Linus in Aristophanis Plutum Staphylum Bacchi dicit amicum; Grynicus Semeles auunculum.

---

a *Ita cod. pro* Thrasileone. b *Ita cod. Etsi Festus atque Petronius feminino genere efferunt. Feste quidem est fenestra; sed ostiolum minusculum in sacrario Macrobio; de qua uoce disputauerat Ant. Gnifo, quem grammaticum Cicero audiuit.* c *Cod.* .l. d *Ita in cod. mutatur casus.* e *Cod.* mo. *cum apocopes signo.* f *Cod.* Pl. auct. g *Num pro* ut notissimum – uertebatur? h *Nempe* inuentis acheloia miscuit uuis. *Georg.* I. 9.

(1) Hoc usque extabat Turpilii locus apud Nonium uoc. *turba*.

(2) Ouid. *magnique Rabirius oris*.

(3) Quisnam hic fuerit ex tot Eudemis, quos recenset Ionsius hist. phil. I. 15, non definio. Puto tamen eum esse, cuius lexicon laudat Suidas in praeuio indice lexicographorum.

(4) Aen. VII. 327 de Alecto loquens odit *et ipse pater Pluton – uirgo sata nocte*. Tum 479. *cocytia uirgo*.

(5) De Athenodoris item uariis disputare non uacat.

(6) Num pro *Mnasea*, cuius nominis grammaticum nouimus in odyss. schol. XVIII. 84, et apud Fulgentium de prisco sermone?

(7) Encom. Demosth. XIIII.

(8) Hist. VII. 56.

(9) Quisnam hic e tot Sallustiis?

(10) e opere de agricultura, quod iamdiu uixit.

(11) Extat Probi testimonium. Donati tamen curae ad Georg. iamdiu uixerant, sed pro eo superest hoc loco par Seruii auctoritas.

(12) In Theseo cap. XX.

(13) Confer Deor. D. XVIII; de salt. XL. Deor. concil. V.

(14) Lib. X. 4. 60.

uertunt sententiam, et deprehendi difficile possunt, Proteos uocat [1]. Uarro in punico bello . . .

Olympius siue olympus appellatus Iuppiter. Ennius . . . decessit Olympius antro [a]. Uirgilius: panditur interea domus omnipotentis Olympi. Domitius Marsus in [b] Melene [2] . . . Aristophanes inter cognomina Iouis ponit olympius. Naeuius: panditur interea domus altitonantis Olympi . . . Diodorus quoque [3] . . . h ζ [c]. L. Tuscus in Phyllidis suae amore [4] . . .

Pyrrhus scribitur cum hya et duplici .rr.: ultimum quoque aspirat. Fuit rex Epiri, qui pollice pedis sinistr. [5] solebat mederi lieni; interemptusque fuit a Cerere sub mulieris arguae *specie*, Herophilo, Polignoque poeta [d], Leucea ac Pau*sania* [6] in suo templo: siue in aede Dianae a quadam muliere, Trogo [7], Sallustio et Luccio ... Illius [8] Cadmus sepulchrum post aliquot annos Epirotarum princeps [9] in cineres uersum dissipauit atque dispersit, ut in antiquitatibu Lycophron, Musaeus, Crispus et Naso [10] prodidere. Cn. Camerinus in Troiae excidio [11] ...

Coiux citra .n. in utraque syllaba reperitur apud antiquos; et cum .s post .x. coniuxs [e]. Nam .x. non erat antiquissimum, pro quo modo .cs., modo .gs., modo .ss. utebantur: apecs pro apex, gregs pro grex, Ulysses pro Ulixes. Postea .x. uarie usurpata modo enim pro duplici, modo simplici consona posita inuenitur: unde uixi uicsi et uixsi [f] in libris manu auctorum scriptis, et in monumentis uetustisque lapidibus Romanorum [g] . . . Item in . . . quid quod coniux cum .n. in priore . . . Interdum cum .n. in utraque syllaba, ut . . . ex opinatione originis, a coeundo, coniungendo, et coniugendo . . .

Uulcanus cum duplici .uu. [h]. Praecipitatus est a Ioue de caelo, quia matri in se auxilium ferre uoluerit, Homero in primo [12] . . . et [13] . . . Sed et Balerius [i] in argonauticis [14]. At Ouidius in Medea a Iunone. Ualerius Largus in Antenoris erroribus [15] . . . alibi . . . Pausanias [16] ductum a Baccho ebrium in

a *Cod.* nano. *Sed rectius legebat* antro *Caelius rhodiginus, ut habes in eius testimoniis.* b *Cod.* My[la...e]s Melene. c *Ita lego in cod. Paulo tamen incertius est utrum sit* ζ *graeca litera, an quoduis similis ormae signum.* d *Cod.* poetae. *Supple autem* auctoribus *uel* testibus. e *Nempe* coiux, *ut in lapidibus romanis obseruo. Contra* coniunx *in aliquot priscis codd. Lege Seaurum in Putsch. p.* 2256. f *Ita Fronto ad M. Aur.* II, 13. noxit g *Reapse eiusmodi scriptura in lapidibus urbanis adhuc uisitur.* h *Contra M. Aurelius apud Fronton. scribit* Uolcanus. i *Ita cod.* B *pro* U, *etsi mox sequitur* Ualerius.

(1) Epist. I. 1. 90.

(2) Martialis VII. 29. 8: *nota tamen Marsi fusca Melaenis erit.*

(3) Hist. II. 72. Iam hunc quoque Apuleii locum legebat Caelius rhodiginus, qui post uerba (in praef. mea p. XXXXI.) *decessit olympius antro*, consequitur sic: *auctor quin etiam Diodorus est Iouem esse olympium cognominatum ab olympo praefecto, abs quo ingenii cultum acceperit, sed et deos, qui opem aduersus gigantas tulissent, olympios appellari uoluit, nec non Dionysium Herculemque.*

(4) Ouid. *quique sua nomen Phyllide Tuscus habet.*

(5) Plutarchus in eius uita cap. III dicit τῷ δεξιῷ ποδί.

(6) Attic. cap. XIII, ubi citat ipsum Leuceam poetam qui res argolicas carminibus scripsit.

(7) Non exstat loci et mulieris mentio apud breuiatorem Iustinum XXV. 5. Sallustii quoque et Luccii narrationes perierunt.

(8) Nempe Pyrrhi hoc nomine tertii.

(9) Non inuenio hunc Cadmum in molossici regni stemmate quod Reineccius confecit. Id tamen ualde esse imperfectum, iam docui in adnotationibus ad Iulium Valerium. Ceteroqui Cadmia soror fuit Neoptolemi. Porro in codice post uoc. *princeps* scribitur *Mamercinus*, tum deletur.

(10) Ouid. in Ib. v. 305: *nec tua quam Pyrrhi felicius ossa quiescant,*
sparsa per ambracias quae iacuere uias.

(11) Ouid. *quique canit domitam Camerinus ab Hercule Troiam.*

(12) Iliad. . 591.

(13) Fors lib. XV. 23. XVIII. 395.

(14) Cod. *arg.* Est autem locus in lib. II. 88.

(15) Ouid. *ingeniique sui dictus cognomine Largus,*
gallica qui phrygium duxit in arua senem.

(16) Attic. cap. XX.

caelum. Aemilius Macer et ·C· Pedo hic in epigrammatis [a], ille in bello troiano [1] consentiunt . . .

Phaon cum .ph. Fuerunt tres . . . Heraclitus, Phaon, inquit, fuit amator Ueneris, quem cum Mars zelotypus trucidare uellet, in bletis [b] Uenus occultauit, unguentoque plenum alabastrum illi dedit, quo hominum pulcerrimus appareret, et deus, uter uellet, uideretur, Bacchus siue Apollo [2]. Sabinus in Trisene [3] . . . Iulius Montanus [4] . . .

Auctor per .c. ante .t, nomen primigenium communis generis.

Antaeus .ae. diphthongum habet. Filius Neptuni ac terrae, frater Busiridis, ferocissimus et immanis ac ferus, uti et omnes alii Neptuni nati; unde cum monstrosi corporis esset, terra genitus fingitur. Dicitur et Antaeon Stephano [5]. Sed et ignobiles, quorum genus ignoratur, terrae filii dicuntur Ciceroni [6] et aliis [7].

Troia modo habet .i. uocalem, modo consonantem.

Aeneas Aeneaque [c] proprium.

Aeuum aliquando diuidit diphthongum.

Catarrhus per .rr. duplex et h.

Atha per .th. infans ·VIII· annorum cursor admirandus. Numa in dogmatum philosophiae libro tertio [8] . . .

Penelopea uxor Ulyxis, quae et Penolope inde dicta est, quoniam in mare deiectam a parentibus nutrierint penelopes aues [9]. Carus in Hercule [10] . . .

Eridanus citra diphthongum, fluuius Atticae, nec non Thessaliae. Est item Italiae, qui et Padus: item Hiberiae; auctoribus Aeschylo, Pausania [11], Euphorione minore. Cassius Seuerus [12] in ·IV· tragoedia . . .

Ocyroe [d] filia Charictae et Lyci fluuii, habet hya in secunda syllaba, uxor Caici et . . .

a *Cod.* epigr. b *Ita cod. pro* blitis. c *Ita cod. Et sic diserte Quintil.* I. 5. §. 220. d *Cod.* Ocyore, *sed facilis mihi fuit emendatio ex Ouid. metam. II.* 638.

(1) Ouid. *iliacusque Macer sidereusque Pedo.*
Pedonis epigrammata innuit Martialis II. 77.

(2) Ouid. ep. Sapph. v. 23: *sume fidem et pharetram; fies manifestus Apollo,*
accedant capiti cornua; Bacchus eris.

(3) Ouid. *quique suam Troezena, imperfectumque dierum*
deseruit celeri morte Sabinus opus.
Porro Cyrallus et Merula legebant apud Ouidium *Trisenen*, uti habet noster.

(4) Ouid. *quique uel imparibus numeris, Montane, uel aequis*
sufficis; et gemino carmine nomen habes.
Confer Senecam ep. CXXII et controu. XVI.

(5) Voc. Ἀνταιωνίτης.

(6) Ad Att. I. 13; ad fam. VII. 9.

(7) V. gr. Symmacho ep. I. 3.

(8) Puto intelligendum Numam poetam, de quo Ouid. *et cum subtili Priscus uterque Numa*: siue Ouidius de poeta siue de poemate subtili seu philosophico, Numa inscripto, loquatur. Nam quo pacto citaret Apuleius libros Numae regis philosophicos, quos iam inde a priscis temporibus exustos tradunt Liuius XL. 29, Plutarchus in Numa XXII, Lactantius inst. I. 22, August. de ciu. D. VIII. 5? Sed tamen libros quosque Numae pontificales pariter crematos aiunt praedicti auctores, e quibus nihilominus locum profert Flanciades, eosque legisse uidetur Tertullianus de praescr. XL. Certe Numae leges Cicero de rep. II. 14. V. 2 suo adhuc aeuo testatur extitisse.

(9) Legesis scholia ad Odyss. IIII. 797.

(10) Cari poema de Hercule bis memorat Ouid. de pont. IIII. 13. et 16. Fuit is praeceptor nepotum Augusti.

(11) Attic. cap. III.

(12) Cassii Seueri parmensis tragoedias multas fuisse aiunt Acro et Porphyrio ad Horat. ep. I. 4. 4. Ceteroqui quod ibi in Porphyrione edito mendosissime legitur *siluas libros philosophorum amoenus significat*; corrigendum est ex mss. *siluas libros philosophumenos significat*; subdit enim statim Horatius *curantem quidquid dignum sapiente bonoque est.*

Cornelius Seuerus in bello siculo [1] . . .

Aesacus habet .ae. diphthongum , pater Priami , auctoribus Callimacho , Porphyrio [2] , Nasone [3] eiusque interprete .

Moenetius habet in prima syllaba .oe. diphthongum . Fuit filius Actoris , teste Apollonio [4] .

Phylaeus cum .ph. et .y. graeca in prima syllaba et .ae. diphthongo in secunda , Augei filius , qui ut ait Homerus minor , in physetem [a] a Neptuno conuersus est , quod numina maris irrideret

Aedon non habet diphthongum , dictio graeca , sed et poetis latinis usurpata pro luscinia .

Ceraphia per .ph.

Adytum et adyticulum per ypsilon .

Antiochus ut peregrinus profertur , et .c. aspirat .

Alcyon et Alcyone et Alcyoniae per y.

Laodamia habet .o. exilem , filia Pyrrhi [5] in templo crudeliter trucidata ab Epirotis . Uxor item Protesilai , qui . . . Fuit autem Laodamia soror . . .

Hedera habet aspirationem , ut differat a uerbo edo in temporibus ederam , ederas , ederat ; et ab hereo trahitur . Nec debet mirum uideri quod prima hederae corripiatur , licet eadem in hereo producta sit ; quoniam unum idemque uerbum in praesenti tempore .ae. diphthongum habet , in praeterito .e. breue [b] , ut caedo cecidi .

Aurigo [c] et auriginosus , cui color et oculi uirent , sine aspiratione . Regius etiam is morbus appellatur . . .

Au diphthongus . M· Fontanus in nympharum satyrorumque amoribus libro III . . .

Battus iambicus poeta Ouidii contubernalis [6] duplici .tt. scribitur , de quo Uarrus et Ginna contubernales [7] in suis poematis meminere . Fuit et Polymnesti filius , qui Cyrenem condidit [8] ; unde cyrenenses poetae dicuntur Battiadae Herodio et Proculo et Proclo Pindari enarratoribus . . . Callimachus . . . Strabo item [9] ; sed et ·C· Proculus Callimachum secutus [10] in opere quod de Lyde et ipse habet centum et quadraginta elegorum libris ; unde latus Callimachus ·C· Melisso in libris iocorum [11] dicitur sic . . .

Aeternus .ae. diph. est qui nec principium nec finem habet , ut Deus : quamquam Orpheus , Linus , et Hesiodus deos ex chao ab initio erupisse dixerint , quos et plerique ex nostris sequuntur : ut ab antiquo chao ueteresque diuique nouique . i. n. t. d. c. a.

a *Ita cod. pro physeterem .* b *Contradicunt huic doctrinae exempla poetarum . Instar omnium esto Virgilius . Ceterum quouis tempore caret saepe diphthongo uerbum heteo in antiquis codd.* c *Aurugo uulgo scribitur . Nihilominus quidam apud Isid. etym. IIII. 8. legunt aurigo , ut Forcellinus obseruat . Iulius Valerius utitur particip. auriguus pro auro collucens : cui mire fauet in praedicto loco apud Isidorum Varro , qui auriginem a colore aureo appellari ait .*

(1) Hoc nominatim Corn. Seueri poema appellat Quintil. x. 1. Ibidem fuisse Aetnae descriptionem ait Seneca ep. LXXVIIII. Ad hunc Corn. Seuerum scribit Ouidius de pont. IIII. 2.

(2) Porphyrio scilicet poeta .

(3) Immo Naso Metam. XI. fab. ult. dicit Aesacum Priami filium (Nam Priamus genitus Laomedonte est .) Neque iam superest uetus ouidiani loci interpres .

(4) Argon. I. 69.

(5) Pyrrhi hoc nomine tertii Deidamia filia , non Laodamia .

(6) Ergo diuersus ab illo graeco poeta inepto .

(7) Uterque Virgilii familiaritate nobilitatus .

(8) Euseb. chron. lib. II. ed. mediol. an. Abrah. MCCLVII et MCCCLXXXV.

(9) Lib. XVII 3. 21.

(10) Recole retro p. 75. n. 12.

(11) Opus hoc centum et quinquaginta ampliusque libris absolutum fuisse narrat Suetonius in Melissi notitia.

Aes cum diphthongo scribitur. Testem Uarronem alii habent, non ab aueo sed ab asse denominatum [1] ...

Halo, las per aspirationem, ut differat ab alo, lis ...

Aeuum ab αἰὼν, .u. littera hiatus causa interiecta.

Ichthys .c. et .t. aspirat, et .y. medium graecum habet, non autem diphthongum ...

Aether et aethra diphthongum habent .ae., nec non aeuitas et aeuum.

Hostis ideo .h. habet, ut genetiuus eius pluralis secernatur ab eo quod ostium in nominatiuo casu: uel quod ab hostio uerbo ducatur, quod aequo significat, quoniam in hostium conflictu quaedam ordinum aequatio fieri consueuit. Concordat enim in hoc nomine aspirationis signum cum re quae significatur; quod nota aspirationis secundum ueterem scripturam ita formaretur, quasi biceps gladius inter duas hostiles partes.

Azania est pars Arcadiae, ubi natum Iouem tradit Euphorion, absque .h. Inde se proselines uocabant Arcades [2] et Cretensibus infensi [3]; quorum bella scripsit ineptus poeta Carmenides. Sextus Gracchus in Thyeste ...

Isse filia Macarei [a] citra aspirationem, cuius amore pauit armenta patris in Arcadia Apollo. Ouidius ait mandato Iouis id factum; quo tempore Mercurius ex pilio agro boues illi rapuit ... Scribebatur per duplex .ss.

Rhoecus [b] cum .rh et .oe. diphthongo, de quo nostri poetae et in primis Naso [4] praeter graecos [c]

Caeneus cum .ae. diphthongo, uiri et auis nomen.

Carhctus [d] cum .th. in secunda syllaba scribitur. Fuit pater Latini regis, quem ei peperit Salia Anieni rapta.

Dahae cum .h. ante .a. populi in desertis habitantes ultra Scythiam.

Myrmecides consueuit per .e. in prima syllaba scribi, et tamen hya habet apud graecos [e]. Fuit scalptor admirandus in minutis marmoreis operibus formandis, meliorque Theodoro et Callicrate. A f ...

Ae primum elementum in Aeglaea in prima et media etiam syllaba diphthongus esse debet. Uarrus Cinnae contubernalis in primo poemate ...

Acragas urbs ...

Aeas urbs non est, sed fluuius iuxta Apolloniam Epiri. Liuius [5] ... T. Uerax in odyssea ...

Aethiops, aethiopus, per .ae. diphthongum scribendum ... Lupus siculus [6] in Menelao tragoedia ...

Aestus quoque et secundae flexionis apud antiquos erat. Quintius g Trinacrius saepius usurpat [7], ut in Perseo ...

Anhelo, ut halo, unde descendit, cum aspiratione annotatur. Sed Plinio in compositione aspiratio colliditur ...

Pasiphae nec hya nec diphthongum habet. Daphne dicebatur Spartanis, quod certissima oracula daret. Fuit et cretensis regina Minotauri partu famosa

a *Cod.* Macharei. b *Corr.* Rhoetus. c *Cod.* G *pro graecos.* d *Videtur corrupta uox. Nam et Latini parentes alio nomine feruntur. Saltem scribendum* Carcthus. e *Cod.* G., *ut supra.* f *Ita cod.* g *Ita cod.*

(1) LL. lib. IIII. 36. Sed uice uersa.

(2) Confer Cicer. de rep. III. 15.

(3) Hinc intelligimus Statii illud theb. IIII. 292: *uenis et Idaeis ululatibus aemulus Azan.*

(4) Metam. v. et VII.

(5) A Liuio scribitur *Aous.*

(6) Ouid. *auctor* – *Tantalidae reducis Tyndaridosque Lupus.* De Lupo siculo lege, si placet, Mongitorium in sicula bibliotheca.

(7) Exemplum unicum τοῦ aestus, i ex Pacuuio superesse uidetur apud Nonium.

quo interfecto, Theseus abduxit Ariadnem uxorem sibi, et filio Hippolyto Phaedram; cui, Serapione rhodio [1] et Philochoro [2] [a], uim intulit eius forma captus, uxore necata. At Phaedra indignata filium patri incusauit quod se appellasset: qui diras in filium iactauit, quae ratae fuerunt: a suis enim equis in rabiem uersis innocens discerptus est. Sic illam de se et sorore ultionem scripsit Lupus Anilius. Idem scribit in Helene tragoedia [3]. Parthenius [4] aliter . . . Poeta doctus in suo passere . . .

Sequebantur in codice quatuor uacuae paginae .

a *Cod.* Philocoro. *Supple autem* auctoribus *vel* testibus, *ut legitur superius.*

(1) De hoc quaerendum.
(2) In libro in attica.
(3) Quandoquidem Lupus siculus, teste Ouidio, scripsit de Menelao itemque de Helena; num idem homo est atque Lupus Anilius (seu Anilus ut p. 76?) Hoc et alia eiusmodi in his fragmentis maiore consideranda erant otio, quo ego careo: de quorum tamen sinceritate idcirco uix dubito, quia Caelius Statio antiquior ad ea toties prouocat.
(4) Parthenius poeta, quem in graeca grammatica audiuit Virgilius. Macrob. sat. V. 17. Gell. XIII. 26. Eius uolumen de amantibus laudat Probus ad Virg. ecl. III. 62. Extat autem graecum scriptum de amatoriis adfectionibus.

IMPRIMATUR

Fr. Ioseph M^a. Velzi S. P. A. Magister.

Ioseph Della-Porta P. C. Vicesgerens.

M. DCCC. XXXI.